This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

878
P8
H51
V.3

SEX. AURELII PROPERTII

ELEGIARUM

LIBRI QUATTUOR.

CODICIBUS PARTIM DENUO COLLATIS, PARTIM NUNC PRIMUM EXCUSSIS RECENSUIT, LIBRORUM MSS. GRONINGANI, GUELFERBYTANI, HAMBURGENSIS, DRESDENSIS, VOSSIANI, HEINSIANI, EDITIONIS REGIENSIS, EXCERPTORUM PUCCII, EXEMPLARIS PERRERIANI DISCREPANTIAS INTEGRAS

ADDIDIT,

QUAESTIONUM PROPERTIANARUM LIBRIS TRIBUS ET COMMENTARIIS

ILLUSTRAVIT

GUIL. AD. B. HERTZBERG,

PH. DR.

TOMUS III.

COMMENTARIOS LIBRI PRIMI ET SECUNDI CONTINENS.

HALIS,

SUMPTIBUS I. F. LIPPERTI ET SCHMIDTI.

MDCCCXLV.

878
P8
H57
v.3

Praefatio.

Quod Luperco illi piloso Martialis poeta accidisse ludit, ut tonsore genas circueunte altera iam barba subiret, huic simillimum aliquid saepe evenire experietur, qui opus qualecunque laboriosum per totos annos volverit. Quodsi retractare semper omnia si quid novi subnascatur volueris, finem in hac vita non invenies. Neque tamen nos, cum prioribus duabus Propertii partibus iam prelo subactis, tertio vero inter manus scribae versante, Keilii Observationes criticas in Propertium (Bonn. 1843. pag. 56. 8.) ab ipso auctore humaniter nobis transmissas accepissemus, locupletare ex istis quae videbantur divitiis nostram editionem noluimus. At intentius quaerentibus ea quae diu nobis stabat sententia ipso hoc libello firmata est, non favere Divam Criticam ei, qui „casu magis quam consilio“ ut ille in Propertium illatus a margine quodammodo rivi hauserit, neque in ipsum gurgitem et veluti intima fontis penetralia immissus toto pectore eius ingenium imbiberit. Nam quum omnium poetarum magnorum proprium sit, ut novum sibi et peculiare quoddam dicendi genus pariant, tantumque ab usu vulgari diversum, quantum ipsi e turba aequalium emineant, aegre illi et inviti ad communem modulum exigi se patientur. Itaque qui non modo interpretem sed castigatorem etiam horum exemplarium profiteri se ausus fuerit, is copias ante omnia ex aliorum scriptorum lectione haud mediocres comparaverit oportet,

quibus similitudines et analogias per omnem Latinitatem rarissime dispersas diligenter collegerit, collectasque ad locos Propertii idoneos vel explicandos vel persanandos adhibuerit, tum vero etiam usu poetae assiduo et quodammodo familiari bonam vitae partem dederit. An quod in amicorum moribus fere contingere animadvertimus, ut plurima quae aliis insolentia videantur, vitiosa et immania, si consuetudine quotidiana omnem viri vitam penitus cognoverimus, nobis non solum ferenda, sed omni laude digna esse appareat: idem hoc in scriptoribus fieri negemus? Quamquam esse in illo libello, quae tollere velis, multaque nos ingenii laude non carentia, immo certa probabilitatis specie blandientia invenisse minime infitiamur. Quae si tanti erant, deinceps locis suis annotavimus. Ubi tamen nobiscum dissidebat, quod saepe redarguendi molestia contra morem nostrum supersedendum esse duxerimus, mirari noli. Nam qui inventa sua, sive vera sunt, sive falsa, argumentis negatis tamquam decreta certissima non uno loco pronuntiat, et auctoritate potius sua qualicunque litem praecidere, quam certis rationibus demonstrare verum conatus, adversarii sententiam breviter ut ineptam notasse satis ducit (cf. ad El. I, 13, 8. I, 9, 33. III, 15, 31.), is, mehercules, apud prudentes et modestos refutationis honore indignus videatur. — De librorum mss. pretio et cognatione, in quibus percensendis eius dissertationis summa versatur, quum plurimis locis nobis cum illo conveniat, ea parte qua a nobis discrepat, uter nostrum verum viderit, collata nostra (Quaestt. Prop. III. c. 5.) illiusque commentatione, doctorum erit aestimare. De multis locis, veluti de Groningano libro, aliter eum iudicaturum fuisse existimo, si in tot depravationum originem et causam eam, de qua ad El. III, 7, 22. III, 8, 11. III, 9, 36. III, 15, 3. IV, 4, 78. diximus, satis animum advertisset. Mentelianum vero codicem quia post Heinsium et Oudendorpium denuo excutere Keilio contigit, eos locos, quibus ab

ipso hic illic indicatis nova collatio cum Heinsiana nostra erroribus plus quam plane vulgaribus vel orthographiae discrepantia dissidet, enotare operae pretium visum est. Sunt enim hi:

I, 3, 43.: Interea leviter. I, 13, 28.: adduxi. I, 14, 24.: nec. I, 20, 13: Nec. II, 6, 20.: duro. II, 13, 47.: meminisset. II, 15, 44.: adriacum. II, 16, 15.: amicam. II, 19, 2.: colis. II, 29, 27.: narrabat. II, 30, 12.: vaderit. 26.: subire. 40.: vale. II, 31, 11.: In quo. II, 34, 31.: misis. 43.: componere. III, 9, 47.: minacem. III, 13, 2.: venerem; ubi tamen venere non Heinsii est error, sed Burmanni. IV, 7, 85.: Tiberina.

Ceterum unam rem ut caveant lectores commentariorum meorum impense admonitos velim, ne interpretationem Propertii Germanicam ante hos sex annos in collectione poetarum Romanorum Metzleriana editam prorsus et ab omni parte nostram esse censeant. Quod et ab iis factum esse intelligo, qui in suas collectiones carmina non pauca inde transtulerunt, Henningio et Borbergio, et ab ipso Keilio. Sciant enim, eos qui corpus illud Stuttgardianum edendum tunc curabant, viros illustrissimos Osiandrum et Schwabium, ea tantum exceptione interpretationes ab aliis factas recepisse, ut sibi recensere eas et quae et quo loco sibi videretur, corrigere et interpolare liceret. Hinc tot versus nostri adulterati sunt, ut saepe nunc, quae mea sint, quae editorum, dubitem. Praeterea carminum inscriptiones, quibus non utique omnibus vera argumenta examussim reddi video, non a me sunt, sed ab illis additae. Tum operarum erroribus et aliis locis illa exemplaria pullulant, et imprimis lemmata scripturae discrepantis in annotatione admixtis insuper editorum inventis, prorsus perturbata sunt. Neque enim id quod volueram praestant, ut ubicunque ab editione Gottingensi et Barthiana recedendum mihi visum fuerit significent, sed nescio quas

scriptiones undique corrasas, et quae saepe cum interpretationis verbis veluti frontibus adversis pugnent.

Denique ne quidquam in extremo hoc operis limine praeteriisse viderer, quod relictum noceret, primum coniecturarum quarundam mentio facienda est, quas Schneidewinus noster in censura commentationis Keilianae in Actis Gotting. N. 74. et 75. p. 730 sqq. protulit. Ac de El. quidem II, 18, 5. ubi aetas me conderet annis proposuit; II, 32, 23. ubi n. maledixit ad a. tentavit; I, 7, 16. ubi audacius: Quam noles n. te violasse d., tum El. I, 8, 22. ubi pro vita — sueta; I, 12, 2. ubi pro conscia Roma — Cynthia nostra; IV, 1, 108. ubi pro versus — rectus maluit: de his igitur locis satis nunc videtur, ad commentarios nostros provocasse. Elegiae vero IV, 3, 48. quod pro Africus ceteris coniecturis reiectis Tetricus rescribendum esse ideo censuit, quia Pater hoc loco attributum postularet: attributo nequaquam opus esse his similibusve locis, ubi summus Pater, qui coeli et aeris regnum tenet, aperte significetur, duo haec exempla satis declarant: Horat. Od. I, 2. init.: Iam satis terris nivis atque dirae grandinis misit Pater — et Virgil. Georg. I, 283.: Ter Pater extructos disiecit fulmine montes.

Iam superest, ut harum litterarum causa ipse mihi gratuler, quod in emendationem versus Hermesianactei (in nobili illo fragmento v. 72.), quam ad El. III, 22, 15. protuli (Ὀρτυγίην pro ὠρυγῇ), nunc demum, postquam commentarii nostri iam dudum Halas migraverunt, Bergkium virum elegantissimum multisque nominibus mihi coniunctissimum in commentatione Marpurgi hac aestate edita incidisse animadverti.

D. Elbingae VIII. Kal. Decembr. 1844.

Commentarii

in

Sex. Aurelii Propertii Elegiarum

Libros quattuor.

Commentarius
in
Sex. Aurel. Propertii Elegiarum
Librum I.

Nautae agnomen, quod in plerisque codd. mss. Propertio haesit, per se quidem nihil habet, cur Propertiorum familiae adiici non potuerit. Sed cum et ab aliis libris msc. et a Nonn. absit, non iniuria VV. DD., ex depravata El. II, 24, 38. scriptione navita dives a librariis semidoctis additum id esse iam dudum suspicati sunt. Neque tamen illud ipsum ulcus futurum fuisse crediderim, ut tanto consensu librorum omnium auctoritate defenderetur, nisi aliis quoque locis, non modo cum mari poetae nostro commercium aliquod fuisse, sed sua navi etiam usum, et mercaturam fortasse eum fecisse festinanter legenti persuaderi potuisset. Quo cum elegia huius libri 17. universa pertinet, tum El. II, 30, 19. sq.

Nunc iam, dure, paras Phrygias nunc ire per undas
Et petere Hyrcani litora nauta maris —

ubi v. comm. Add. II, 9, 30.: *quid... mea si staret navis in Oceano*, et IV, 1, 147.: *Nunc tua vel mediis puppis luctetur in undis.* Quo de usu pronominis possessivi accuratius diximus Quaestt. II, 6. pag. 139. §. 20. Cf. praeterea ad nostrum argumentum II, 14, 29. III, 9, 35.

De inscriptione Cynthia monobiblos huic potissimum primo libro ab ipso poeta destinata v. Quaestt. II, 7. §. 207. sqq. III, 2. p. 220. sqq.

Elegia I.

Argumenti dispositionem illustravimus Quaestt. L. I, 6. §. 41. et p. 93. De temporis vero rationibus diximus ibid. §. 3. p. 15. sq. c. 6. p. 41. c. 5. p. 23. sqq.

v. 1. Cynthia. De nomine puellae et de vita eius fatisque vide, quae exposuimus Quaestt. L. I, 6. p. 32. sqq.

suis-me cepit ocellis. De variis comparationum modis, quibus oculorum in amore vis a poetis illustratur, vid. ad El. I, 19, 5. Hunc locum optime illustrat ex Latinis Ovid. Amor. III, 12, 48.:

Perque tuos oculos, qui rapuere meos,

e Graecis vero Sosipater, ep. III. Anall. Br. A. P. p. 96.:

γλῆναι
σπλάγχνων ἡμετέρων δίκτυα καὶ παγίδες.

Neque alienum ea metaphora Meleagri ep. 37. Anall. Br. *Μυίσκος - ὄμμασι τοξεύσας*, vide enim ad v. 2. Adde eund. ep. 70. 75. et quae confert, Pierson. Verisimm. p. 147. Aristaenet. I, 1. Liban. p. 710. D. Oculis enim amata puella vel amasium tamquam sagittis utitur. Qua re ne ea quidem absona, quae Iacobs. citat ad Anth. Gr. p. 19. Quamquam quia diversa illic miscet, praeter Ovidii versum modo allatum, nostro loco Appuleium tantum Metam. II. p. 98. Ruhnk. et Philostrat. Epist. L. p. 938. inde adhibere licuit.

v. 2. Meleagri locum (ep. 37. Anall. Br.) nostro ita similem, ut Propertii animo obversatum non iniuria coniicias, integrum ponere iuvat:

Τόν με πόθοις ἄτρωτον ὑπὸ στέρνοισι Μυίσκος
Ὄμμασι τοξεύσας, τοῦτ' ἐβόησεν ἔπος·
Τὸν θρασὺν εἷλον ἐγώ· τὸ δ' ἐπ' ὀφρύσι κεῖνο φρύαγμα
Σκηπτροφόρου σοφίας ἠνίδε ποσσὶ πατῶ.

Vides pueri oculis non modo tamquam sagittis percussum; sed captum etiam Meleagrum; vides deiecta lumina, quibus sapientiae fastus insederat, vides integrum antea cupidinibus pectus. Neque tamen satis caussae fuit, cur VV. DD. et *Πόθοις* maiore initiali scriptum exhiberent, et hac rursus auctoritate nisi etiam in Propertio Cupidinibus reponerent, de Diis, non de mentis sollicitudine interpretati. Primum enim ancipites tali in re metaphorae et allegoriae, qualem Quaestt. II, 4. p. 77. 78. definivimus, termini sunt et cum curis saucium vel contactum pectus nemo scribere dubitet: *πόθοις ἄτρωτος* vel cupidinibus contactus quin utraque lingua optime dicatur, ambigi non potest. Deinde, ut verbum contactum a spiculorum iactu sumptum sit, quod et Meleagri l. l. suadet et Propertii II, 12, 18. II, 34, 60. (add. II, 13. init.), qui versus vulgo huc solent referri: tamen nec necessarium — si quidem simillima in caussa El. I, 9, 29. idem Propertius: „Amor," inquit, „qui non ante patet, donec manus attigit ossa" — nec, si accipiamus, metaphoram tolli cogeret. At illud ipsum

verbum contingere, in participio maxime de morborum, multo saepius et de veneni contagione, quam de telorum iactu dicitur. Illius enim usus exempla in metaphoram declinata cum mihi nulla suppetant, alteri ultro se offerunt. Liv. IV, 9.: contacta civitate rabie; XXIX, 8.: Sacrilegio contactos milites furor agitat; ibid. XXXI, 8.: contactis gentibus Punici belli societate; XXXVIII, 55. Iam vero si propriam verbi voluntatem, qualis apparet Lucret. II, 852. Plin. N. H. XI, 53. consideres, optime eam in animum insania amoris aegrum transferri, fatendum est. Quod et Ovidius fecit (Metam. IX, 482.) et Valerius Flaccus (Arg. VII, 173.). Atque hoc illud est, quod Propert. II, 12, 19. significat: Intactos isto satius tentare veneno, ubi non tam sagittis, quam medicamento, quo illitae sint, intactos intelligi patet. His ego rationibus permotus cum Lachmanno cupidinibus rescripsi, non propter hostem toties mutatum, „puellam, Cupidines, Amorem," quam ille potissimam eius rei caussam asserit. Nam in talibus etiam figuris varietatem Propertius non fugit, sed expetit. Cf. enim Q. P. II, 4. p. 76.

v. 3. Quid sit: „mihi deiecit lumina — Amor," optime illustravit Hemsterhusius; neque ita recondita erat sententia. Unum dubitare video Wassenberghium, qui in notis mss.: „Deiicere alteri oculos, ut pudefiat et victum se fateatur, an quis idoneus auctor dixerit," ignorare se ait. Quid, quod Meleagri Myiscus supercilia amatoris pedibus calcat? Propertius ipse sui interpres optimus: II, 30, 10. „Amor," inquit, „tollere numquam te patietur humo lumina capta semel." Quod vero, qui auctor facti fuit, commisisse illud ipse dicitur, prorsus hoc Propertianum est. Cf. enim Q. P. II, 6. p. 153. Hoc vero loco cum pronomen mihi omnem dubitandi caussam adimat, num idem alter scriptor dixerit necne, haud equidem curo.

lumina-fastus. De genitivi voluntate diximus Q. P. II, 6. p. 154. 155. Usus apud Latinos perrarus, quamvis insolentius etiam sit, quod habet Lucret. III, 42.: Tartara leti. Sed Graeci sine dubio exemplum praeiverunt. Sic Arist. Eccl. 1018. τρυφᾶς πρόςωπον pro τρυφερὸν πρόςωπον. ὡρεὰς χάριτος Plat. Legg. VIII. p. 844. D. Cf. Bernhardy. Synt. Gr. p. 163. §. 45.

v. 4. De suavi hac triumphantis Amoris imagine cf. El. II, 30, 7. sqq.; ex Graecis vero Meleagri ep. 28. ap. Brunck. (A. P. p. 575.)

Κεῖμαι, λὰξ ἐπιβαῖνε κατ' αὐχένος, ἄγριε Δαῖμον,
Οἶδά σε καὶ μὰ θεοὺς καὶ βαρὺν ὄντα φέρειν.

tum Iulianum Aegyptium Anall. Br. II. p. 496. epigr. 12. ibique

Iacobs. Anim. X. p. 375. Paull. Silentiar. Anall. Br. III. p. 77. ep. 20. A. P. p. 131. Anacr. ap. Athen. XIII. p. 564. D. Eustath. ad Iliad. p. 1442, 47. Iacobs. Animadv. in Euripid. p. 308. Bach. ad Hermesion. Frgm. 5, v. 84. p. 169. Hinc ἁβροπέδιλος Ἔρως dicitur Meleag. ep. 21. coll. Platon. Symp. p. 195. D.

v. 5—8. Sententiam explicavimus Quaestt. I, 6. p. 41 sq.

v. 9. De Milanione praeter locos a Burmanno relatos (Athen. X, c. 6. ibid. Ovid. Amorr. III, 2, 29. A. A. II, 188.) cf. Schol. ad Euripid. Phoen. v. 152. et ad 153. e cod. Voss. Leid. Io. Schrader. in Animadv. ad Musaeum p. 258. Veram nominis formam pro codicum stribligine primus Propertio reddidit Volscus. Ne confunderetur hic Μειλανίων cum Μελανίωνι (Arist. Lysistr. 786.), admonuit Hemsterh.

v. 10. Iasis non ab Iasius facta est, ut vulgo referunt, sed ab Iasus, quae est tertia forma nominis alias etiam Iasion pronunciati. Pluribus exposuit Hemsterh. Schol. ad Aristoph. Plut. p. 207. Valcken. ad Schol. Euripid. l. l.

v. 12. videre feras. Contra Heinsium iure tuentur Hemsterh. Lachm., qui videndi verba pro adire, vel experiri utraque lingua poni, plurimis exemplis demonstravit.

v. 13. Hylaei. Perreii et Volsci coniectura omnium criticorum consensu recepta. Olim tentabam Phyllei, quod propius certe a librorum vestigiis abest. Et placeret fortasse, si de Phylla Arcadiae regione, vel Argolidis Parthenio finitimae omnia essent explorata. Cf. Stat. Theb. IV, 45. ibique Barth. — percussus vulnere rami. Optime defendit a criticorum ausis Lachm. coll. Cic. Acad. I, 3, 11. Gell. N. A. IX, 12. Sil. It. V, 251. Rami vero, agrestia tela, tribuuntur aetatis fabulosae viris (Lucret. V, 1283.) non modo Centauris, sed etiam Herculi, velut Virg. Aen. VIII, 250. Propert. IV, 9, 15., ubi clavam significari v. 17. demonstrat, et Hylae I, 20, 30. Sic etiam ramis adhuc virentibus vel totis arboribus pugnantes Semiferos conspicimus in metopis Phigaleis, et in zophoro Thesei. Cf. Stuart. Antiquitt. Athen. III, c. 1. pl. 21—24. Mueller. et Oesterl. Monument. Artis Antiq. Vol. I, fasc. 2. Tab. XXI. n. 110. Ceterum ramus de unoquoque ligno dicitur, velut de torre Althaeae Ovid. Metam. VIII, 461. quem tamen stipitem praeustum paullo antea descripserat.

v. 18. notas-vias. Non satis docuerunt interpretes, quae viae Amoris dicantur notae (antea). Sunt autem eae, quibus ille deus insinuare se pectoribus puellarum solitus erat. Plautus docet Trin. III, 2, 41: ipse amoris tenco

omnes vias. Ita est Amor: balista ut iacitur: nihil sic celere est, neque volat. Cf. El. II, 4, 10.

v. 19. deductae-fallacia lunae. Cf. Quaestt. II, 6. p. 120. §. 8. p. 156. §. 28.

v. 20. sacra piare. Nescio an solus Propertius dixerit. „Pie facere; nil amplius" vulgo interpretantur. Nec equidem impediam, si loci, qui ad hunc usum a Barm. Kuin. all. referuntur, addicerent: III, 10, 9., arae piari dicuntur (item IV, 9, 55.) IV, 1, 50., ubi rura, IV, 9, 25., ubi fontes. His adde busta IV, 7, 34. At hac lege Propertius scribere debebat: magicos sacris piare focos. Sed piare, cum primum sit pium et propitium reddere, et Dii piari dicuntur et Deorum ostenta (Ovid. Fast. III, 291. 391. Plin. N. H. II, 25. Ovid. Heroid. XIX, 194.), et scelera (piacula), quibus Deorum ira minatur. Iam vero, quoniam omnia, quae Deorum cultui adhibentur, nisi sacro ritu faustisque formulis lustrata profana existimantur et impura: aras, fontes, rura Diis dicanda piari antea oportet. Hinc sequitur, ut sacra nostro loco non sacrificandi actionem (hac enim demum arae piantur), ipsam significent, sed res sacrificio oblatas, sive victimas, sive latices et herbas magicas, quae certis carminibus certoque ritu Diis adolentur.

v. 22. facite illa meo palleat ore magis. De pallore, amantium proprio, satis egerunt interpretes. Absurde autem Wassenbergh. in notis mss.: „Facite, ut illa me magis depereat," quasi iam antea Cynthia Propertium amasset, nec ille plus cuperet, quam ut ardentius. Ablativus potius ex comparativo pendet, ea figura, de qua diximus Quaestt. P. II, 6. §. 28. p. 150. et ad El. II, 3, 21.

v. 23. De attractione pronominis v. Q. P. II, 6. p. 137. §. 19.

v. 24. Cytaines. Quod in codd. legitur Cytainis primum ab Iacobo in ordinem receptum, id omni utriusque sermonis analogia caret. Nam adiectiva gentilia in-inus desinentia, Italis imprimis civitatibus propria (cf. Steph. Byz. s. v. *Ἀμπελος*. Odofr. Muellerus de Etruscis I. p. 35.) nunquam ducuntur a nominibus, quorum ultimam diphthongus antecedit. Quare cum Nicainus (vel Nicaeinus), Phocainus, Elainus, Histiainus ne fando quidem sint audita, ut hybridam et barbaram istam positionem Propertius Graecarum formarum alioquin amantissimus (cf. Quaestt. L. II. c. 6. p. 163. sqq.) finxerit, nequaquam adducor. In promptu igitur erat a Cytaea formatum Cytaeaeis restituere, quod a Guyeto inventum reliqui VV. DD. usque ad Iacobum certatim arripuerunt. Quamquam, quod eodem modo ap. Virgilium (Aen.

III, 386.) et nostrum (II, 32, 4. III, 17, 31.) ab Aea Aeaeum fieri censuerunt, in eo falsi sunt. Nam insula, unde Circe vel Calypso (cf. enim ad III, 12, 31.) cognomen habet ipsa iam Aeaea audit, non Aea (Odyss. X, 135.) Cui rationi si Medeae nomen accommodaveris, Cytaeam habebis, non Cytaeaeam. Nec tamen, modo codd. addicerent, magnopere pugnarem. Certe Valerium quidem Flaccum Aeaeum ab Aea (i. e. Colchide) effinxisse video Arg. V, 287. VII, 191, 281. Ut nunc est, quin in litera *n*, quae pertinaciter in omnibus libris mss. haeret, veri quid lateat, non ambigo. Iam vero, cum satis constet, oppidum et *Κύταν* (vel *Κύτην*) et *Κυταίαν* appellatum fuisse (coll. Schol. ad Apollon. Arg. II, 401. Orph. Argon. 1004. Suid. s. v. Tzetz. ad Lycophr. 1312. Hermann. ad Orph. H. v. 819. *Κύταια* Bachmann. mavult ad Lycophr. l. l.) unde Stephano Byzantio teste civis *Κυταιεύς* (cf. Apollon. III, 286. 402. rectius fortasse *Κυταεύς* scripseris, ut *Φωκαεύς* a *Φωκαία*. cf. Lobeck. ad Phryn. p. 41. — sed utraque ratio posterioribus temporibus promiscue obtinuit. Vid. Buttm. Gr. gr. ampl. §. 119. A. n. 56. 57. T. II. p. 432 sqq.), femininum modo *Κυταία* (a masculino *Κυταῖος* Apoll. II, 1094.), modo *Κυταϊάς* (vel ionice *Κυτηιάς*. Orph. Arg. 904.; unde correxit Meinek. Euphorion. ap. Eustathium ad Od. Δ. p. 1493.), modo *Κυταΐς* (sive *Κυταιΐς* Apollon. II, 399. coll. IV, 511.) quod Ionica positione in *Κυτηΐς* mutatum in iisdem Orphicis invenies v. 579. et ipse Propertius habet II, 4, 7., eadem proportione, qua pro Adrastis-Adrastine, Nereis-Nerine, Oceanis-Oceanine, Merois-Meroine exquisitiore forma dicitur (unde vel Neptunine effingere Catullus ausus est LXIV, 28.) a *Κυταΐς* vel *Κυτηΐς* plane *ἀναλόγως* factum est *Κυταΐνη* vel *Κυτηΐνη*, unde genitivum suo more Graecum (cf. Quaestt. l. l. p. 162.) Propertius posuit Cytaines vel Cyteines. Utram enim harum formam an tertiam denique Cytaeines (i. e. *Κυταίνης*) praeferamus, non liquet, nisi quod Ias lingua, cuius propria haec est terminatio, Cyteines maluerit. Interim quo optimi libri ducebant, sequuti sumus. — Ceterum patronymicorum usum non intra filiorum nepotumve appellationes substitisse, sed etiam pro gentilibus iam antiquitus usu venisse satis constat. Cf. Voss. Art. gr. IV, 28. Ruddim. Institt. I, c. 5. not. 11, 4. P. I. p. 188. ed. Lips., et unde illi doctrinam hauserunt Priscian. Art. Mai. II, 7, 39. Add. Lobeck. ad Buttm. gr. l. l. p. 436. 437. p. 439. Quamquam quum ipse Aeetes *Κυταῖος* sit dictus (Callim. frgm. 14. Ernest.), etiam paterno nomine Medea *Κυταΐς* sive *Κυταΐνη* audire potuit.

Olim tentabam: Cytinaeis, i. e. Thessalicis. Steph. Byz. s. v. *Κύτινα*, inquit, *πόλις Θεσσαλίας ὡς Θέων ἐν ὑπομνήμασι Λυκόφρονος* (1389: *Λαχμώνιοί τε καὶ Κυτιναῖοι Κόδροι*), *ὁ πολίτης Κυτιναῖος*. Qua coniectura admissa hi versus (24. et 25. sq.) accuratius etiam expressi videantur in *παλινῳδίᾳ* El. III, 24, 9. sq. quos ad hanc primi libri elegiam referendos esse constat:

Quod mihi non patrii poterant avertere amici,
Eluere aut vasto Thessala saga mari.

Sed *ἐπέχω*.

v. 25. Aut Hemsterh. Propertio reddidit.

v. 27. ferrum-ignes. Docte ab arte chirurgica metaphoram duxit. His enim duabus rebus potissimum vulnerum curatio continetur; et aptum est simile ad violentiam remediorum significandam. Cf. El. III, 24, 11. Senec. Agam. v. 152. Ovid. Heroid. XX, 183. Rem. Am. 229. et iocabundus idem Amorr. I, 14, 25. de comis amicae calamistro fractis: „Quam se praebuerunt ferro patienter et igni.“ Exemplum Graeci praeiverunt, quos huc adhibet Hemsterh. Lysid. epist. ad Hipparch. I, 78. Xenophon K. A. p. 217. v. 22. *καὶ γὰρ ἰατροὶ τέμνουσι καὶ καίουσιν ἐπ' ἀγαθῷ*. His add. Platon. ap. Diog. Laert. III, 85.: *ἡ δὲ χειρουργικὴ διὰ τὸ τέμνειν καὶ καίειν ὑγιάζει*. Hippocr. de Medico p. 13, 18. ed. Basil. *ἐπὶ δὲ τῶν χειρουργιῶν ὅσαι διὰ τομῆς εἰσιν, ἢ καύσιος*. Cf. Heusd. Spec. Crit. p. 91. Plura dabunt Stanl. et Blomf. ad Aesch. Ag. v. 822.

v. 28. Ne interpretum vulgo credas, haec est sententia: Libenter remediorum cruciatus feram, dummodo iracunda verba, quae nunc amore captus miser retineo, in morosam dominam palam ingerere liceat. Verum vidit Hemsterh.

v. 31. Heinsius ore pro aure. Hinc doctas turbas moverunt critici. Frustra. Nam qui aure annuentem Deum, quasi asinum (*ὄνῳ τις ἔλεγε μῦθον· ὁ δὲ ἐκίνει τὰ ὦτα*) deridiculo habent, hi ne risum doctis ipsi debeant, admonendi sunt. Ablativum enim, q. d., instrumenti faciunt, qui modum significat. Cf. II, 16, 48.: Non Iuppiter — surda negligit aure preces.

v. 32. pares, i. e. bene consociati. Cf. el. 5, 2. Horat. Epod. 15, 14.

v. 34. De prolepsi pleonasmo simili diximus Q. P. II, 6. p. 140. §. 21. Huc pertinent Lucretiana plurima, velut I, 50. sq. natura peremta resolvet; ibid. 344. Non motu privata carerent; II, 18. Cum corpore seiunctus do-

lor absit, et locus nostri simillimus ibid. v. 15.: Religiones vacuum pectus linquunt.

v. 36. Q. P. II, 6. p. 151.

Elegia III.

De dispositione v. Q. P. II, 5. p. 88. Idem argumentum persecutus est Silentiarius, Anall. Br. III. p. 76. ep. XVII. A. P. V, 270. p. 130.

Οὔτε ῥόδον στεφάνων ἐπιδεύεται, οὔτε σὺ πέπλων
οὔτε λιθοβλήτων, πότνια, κεκρυφάλων κ. τ. λ.

sed variatis paullo coloribus.

v. 1. vita. Q. P. II, 6. p. 151.

v. 3. Orontea. Antiochia enim totius orientis emporium, unde Arabiae etiam odores Romanis veniebant: v. Broukh. Interpp. ad Hor. Od. II, 7, 8. Salmas. ad Solin. p. 746. Iacobs. Animadv. ad Anth. Gr. T. VI. p. 12. — myrrha scribendum recte Chr. Bachius admonet; murra enim, quod Lachmanno placuit, lapis est, non herba; alia denique Ennii, alia Propertii orthographia.

v. 4. muneribus ablativus est, non dativus, uti Barthius et Strombeckius censuerunt. Vendere vero idem est, quod venditare et iactare. Cf. Petron. 126.: Quo enim spectant flexae pectine comae — nisi quod formam prostituis, ut vendas. Iuven. VII, 135.: Purpura vendit — causidicum.

v. 9. Lachm. in ed. Berol.: „quo summittit — Et veniant.“ Qua sententia, non intelligo. Ego vero priore versu optimas membranas secutus quos summittit scripsi, non quo hic, ut alias, pro lubitu Propertius modos verbi variaverit (plurima enim eius generis exempla Lachm. docta manu hic congessit), sed quia pronomen quos relativum est, non interrogativum. Sic demum eas colorum species, quas versibus insequentibus poeta recenset, ad suum genus recte referuntur. Haec igitur Propertii sententia: Aspice colores, quos terra submittit; iam videbis, ut sponte sua melius veniant.“ Qua interpretatione simul dubitanti in ed. Lips. Lachmanno respondetur, quod hic, ubi natura ipsa arti conferatur, „summittit“ nude positum sit, cum etiam coacta arte humus flores summittat. Hoc etiam Keil. sensit, qui glossemate interpolatum esse locum ratus pro formosa-muscosa substituere mavult. De pronominum vero rell. et intt. differentia a grammaticis saepe confusa cf. Spalding. ad Quintil. IV, 5, 26. Krüger. ad Gramm. Lat. Grotef. p. 827. annot. 2.

v. 10. Eadem de caussa versu breviore Ut, quod et Perreianus emendator ad marg. Aldinae annotavit, et Aldina a. 1500. prima in ordinem recepit, vel contra libros tuendum existimo. Et enim hac sede non modo durum est, se ne Latinum quidem. Idem vero Lachm. „humum formosam“ ab Heinsii et Wakefieldi coniecturis optime protegit.

v. 11. Infelici conatu Burmannus: pomosior arbutus. Elegantius sane Bentleii inventum frondosior, doctissimum vero Lachmanni: felicius. At nulla emendatione indiget locus. Quid enim in carmine, quod totum de forma agit, hanc vocem aliquoties repetitam inveniri miremur? Talia vitare vel contra naturam erat, quam ipse nunc poeta ut optimam pulchri artificem commendat.

in — antris, aut in hic, ut I, 1, 11. 3, 6., iuxta dictum, aut antra (quod magis placet) et hic et I, 1, 11., recessus sunt montium. Sic IV, 4, 3.: lucus hederoso conditus antro, ubi v. comment.

v. 13. Maxima hic codicum dissensio. Neque enim persuadent, quod Neapolitanus cum asseclis suis exhibet, ex prompto illo et facili collucent, quod est Groningani multorumque proborum librorum, nasci potuit. Et tamen error apertus. Itaque erat, cum tentarem perfundat, quod ad subiectum lympha referretur. Sed laborabat aequa et simplex membrorum dispositio, qua suum cuique versui subiectum tributum est, suaque integra sententia. Itaque nunc scripsi praelucent, quod verbum in littore lapillis praetexto aptissimum est. Fortasse menti obversabatur Lucretianum illud II, 374.:

Concharumque genus — videmus
Pingere telluris gremium, qua mollibus undis
Littoris incurvi bibulam pavit aequor arenam.

Plura autem liceret addere eiusdem significationis exempla, nisi a librariis passim esset oblitteratum et cum potiore vocabulo: perlucere confusum. Illud tamen tueor Lucan. X, 141.: Candida purpureo praelucent pectora filo et ap. Plin. N. H. XXXII, 52. extr. Pulmone si confricetur lignum ardere videtur, adeo ut faculae instar praeluceat, i. e. in extremo margine luceat. Sin eodem hic quoque iam pridem aberratum erat, quam facile in utramque partem et lucent (i. e. collucent) et persudent, vel adeo in illud persuadent codices abire potuerint, manifestum est.

v. 14. nulla dulcius arte canunt. Ablativi usum singularem sicco, ut aiunt, pede transierunt interpretes; nos, quo pertineat, indicavimus Q. P. II, 6. §. 18. p. 137. Neque enim tantum significat: cum nulla ars adest, quan-

tum eo, quod nulla ars adest, vel absentia artis. Audacius etiam Ovid. Metam. II, 281.: liceat perituraе viribus ignis Igne perire tuo, clademque auctore levare? ubi cave, ablativum illum instrumenti, in rebus tantum concessum, ad personam relatum credas. Est potius: „clad. lev. eo, quod auctor is est, qui auctor est, i. e. tu“ (*τῷ σὲ εἶναι αἴτιον*). Add. ibid. VIII, 493.: mortis mihi displicet auctor, pro eo: me esse auctorem. Ipsa enim, quae loquitur, auctor est. Et quod propius etiam ad nostri loci naturam accedit VIII, 684.: Et veniam dapibus, nullisque paratibus orant, i. e. *τῷ οὐδεμίας εἶναι παρασκευάς*. Eodem rem redire, quo illud genus, quod ad El. II, 7, 6. et IV, 1, 41. illustravimus, apparet; nisi quod durius hoc etiam propter participii absentiam, quo in verbo substantivo latinitas caret.

v. 17. De metonymia cf. Q. P. II, 6. §. 28. p. 151.

v. 25. ne sim tibi. Post Italos Scaliger invexit: „Ne sis tibi.“ Lachmannus pristina verba postliminio reduxit. Recte. Nec Iacobi emendatio, quamvis ingeniosa — Non ego nunc verear? placet. Nam orationis nervi enthymemate artius solito adstringuntur. Latet enim hic syllogismus, qui totius carminis dispositione intelligitur. Non credo, te istos de vulgo amantes potius quam me captare. Atqui ego sic sentio, satis cultam esse puellam, si modo uni amatori placeat (quem hic poetam ipsum esse, omnis elegia docet. Apertius II, 18, 30. Mi formosa satis, si modo saepe venis et II, 7, 19.: Tu mihi sola places, placeam tibi, Cynthia, solus). Ergo tu, quae mihi places, mitte luxurias. Tanto, hercle, gratior eris. Eandem rationem iam interpretatione Germanica a nobis propositam Keilius sequitur (p. 9. 10.) dissimulato tamen auctoris nomine.

v. 27. sqq. Apte ad sententiam comparant Epigr. Anonym. Anall. Br. III. p. 313. n. 743.

Μορφᾶς ἓξ πρωτεῖον ἔχειν δωρήσατο Κύπρις,
Ἔργα δ' Ἀθηναίη τερπνὰ σαοφροσύνας,
Μοῦσα δὲ καὶ σοφίαν καὶ παχτίδα τὰν φιλέραστον
σύμφωνον ἐρατοῖς μιξαμένα μέλεσιν.

Exemplum primus omnium Hesiodus praeivit in Pandora.

v. 29. gratia. Hic, ut alibi ambigas, Deaene nomen sit, an appellativum. Similiter Graece *χάρις* ap. Phocylid. Anall. Br. I, p. 78. *οἷς οὔτ' ἐν μύθοις ἔπεται χάρις οὔτ' ἐνὶ βουλῇ.*

v. 31. nostrae vitae i. e. nobis dum vivimus. Cf. Q. P. II, 6. §. 28. p. 149.

Elegia III.

De dispositione carminis v. Q. P. I, 4. p. 71. Varios hinc flores decerpsit Paull. Silentiarius, nec tamen omne argumentum exsecutus est. Cf. enim ep. 12. Anall. Br. III. p. 75. A. P. V, ep. 275. p. 133. T. I. p. 169. Iacobs., cuius primi versus:

Δειελινῷ χαρίεσσα Μενεκρατὶς ἔκχυτος ὕπνῳ
Κεῖτο περὶ κροτάφους πῆχυν ἑλιξαμένη.
τολμήσας δ' ἐπέβην λεχέων ὑπέρ —

versuum nostri carminis 1—12. quasi quandam epitomen continent. Hinc epigramma, longe, ut consentaneum, Propertii suavitate inferius, alio digreditur, nisi quod semina quaedam hic illic deprehenduntur, velut v. 4. *ἡ παῖς ἐξ ὕπνοιο διέγρετο* (cf. v. 33.: *ἡ δ' ὑποπιμπλαμένη δάκρυσιν εἶπε τάδε.* (v. 34. sqq.) *Σχέτλιε — οἰχόμενος δ' ἄλλην ὑποκόλπιον εὐθὺς ἑλίξεις* (v. 36. sqq.). Versuum vero huius elegiae 19. et 20. admonemur ep. 21. Anall. Br. III, p. 77. Anth. P. V, ep. 262. p. 130. *ἱστάμενοι δ' ἄγχιστα τεθήπαμεν ὄμμα γεραιῆς — οἷα πολύγληνον βουκόλον Ἰναχίης.* Ariadnae statuam certam Propertii animo obversatam primis versibus suspicati sumus Q. P. II, 4. p. 71. Frequens autem erat artificibus argumentum: Ariadne dormiens. Sic in tabula pictam describit Philostrat. Imag. I, 15. p. 785.: *ἐπὶ τῶν πετρῶν μαλακῷ κειμένην ὕπνῳ* (cf. Heyn. Opusc. Acad. T. V. p. 53.), sic epigr. *ἀδέσπ.* CCCIV. Anall. Br. T. III. p. 215. sculptam commemorat *ὑπὲρ πέτρας κεκλιμέναν.* Ex servatis monumentis praecipua recenset C. O. Müller. Archaeol. p. 514, 3. Qua re potissimum horum versuum virtus constet indicavimus Q. P. II, 6. p. 69. sqq. Non *κλίμακα* mutatis similibus continent, sed variis visionibus dormientis Cynthiae imaginem ab omni parte illustrant. Solitudinem enim Ariadna significat, — optatam diu quietem Andromeda, profundum somnum Baccha toto corpore resoluta.

v. 9. Ebria vestigia. Cf. Q. P. II, 6. p. 143. §. 24.

v. 14. durus — deus, i. e. violentus et imperiosus. Recte comparant Achill. Tat. II, 3. *Ἔρως καὶ Διόνυσος, δύο βίαιοι θεοὶ ψυχὴν κατασχόντες ἐκμαίνουσιν εἰς ἀναισχυντίαν.*

v. 15. Huschk. l. l. subiecto positam lacerto coniungit, comparato Paulli, quem supra posuimus vers. 2. Hic vero potius pertinet ad v. 9. Nam nobis, ut ablativum ex verbo temptare pendentem credamus, ordo verborum persuadet.

v. 16. Oscula apposita sumere et arma manu.

Olim interpretati sunt de telis obscoenis; et quo foedius suavissimi loci venustatem macularent, arma manu sumere coniunxerunt. Nec puduit virum D. in Actis Litt. Ienens. a. 1835. n. 79. p. 149. repetere eam explicationem testimonio adhibitis Lucret. IV, 400. Virg. Georg. III, 136 (?). In verbo tentandi autem inesse iubet significationem veneream Graeci πειρᾶν (coll. Hemsterh. ad Luc. I. p. 217. Interpp. Ovid. A. A. 273 (?)). Puduit tamen antea I. Fr. Gronovium (Observv. IV, 6.) cuius coniectura „ad ora" recepta est ab omnibus usque ad Lachmannum editoribus. Hic vero, ut toties, primus verum vidit, qui arma sumere simili poetis familiari et Propertio imprimis usitato (cf. ad El. II, 7, 15.) de ludis amatoriis in universum interpretandum, opposita autem manu ablativum absolutum habendum esse docuit. Restabat tamen scrupulus: verbum sumere diversa voluntate, altera propria (oscula sumere), altera metaphorica bis intellectum, et semel tantum positum. Sed vere Propertianum hoc ζεύγματος genus esse docuimus Q. P. II, 6. p. 132. Nec desunt aliorum poetarum exempla, fortasse etiam insolentiora, velut Virg. Aen. I, 264: Moresque viris et moenia ponet. Iuvenal. VI, 419.: Conchas et castra moveri nocte iubet, quo loco alter similior nostri inveniri vix possit. De insana enim muliere dictum, cui subito lavandi libido orta: nam castra movere simile a re militari sumptum; conchas movere id est, quod sonat. Audacissima vero Ovidius habet, qui huiusmodi lusibus gaudet, Metam. IV, 175: At illi et mens et quod opus fabrilis dextra tenebat, excidit. II, 602: vultus, plectrum, color (Apollini) excidit. Ne tamen sic quoque apposita manu quomodo oscula sumantur, dubites, Appuleium percontare. Docebit, quid rei sit. Veterator enim ille talium artium callidus. Metam. VI, p. 180.: Tunc Iuppiter pressa Cupidinis buccula manuque (i. e. sua, Iovis) ad os relata (int. buccula Cupidinis) consaviat.

v. 18. expertae iurgia saevitiae. Sic codd. praeter Scaligeri et Passeratii infimae notae, libros omnes. Isti vero: verbera, quod certatim arripuerunt Broukh. Burm. ceteri. Propertio nostrum reddidit Lachm., qui apte comparat Lygdam. (Tibull. III.) 5, 13.: insanae meditantes iurgia mentis.

v. 20. ignotis-cornibus Inachidos. Miratur dictum pro ignotae c. Inachidos, nec tamen corrigit Lachm. Nollem ineptias dixisset haec enallages exempla, quae quam necessariis paene vinculis cum universa poesis huius natura

coniuncta sint, quamque nostri poetae ingenium deceant, apparebit coll. Q. P. II, 6. p. 143. sq. §. 24.

v. 27. Difficile dictu, utrum duxti praeferas, quod plurimi libri tuentur, an duxit, quod est Neapolitani et cognatorum, Bernhardyo probatum (Synt. Gr. p. 424. coll. Wolf. ad Lept. p. 365. Heusd. Specim. crit. interpr. Plat. p. 4. Broukh. II, 24, (33.) 35. III, 18, 10. IV, 11, 39.) Cf. enim Q. P. II, 6. §. 5. p. 116. et ad El. II, 7, 1.

v. 32. De participii futuri usu eleganti vide Q. P. II, 6. p. 141.

v. 36. clausis expulit e foribus. Non intellexit (ed. Lips.) Lachmann. *πρόληψιν*, cum, quomodo quis e clausis foribus expellatur, sibi non liquere dicat. Probat ergo Heinsii inventum: reppulit a foribus; ipse vero propius litterarum ductus secutus aspulit a proposuit. Nec tamen ulla correctione opus. Nam ne de usu Propertii dicam, quem Q. P. II, 6. p. 140. §. 21. exposui, res in utraque lingua satis observata ab VV. DD., velut a Dissen. ad Tib. I, 8, 16. I, 1, 36. Lobeck. ad Soph. Ai. p. 299. Seidler. ad Eur. El. 442. Herm. ad Vig. p. 897. ad Soph. Trach. 106. Electr. 235. (243.) Bernhardy. Synt. Gr. p. 126. sq. Itaque reliquis omissis duo tantum exempla affero, unum Sophoclis (Antig. 1186.) *τυγχάνω — κλεῖθρ' ἀναστάστου πύλης χαλῶσα* (nam obice demum reiecto ianua *ἀνάστατος* fit), quo hic noster locus optime illustratur; alterum Ovidii, quod ad nostros sensus paene absurdum videatur Fast. V, 435.:

Terque manus puras fontana proluit unda.

quocum cf. Tib. II, 1, 13. Virg. Aen. I, 659. III, 237. De repetitis vero in verbis removendi praepositionibus vid. Dissen. ad Tib. I, 2, 84.; et exemplorum nubem hoc ipso loco collegit Broukh. Denique ne e foribus expulsum mireris, non de foribus vel per fores: Lygd. (Tib. III.) 3, 3. vel e limine prodire non veritus est dicere.

v. 34. Fortasse obversabatur Callimach. ep. Anth. P. V, 28. p. 91. T. I, p. 90. Iacobs.

οὕτως ὑπνώσαις, ἀδικωτάτη, ὡς τὸν ἐραστὴν κωμίζεις.

perducas. In una Gryphiana 1551. extabat producere, quod probatum Heinsio magno exemplorum molimine Broukhusius firmare ausus est. Et pervicit. Nam non modo Burmanni, Barthii, Kuinoelii exemplaria occupavit, sed, quod mireris, etiam Lachmanni ed. Lips. Iacobus expulit, quia verbo producere hilaritatis notio adhaeresceret. Recte; nec tamen opus erat ita circumagi. Propius enim sunt auxilia

Nam cum producere sit „longiorem reddere noctem“ aut certe „usum noctis vigilando extendere,“ perducere vero „ad finem usque, i. e. ad mane vigilare,“ hic, quid scribendum sit, etiamsi non tanto consensu codices poscerent, exacta sidera (v. 38.) dubitari vetant. Ceterum verba producere et perducere passim in codd. confusa exemplis plurimis docuit Drakenborch. ad Liv. XXXVIII, 50, 1. ad Sil. Ital. XV, 229. Doering. ad Cat. CIX, 5.

v. 43. leviter queri „erit submissa et quasi suppressa voce increpare; de quo vide notas ad Ovid. ep. III, 80.“ Sic Burmannus; recte, et convenit is questus solitudini et nocti. Neque igitur caussa erat, quare optimi cuiusque codicis auctoritate spreta graviter ab omnibus usque ad Iacobum editoribus retineretur.

v. 45. sopor impulit alis. Falso Burmannus ci. induit. Subest enim Callimacheum H. Del. 234: (*Θαυμαντίδι*) *λῃθαῖον ἐπὶ πτερὸν ὕπνος ἐρείδει.* Alas autem de amictu (Tib. III, 4, 55.) intelligi non posse, docet Heynius ad Tib. l. l.

v. 46. Illa f. lacrimis ultima cura meis — meta Heinsius coni. plaudente Br., creta Scaliger. Illevota Lennep. ad Coluth. II, 11. Ut curam tueantur, Burm. et Hemsterhusius ad medicorum filios provocant. Medicinam enim curam interpretantur. Falso; nam omnibus, quas offerunt, locis curatio est, non medicina, i. e. res, quae curationi adhibetur, qualis hoc loco esset somnus. Manet igitur in illa voce significatio curandi, quod medicorum et hominum est, non rerum. Plane contrariam medicinae in poeta amatorio et Propertio curae notionem esse docent III, 17, 4: curarumque tuo (Bacchi) fit medicina mero; I, 10, 17.:

Et possum alterius curas sanare recentis,
Nec levis in verbis est medicina meis.

Vides tantum abesse ut cura medicina sit, ut morbus habeatur, qui medicinis eget. Remedium igitur curae somnum dicere debebat Propertius (sic domitor curarum audit Senec. Agam. 76.) si Latine loqui vellet, non curam. Et tamen Burm. ita hic caecutit, ut ad firmandam suam interpretationem, alterum Prop. locum (I, 10, 17.) ipse attulerit, et quod magis mireris, etiam II, 25, 1.:

Unica nata meo pulcherrima cura dolori —.

Qui versus veram interpretandi viam digito quodammodo monstrat. Ut enim illic meo dolori idem est, quod mihi dolenti (Quaestt. II, 6. sect. II. §. 28. p. 149. extr. p. 151.

extr.), sic hoc loco: lacrimis meis-mihi lacrimanti. Quae autem cura fuerit Cynthiae lacrimanti, ipsa aperte prolocuta est, et tota elegia et v. 44.: „Externo longas saepe in amore moras.“ Ita demum attractio pronominis: Illa pro Illud dictum recte habet. Nam demonstrativum sic tantum genus praedicati sequi, si pro neutro aliud genus ponatur, certum est. (Cf. Q. P. II, 6. p. 139. §. 19.) Alioquin igitur „Ille-fuit-cura“ Propertius scripsisset.

Elegia IV.

Dispositionem v. Q. P. II, 5. p. 89., de Basso autem ibid. I, 5. p. 20.

v. 4. Non dubitavi reponere, quod Neap. cum sua secta tuetur, ducere. Unde enim in Groninganum ceterosque libros vivere venerit, intelligi facile potest: unde Neapolitani librarius nullius falsi suspectus ducere effinxerit, nullo modo potest.

v. 5. De nominum Graecorum formis hic ad Romanum modum declinatis contra usum Propertii solitum vid. Quaestt. II, 6. s. III. p. 164. s. IV. p. 175.

v. 13. Ex coniecturis omnibus, quibus hic versus vexatus est, praeplacet Iacobi: ingenuus calor. Sanum tamen esse, qualis libris mss. omnibus exhibetur, locum identidem pugno. Nam quod Santen. in notis mss. contra cogitandi leges peccari ait, cum formae (v. 10.) ingenuus color tamquam aliud quid opponatur: primum, non equidem formam et figuram saepe ad omnem speciem corporis externam et ad pulchritudinem referri negamus. Cf. potius II, 18, 32.: caerula forma; II, 29, 30.: candida forma; item II, 32, 58. III, 11, 16. I, 2, 7. sq. 24. ubi ingenua pulchritudo cultui quaesito opponitur, et heroinae, quae propter simplicem formam sola pudicitia partam laudantur, non falso candore maritos lusisse, sed eo colore fuisse conspicuae dicuntur, qui in tabulis Apellis laudetur. Attamen aliis locis bene utraque discernitur, ut II, 25, 41. sqq.

Vidistis pleno teneram candore puellam,
Vidistis fuscam: ducit uterque color.
Vidistis quandam Argiva prodire figura,
Vidistis nostras: utraque forma rapit.

Add. III, 24, 5. et 7. Contra quae si quis v. 5. pulchritudinem in universum aperte significari dicat, hic aut marmore exactas imagines poetae antiquorum operum perito obversatas esse existimet, aut, nisi Santenii inventum magis probet, colorem hic pudoris ingenui (II, 24, 4.) signum habentis,

Lachmannum audiat, qui „nativum et arte nulla infucatum colorem ingenuum“ intelligit. Recte; nam haec laus a forma segregata ad animum pertinet, cum puella — sive pulchra est, sive deformis, nihil refert — non vult alia videri, atque esse. Sic ingenui crines, nullis calamistris crispati, sed natura undulantes Stat. Silv. II, 1, 44. dicuntur, quos Petronius ingenio suo flexos appellat; ingenui fontes Lucr. I, 231.; ingenuus tophus Iuven. III, 20. Haec laus tanto magis in Cynthia placet, quanto acerbius contrarium amator deceptus puellae exprobrat. cf. III, 24, 7. Ne tamen quis his ipsis argumentis usus cum Scioppio „nullis decus artibus“ mallet, idem Lachmannus providit, qui Sallustii verba (Catil. XXV.) ad significandas quas Cynthia callebat artes recte adhibet: „psallere, saltare elegantius, quam necesse est probae: posse versus facere, iocum movere, sermone uti vel modesto vel molli vel procaci.“ Add. Quaestt. L. I, c. 6. p. 37. De ablativo vero Propertii proprio, cuius usus exquisitior non fugit hoc loco Lachmann. vid. ibid. II, 6. p. 136.

v. 14. ducere. Dicere Iacobus: receptum deinde a Lachm. ed. Berol., quod in hanc fere sententiam interpretatur: = Gaudia, quae, quamvis oculis testibus soleant expeti, tamen hic poeta verecundiae causa tectioribus verbis: gaudia sub tacita veste malit dicere. = Sed neque cur hic potissimum, ubi non (ut El. II, 15.) ultimo ardore abreptus poeta bacchatur et exsultat, verecundius loqui quam agere maluerit, apparet, nec quomodo res, quae Iacobo iudice minime essent occultae, contraria plane appellatione significare cui liceat. An εἰρωνα esse vult Propertium? Quae figura in huius loci simplicitate nimium quantum frigeret. Ne de Latinitate dicam plus quam suspecta dictionis, gaudia, quae dicere libet: „sub tacita veste“, pro hoc: „occulta tacita veste.“ At, si intentius quaeras, minime pugnabit lectio vulgata cum argumento El. II, 15. Illic enim ultima ardoris insania abreptus exsultat, ut ne pudorem quidem cum veste abiectum mireris. Hic ubi placide gaudia sua exponit, ea quae tegere et occultare communis verecundia solet, verbis ei pudori et verecundiae accommodatis significari par erat. An tu censes, Propertium semper, vel certe vulgo, ita libidine gestisse, ut eo quem attulimus loco? Quod nobis quidem flagitiosum videretur. Cf. enim, quam decenter aureae aetatis amores describat El. III, 13, 35. Itaque, quod Neapolitanus cum aliis tuetur, ducere rescripsi. Unde quam facili lapsu altera lectio oriri potuerit, constans docet librariorum his in vocibus error. Cf.

Burm. ad Nemes. Ecl. I, 63. Drakenborch. ad Liv. XXXVIII, 43, 1.

v. 23. Varia coniectant Heinsius et Ruhnkenius, quorum ille „non tinget," hic „Multas-consperget" legere maluerunt, quia, puto, in ablativo suis fletibus haerebant. Nam contemnere pro „fastidire et fugere" vulgo dictum ipsi sine dubio non ignorabant. Proximum nostro Virgil. Georg. IV, 104. de apibus: Contemnuntque favos et frigida templa relinquunt. Ablativus vero ille, quem si simplici verbo contemnere iunxeris et deinde negationem addideris, sententia pervertatur necesse est, expeditus videbitur, si quantum *κατὰ σύνεσιν* nectere verba Propertius amet memineris. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 16. p. 132. Atqui non contemnere cum idem sonet, quod adire, adorare, quid velit ablativus ille satis patet.

v. 27. nostri. nostro maluerunt Heinsius, Burmann., correxit Lachmannus. Antiqua probo; non quo pronominis possess. et gen. pron. person. usum hic promiscuum credam (cuius tamen usus exempla plurima collegit Haasius ad Reisig. Gr. L. §. 363. n. 540.), sed quia sic multo quam vulgari modo fortius duae res simul significantur. Etenim solutis mutui foederis vinculis, non solum Propertius amore se abdicasset, sed Cynthia etiam suas flammas, propitias antea, in odium conversura erat. Sic si accipias, novissimi etiam versus aptius coeant, quibus si salvae res manserint, nihil in amica inventurum esse se de quo queratur, Pr. significat.

Elegia V.

Dispositionem vide Q. P. II, 5. p. 89. De Gallo autem, cui haec elegia inscripta, fortasse Aelio, quem cavendum est ne cum Cornelio confundas, Foroiuliensi, cf. ibid. I, 5. p. 21. sq.

v. 2. Metaphora ab iugo dùcta (unde etiam coniugium), ut I, 1, 32. et apertius III, 25, 8.:

Tu bene conuenientes non sinis ire iugum.

Add. Auson. Solon. v. 2.: Par pari iugator coniux, quidquid impar dissidet. Cf. Hor. Epod. XV, 14.: Et quaeret iratus parem. Vix opus est in metaphora tam facili etiam Romanis (Catull. LXVIII, 118. Plaut. Pseudol. I, 1, 65.) ad Graecos provocare. Quamquam simillimum nostri Theocrit. Id. XII, 15.: *ἀλλήλους ἐφίλησαν ἴσῳ ζυγῷ.*

v. 5. Hemsterh. propter v. 8. maluit meae. Assentiebatur in ed. Lips. Lachm. Sed duae sunt res, quas cavendas amico Cynthiam tentaturo Prop. ait, et amoris vehementia furoresque (vv. 3. 6. 11. 12.), quales ipse iam annum insaniverit (El. I, 1, 7.), et impotentia irae muliebris fastusque superbi, si quando peccaverit. Hae duae res, cum alterutra per se non tam atrox malum futura sit, quoniam alteri expleta libidine, alteri contemptione facile licuit mederi, coniunctae demum intolerabiles fiunt. Itaque coniunctas proponere amico poeta debebat.

v. 8. non solet-tibi. Si opus esset. emendatione, praeferrem ceteris inventum librarii, qui codicem Cuiacianum interpolavit, sciet-tibi. Solet-viris, quod censor interpretationis Strombeckianae excogitavit (Act. Litt. Ien. 1835. p. 151.), Gallica nive frigidius. Sed recte Iacobus: „tibi ἠθικῶς intelligo." Cf. Haas. ad Reisig. Gr. Lat. p. 664. n. 542. Krüger. Gramm. Lat. p. 484. §. 365.

v. 9. Secutus sum, quo codicum vel discrepantium vestigia ducebant. Iam enim, quanto feliciore successu initio amicus usus fuerit, tanto gravius ei servitium imminere, poeta exponit.

v. 11. Versum non intellectum coniecturis variis tentarunt. Et censor quidem ille Ienensis solutis numerorum compagibus:

Non tibi iam somnos nox ulla relinquet: ocellis
Illa feros cett.

Scilicet ignorabat, non modo oculis amatae puellae capi amatorem (ut I, 1, 1.), sed ut sensus omnes (II, 1, 55.), sic maxime oculos ipsius amatoris potissimum invadi ab amica. Cf. ad I, 19, 5. III, 24, 2. Hinc de amore II, 30, 9. sq.

Excubat ille acer custos et tollere numquam
Te patietur humo lumina capta semel.

et I, 9, 27. non liceat vacuos seducere ocellos. Hinc Apollon. Rhod. III, 1018.: Στράπτεν Ἔρως ἠδεῖαν ἀπὸ φλόγα· τῆς δ' ἀμαρυγὰς Ὀφθαλμῶν ἥρπαξεν. Utrumque simile coniungit Ovidius, dum Amor. III, 12, 48. iurat:

per-tuos oculos, qui rapuere meos —

et Heroid. XV, 22.:

O facies oculis insidiosa meis.

Sed totus nobiscum facit II, 19, 19.:

Tu quoque quae nostros rapuisti nuper ocellos —

et elegantius per omnes numeros ducta metaphora Rhianus Ann. Br. T. I. p. 480. ep. IV, 2. Anth. P. p. 583.:

ἦ γὰρ ἂν ὄμμα
Ῥίψῃς ὡς ἰξῷ τοῦτο προσαμπέχεται

Cf. Lachm. ad El. V (IV), 4, 32.

Recte; nam quomodo ille oculos adhuc suos dixerit, quorum omne imperium amicae est concessum, cui somni quiete dempta, interdiu etiam, ut Catullianae Lesbiae flendo semper turgiduli rubent aut incerti et vagi huc illuc feruntur? An refert, oculos habeas necne, si usus omnis arbitrium penes dominam est, si, ut ait Prop. IV, 1, 143. sq.:

Illius arbitrio noctem lucemque videbis,
Gutta quoque ex oculis non nisi iussa cadet

v. 16. ducet notam. Ducere de lineis dictum: timor confundet et distorquebit lineamenta faciei. Sic ducere lineas Quint. Inst. II, 6, 12. notas Tibull. I, 6, 20. et rursus Prop. I, 6, 16. de scissis ungue genis — notare ora: né in pallorem et maculas interpreteris.

v. 20. domum Heins. languere, Lachm. praeter languorem falsum esse ait. „Quis enim," quaerit, „τὸν ὀυς-ἔρωτα domum abire cogeret? Erraret in platea, sub divo excubaret, puella vetare nollet." Sed „domum abire" formula tam trita usu Latino (cf. Cic. Act. Verr. I, 9. id. Ep. Famil. III, 8. extr. Liv. XLV, 34.), ut omnis enuntiati vis sponte hinc in participium exclusum vertat. Cf. ad El. II, 16, 16. 19. extr. III, 5, 2. III, 13, 66. Q. P. II, 6. s. II. §. 23. Poterat enim etiam omissa voce „domum" dicere: „quid sit exclusum abire," aut etiam quid sit excludi." Nam ut, etsi per totam noctem excubasset, domum tandem abiret, certum erat. Quid interea faceret, exponere nunc non attinebat. Unde minime falsum esse „domum" apparet. Contra abire domo, eo quo Lachm. voluit sensu dictum, vereor ut Latinum sit. Sic enim nude positum de sua cuiusque domo propria dicitur, ut etiam domi, domum, et Graecum: οἴκοι, οἴκοθεν, οἴκοσε, nostrumque: „*nach Hause, zu Hause, von Hause*" nunquam de aliena domo dicitur. Cf. Cic. Ep. Famil. IX, 5. Caes. B. G. I, 5. Terent. Eun. III, 5, 62. De ὁμοιοτελεύτῳ versu cf. Q. P. II, s. IV. p. 171. 176.

v. 26. de tanto nomine. Ad Cynthiam refert Iacob. Nos ad Gallum. Artissime enim hi versus per particulam „quodsi" cum proximis 23. et 24. iuncti. Praeterea vid. de Gallo Q. P. I, 5. p. 21. sq.

v. 28. medicina mali. Cf. I, 10, 17. III, 15, 3. Bach. ad Philet. frgm. I. α. 1. v. 1.

v. 32. rogata venit i. e. rogatur Q. P. II, 6. p. 143. §. 23. Rogari autem ad amores sollicitari recte interpretatur Burmannus coll. Ovid. Amorr. I, 8, 43. II, 19, 20. Burm. patruo ad Ovid. l. l. II, 2, 5. et Calpurn. Ecl. III, 25.

Elegia VI.

Dispositionem illustravimus Q. P. II, 5. p. 92. De Tullo, cui carmen inscriptum, ibid. I, 5. p. 23. sqq.

v. 6. colore. Absurde Burmannus colorem orationis intelligit. Ita interdum nocet doctum esse. Quid sit, venustiores lectores non quaerant ex Volsco, quamvis hic sub ipsis interpretationis Propertianae incunabulis verum iam sensit.

v. 9. meam mihi se iam Heinsius; fortasse recte. Quamquam talia vel accuratissimo excidunt. Recte Iacob. cf. III, 6 (i. e. II, 14), 15.: Atque utinam non tam.

v. 10. ingrato optime correxerunt Itali Vatic. I. et Colotii exc. Occupaverat coniectura ingeniosa Heinsius (notis ad Prop. p. 660.); irato qualicunque modo defendi posse, Iacobus existimat, si passiva vi positum habeamus. Vix crediderim; nec addicit locus, ad quem ipse provocat I, 16, 38. Tristis autem, ne Iacobo credas, „eo vocabulo non satis presse iram significari," idem plane est, quod irata et minax, cf. I, 10, 21. Tibull. IV, 4, 18. Lucil. et Afran. ap. Non. p. 409. Plaut. Cas. II, 3, 12.

v. 17. Non nunc moror lectores variarum coniecturarum turba, dummodo locum non modo explicari posse, sed facillime etiam explicari iis approbaverim. Quid enim ait Cynthia? Oscula (mea) debentur a me (h. e. mihi) vento (non tibi ingrato viro, quo nihil durius est), si se tibi opposuerit. Sic enim simili in causa Propertius precatur:

O utinam hibernae duplicentur tempora brumae, —
Neve inimica meas elevet aura preces,
Atque ego non videam tali sub sidere ventos,
Cum tibi provectas auferet unda rates.

Oppositos ventos recte dici pro contrariis et adversis navigationi Iacobus et Beckerus docuerunt, quorum cum uterque vulgatam interpretatione alia tueri conatus sit, in eo tamen ambo cum prioribus VV. DD. sunt lapsi, quod oscula Propertii, non Cynthiae intelligebant. Nam Beckerus: „Ventos," clamat, „oportuit tibi opponi, ne navis tua exiret,

mihi enim tu et amor tuus debemini." Iacob. vero: „oscula (quae a Propertio rettulerit) se non amori (Propertii) ait debere (i. a. accepta referre), sed ventis contrariis." Sed Beckerus, dum ablativum putat esse „opposito vento," et impeditissimam efficit verborum structuram, et vim facit sententiae. Quomodo enim Cynthia a Propertio posceret, ut deberet ventos oppositos sibi vel habere vel reddere? Iacobus vero praetervidit non nunc de osculatione inter amantes agi, quorum altera in littore staret queribunda, alter in nave iam deducta. Sed ridicula vere Burmanni sententia, qui etiam v. 16. non Cynthiam desperantem in suam ipsius faciem saevire, sed Propertii iam in altum ablati ora et capillos invadere eminus opinatur.

v. 19. Cf. Q. P. I, 5. p. 23. Specimen Hal. 1835. p. 8. Sententia haec est: Tu patruum proconsulem, dignum eo imperio virum, per provinciam comitare et solito officio ei ades. De more latus tegendi cum omnia nota sint, praeivisse etiam clientes patronis ab antiquariis observatum non legi. Testatur autem Sueton. (Oct. 64.) de Augusti nepotibus: „neque coenavit una nisi ut in imo lecto assiderent, neque iter fecit, nisi ut vehiculo anteirent" cett. Ovid. ex Pont. IV, 9, 17.:

Dumque latus sancti cingit tibi turba senatus,
Consulis ante pedes ire viderer eques.

Haec sunt praecedentia longi agminis officia (Iuvenal. X, 44.) et togati ante pedes patroni (ibid. VII, 142. sq.) Hunc morem idem Iuvenalis significavit, egregio simili, quo huius loci paene verba expressit Sat. VIII, 25.:

Praecedant ipsas illi (probi mores) *te consule virgas.*

Quo simul metonymiae eius exemplum praebetur speciosum, quam in Propertio satis frequentem illustravimus Q. P. II, 6. p. 151. Insigne enim pro ea persona positum, quae illo insigni excellit. Prorsus tamen huc facit Stat. Silv. I, 2, 234.: Omnis honor, cuncti veniunt ad limina fasces, i. e. omnes consules praetoresque. Simile illud quoque Ovid. Fast. VI, 796.: Cum data sunt trabeae templa, Quirine, tuae. Stat. Silv. V, 2, 47.: Ille secundus apex bellorum et proxima cassis. Cf. ad El. II, 26, 18.

v. 20. oblitis sociis. Galatis, Pamphyliensibus, ceteris Asiae populis, qui antea liberi ab Amynta aliisque regulis sub ditione inviti adhuc tenebantur. Cf. Q. P. I, 5. p. 24. 25.

v. 21. tua aetas i. e. tu, ista aetate. Q. P. II, 6. p. 149.

v. 22. at probis membranis satis tutum retineo. Pronius enim erat librariis hoc in illud mutare, quam contra. Praeterea, usu rariore commendatur haec particula et elegantiore. Nam ea nunc significatione pro vulgari sed posita, ut contrarium sententiae, quae priore membro negata est, fortius affirmetur, utque infinita negatio (ἀόριστον) transeat in finitam (τὸ ἀντικείμενον); est enim Germanorum *sondern*. Quem usum quamvis vulgo ignorari non nesciam, apertum tamen deprehendi Virg. Georg. III, 520.: Non umbrae — — possunt movere animum — at ima solvuntur — latera, quem locum recte interpretati Forbig. et Wagner. (Quaestt. Virg. XXXVII.) in exemplis omnia miscent et confundunt. Cf. tamen Hand. Tursellin. I. p. 426. De omisso vero pronomine mihi: Q. P. II, 6. p. 124.

v. 24. omnia nota. Non tam friget, quam Lachmann. censet. Neutra enim adiectivorum non hercle quidem nimis eleganter, tamen ita coniunguntur a poetis. Certe haud deterius dictum, quam III, 18, 14.: et per maternas omnia gesta manus, vel Ovid. Fast. VI, 492.: et dederat miseris omnia iusta rogis. Similiter I, 15, 1.: multa dura; I, 18, 13.: multa aspera; III, 15, 4.: nulla data. cf. Ovid. Met. VI, 463.: ingentia data. Add. Catull. CX, 6. VIII, 6. Sed absurdum paene quod Persius habet II, 74.: incoctum generoso pectus honesto. — lacrimis meis i. e. mihi lacrimanti, ut el. 3. extr. ubi v. commentar. Quod autem Latinitatem ante „afferat" ne postulare ait Lachmannus (cf. I, 8, 13. ubi ipse Lachmann. contrariam rationem est secutus): non modo in optativo negligi eam coniunctionem notum est, sed, quod magis mireris, etiam ubi imperativi vicibus fungitur coniunctivus. Sic Pers. Sat. I, 5.: Non, si quid turbida Roma elevet, accedas, nec te quaesiveris extra. Cf. Haas. ad Reisig. Gr. Lat. §. 324. annot. 495., quamquam non satis illic discreta sunt exempla. Accuratius rem egit Krüger. Gramm. Lat. §. 511. not. 3. Heindorf. ad Hor. Sat. II, 5, 91. Schmid. ad Hor. Epist. I, 18, 72.

v. 25. voluit semper Lachmannus maluit, auribus suis et tribus ap. Broukh. codicibus obsecutus, quia scilicet „verbum semper primarium sibi accentum expostulet." At nulla syllaba fortius aurem ferit, quam quae sub tertiam percussionem venit. Itaque eadem causa, qua Lachmannus, motus contrariam rationem probo.

v. 30. Cf. El. II, 7, 15.

v. 31. tendit Ionia proprie. Nam εὑρεῖη dicitur Hermes. frgm. 5, 32. Bach.

v. 34. pars eris imperii. Corruptum locum omnes existimaverunt. Frustra. Nam pars eris imperii idem est, quod unus imperantium. Cf. Q. P. I, 5. p. 24. et II, 6. s. II. §. 28. p. 150. Specimen I, 11. ubi ex Propertio plurima eius generis exempla attulimus. Neque aliter Virg. Aen. X, 427. Turnus ingens belli pars dicitur (i. e. non infimus bellantium), cf. ibid. 737. Ovid. Met. VII, 483. ut noster El. I, 21, 4. pars militiae, aut Tacit. Ann. VI, 8. Seianum ait Claudiae et Iuliae domus partem. Unde iniuria Lachmannum, ne, nisi alieno imperio subiectus, imperii pars appellari possit, pugnat. Quamquam, etiamsi illud concedas, tamen non inepte subditum proconsulari imperio legatum partem imperii eo quoque nomine dici posse, patet. Est enim plane idem, quod in simili re Ovidius ait (ex Pont. IV, 9, 7.):

— quoniam sine me tanges Capitolia, consul,
Et fiam turbae pars ego nulla tuae.

Accepti autem est grati; tibi enim ait, „imperii grati, utpote viro bellicoso, cuique semper armatae patriae cura fuerit (v. 22.), tibi porro, ut nepoti, cui nihil acceptius esse possit, quam cum sub auspiciis patrui rem gesseris. Nihil sane sic aenigmati vel Sibyllino oraculo simile. Acceptum autem pro grato, quod video negaturos, etiam sine casu positum invenias Cic. Tusc. V, 15. Corn. Nep. Hann. 7. Catull. XC, 5. Cf. comm. ad El. III, 17, 24.

Elegia VII.

Forma elegiae suasoriis similis, de qua cf. Q. P. II, 5. p. 81.

v. 1. De Pontico eiusque Thebaide v. Q. P. I, 5. p. 19. Recte ad sententiam Vulpius confert Anacreontea (Od. 16.)

Σὺ μὲν λέγεις τὰ Θήβης —
Ἐγὼ δ' ἐμὰς ἀλώσεις.

v. 3. primo Homero. prisco deteriores libros et auctoritatem Scaligeri secutus maluit Broukh., quod prae scriptura optimi cuiusque cod. valde languet. Primus enim inter omnes princeps. Cf. Terent. Eun. I, 2, 10. III, 5, 19. Quis autem hac appellatione dignior, quam Homerus? Nam, „ut Aratus ab Iove incipiendum putat," ita Quintilianus rite coepturus ab illo deo Maeonio videtur (X, 1, 46.), et Antipater Thessal. Anth. Pal. VII. ep. 409, 6.: *ὕμνων σκᾶπτρον Ὅμηρος ἔχει.* Add. Hor. Od. IV, 9, 3. Lucret. III, 1050.

v. 6. aliquid quaerimus in dominam. „Excogitamus aliquid, quo Cynthiae duritiem canamus et mitigemus“ Volscus. Secuti sunt reliqui interpretes. Burmannus negat, mitigandi significationem in ulla huius versus voce inesse. Sed mirum, quod veram sententiam Lachmanno investigandam reliquerit. Rectissime enim hic quaerere pro excogitare positum collatis Cic. de Legg. I, 5, 15. Plaut. Pseudol. I, 4, 8. docuit. Quo accepto, cum praepositio in cum accus. adversandi potestatem fere semper habeat, non modo idem esse, quod quaerimus aliquid de domina, sed etiam: quo dominae duritiem nobis expugnemus, confitendum est.

v. 11. Me laudent — placuisse. De usu infinitivi Propertiano cf. Q. P. II, 6. p. 156.

v. 16. evoluisse. Codices omnes: eviolasse. Sed mire dictum, non modo nove, pro peccasse. Neque vero peccant dii, si sortem hominibus fere communem ab uno non arcent. Sed optimum, quod Itali invenerunt, si modo invenerint nec casu incorruptum iis antiquitus sit traditum: evoluisse. Nam, si usquam, in amore fatalium staminum vis immortales manet. Et recte perfectum evoluisse. Nam, si primo credis Homero, Ponticus etiam (Od. VII, 197.)

Πείσεται, ἅσσα οἱ Αἶσα Κατακλῶθές τε βαρεῖαι
Γείναμένῳ νήσαντο λίνῳ.

Cf. enim praeter exemplorum segetem a Broukh. huc congestam Il. Ψ. 125. Pind. Ol. VI, 72. X, 65. Nem. VII, init. Platon. Tim. p. 89. Catull. 65, 311. 381. Lygd. ap. Tibull. III, 3, 35. et, quod maxime ad nostram rem facit, Tibull. IV, 5, 3.:

Te nascente novum Parcae cecinere puellae
Servitium et dederunt regna superba tibi.

Keilius tamen verbum evolvi „sic translati nec posse dici, nec dictum esse unquam, nisi de multitudine fatorum —“ asseverat. At nec translate dictum est, nec rectam ille sibi finxit fatalis lanificii imaginem. Nam quaecunque stamina e fusis ducuntur, haec circumvolutis fusis educi necesse est. Itaque evolvuntur stamina, i. e. fata humana. Cf. ad El. IV, 7, 51. Ipse Keilius coni. „quod noli nostros heu violasse deos.“ — Quod vero debiliorem pro acerba carminis invectione ironiam in his verbis inesse ratus Lachmannus nobis corrigit: neque omnino acerba illa invectio est sed amica adhortatio, neque εἴρωνα poetam hoc versu videmus, sed humaniter malum verborum omen deprecantem.

v. 21. Veram esse I. H. Vossii observationem de discrimine particularum tunc et tum, quod sola εὐφωνίᾳ con-

stet, qui accuratius codices, Neapolitanum imprimis excusserit confitebitur.

v. 22. Romanis-ingeniis. Eldykius in nott. mss. coniecit „Romanus Inachiis," haud inficete, nisi et attributum illud Ogygiae aetati convenientius esset, quam Propertii, et Romanos Graecis opponeret, inter quos hic nullum certamen: ingenia enim gravium poetarum cum levi amatorii carminis lusu contenduntur. Nam Propertius ingenio carmina sua non debere se, satis significavit v. 7.: Nec tantum ingenio, quantum servire dolori cogor. cf. II, 1, 4. Quare iure illis, quae proprie dicantur, ingeniis inserere se veretur.

v. 26. magno foenore. De ablativo v. Q. P. II, 6. p. 137. §. 18. et comm. ad El. IV, 10, 23.

Elegia VIII.

Dispositionem illustravimus Q. P. II, 5. p. 86. et accuratius ibid. p. 89. et 92. De tempore, quo elegia scripta esse videretur, ibid. diximus III, 3. p. 223.

v. 4. vento, quolibet an legendum sit, dubitat Passeratius. Sed nostram interpunctionem veram esse Burmann. demonstravit coll. Ovid. Heroid. XII, 110.

v. 7. fulcire ruinas. Sic codd. omnes praeter Harleianum et Vossianum nostrum. Neque ego quicquam muto. Quamvis enim altera vox pruinas et facilitate et elegantia se commendet, gemino tamen partu cum eo natum istud „sulcare" spurium librariorum foetum ostendit. Nam portento simile, pedes teneros puellae cum aratro comparari. Ruinas autem omnia dici, quae coelo in terram deorsum mittuntur, Hemsterhusius docuit. Idem verbum fulcire, comparatis Graeco ἐρείδειν et compositis Latinis infulcire, confulcire, offulcire idem fere quod premere et calcare probabile reddit. Nam quominus cum Italis (Puccio et Perreio), quibus Gronovius (Diatrib. ad Stat. Sylv. p. 357.) et Beckerus (Eleg. Rom. p. 267.) assentiuntur, fulcire r. interpretemur: impositas corpori ferre et sustinere: ita autem quominus interpretemur, Propertiani ingenii modestia impedit, quae nivem tanta mole in homines irruentem, ut eo onere quasi supprimantur, profecto non finxit. Iure tamen suo Burm. in eo scrupulo haerere sibi visus est, quod Hemsterhusius simplicis verbi fulcire significationem eam, quam protulit, nullo testimonio comprobasset. At superest unum certe et singulare in omni Latinitate exemplum ap. Persium (Sat. I, 78.), ubi: „Antiopa aerumnis cor luctificabile fulta" idem plane sonat, quod „pressa aerumnis."

Nam illic etiam vulgatam notionem qui tueatur, absurdam efficiat sententiam.

v. 11. Tyrrhena-arena. Versus leoninus aures Bronkh. ita offendit, ut in ora rescriberet. Tu vero cf. Q. P. II, 6. p. 175. 176. Ceterum non modo ferri hic posse eam vocem Lachmann. et Beckerus (Eleg. Rom. l. l.) demonstrarunt sed „tam commode sententiam ornare" Hemsterhusius docuit, „ut nihil supra, quippe quae tristissimae solitudinis imaginem excitet, quod miseriam amatoris destituti mirifice augeat."

v. 13. Huschkius et Iacobus Scaligerum secuti disticha 13, 14. et 15, 16. sedes mutare iubent. Atque hic quidem vulgatam librorum scripturam: subsidere retinet, sic interpretatus: Nunquam tales venti quiescant, quibus unda navem tuam vexet et mergat. At primum verbum provehi secundum semper flatum significat, eum maxime, qui e portu navigantem sequitur. Sic Valer. Flacc. IV, 421. Caes. B. G. IV, 28. Sil. It. II, 1. Add. Burm. ad Valer. Flacc. II, 77. Oudendorp. ad Lucan. IX, 319. Lucret. N. R. VI, 1025. Et sic scribendum sentio Liv. XXIX, 27, 6.: Vento secundo satis vehementi provecti celeriter e conspectu terrae ablati sunt. Vulgo enim profecti. Nam haec duo verba passim confundi a librariis Drakenborch. docuit ad Liv. XXI, 2, 4. I, 60, 2. IV, 55, 8. VIII, 1, 3. 7, 7. 38, 12. XXII, 20, 4. XXXIII, 24, 3. XXVII, 47, 1. XXXV, 26, 2. XXX, 43, 12. Vides neque in verbo provehendi nec in auferendi quidquam inesse, quod per se adversum mare et „diras tempestates" quod Iacobus vult, significet. Iam vero vide, quae Iacobus Propertium optantem facit: „Utinam tempestates te cum navi tua abreptum perduint. Sed mare tibi sit placidum, Galatea tibi opituletur." — Hoccine fluctuantis solum animi est, an plane insanientis? Nam ut mollis amator mala imprecetur, quae insequentibus verbis ex parte revocet: uno oris spiritu nulloque addito mutati animi signo nec causa, prorsus sibi contraria optare, hoc neque poetae est neque hominis, nedum Propertii. Contra, sententiarum nexu (servato antiquo codd. mss. ordine) hunc orationis progressum postulari patet, ut primum quidem poeta ne venti navem litori sibique auferant precetur, deinde vero, si tamen dii semel hoc passi sint malum sibi evenire, ut felicia vela amicae naviganti praebeant. Quod cum optime perspiceret Lachmannus, sic interpretatus est tales: qui nunc mare possident et te remorantur. Sed de his neque antea sermo fuit, nec quomodo ventis adversis et remorantibus ratis provehi et auferri possit, ullo modo in-

telligitur. Itaque ingeniosam Heinsii coniecturam, quae vix mutatio dicenda est, ambabus, ut aiunt, amplectendam censeo. Disiunctis enim (nec sine codicibus), quae male in plurimis libris cohaeserant, verbis: sub sidere scripsit; pro talis vero (quod insequentis vocis littera prima iterata facillime nasci potuit) tali restituit. Sic promptissima sententia ea, quam unice desideramus. Neque nunc de sideribus, quae faciem coeli temperant ventosque regunt, ut apud doctos, dicendum reor. Ipse poeta Vergilius, ut morarentur nautam proxime (v. 10.) precatus est. Hoc solum addo, sidus saepe non magis certas stellas dici, quam ipsa coeli momenta et vicissitudines anni. Itaque Tacit. Ann. I, 10. sidere aequinoctii tumescere maxime Oceanum dicit, et Propertius brumae tempus duplicari vult, ne verni aequinoctii sidus secundos ventos Cynthiae afferat. Neque, ut haec sententia efficiatur, queis pro quum v. 14. rescribere cum Graevio opus est; immo, nisi auferet etiam mutaris in auferat, ne licet quidem. De proprietate enim sermonis Propertiani, quae post coniunctionem quum in designando tempore futuro indicativum flagitat, diximus Q. P. II, 6. p. 118. Ne quis autem miretur *tali* sub sidere *cum* auferet, pro quo — auferat, Ciceronem consulat Ep. Att. III, 1.: Utinam diem illum videam, cum tibi gratias agam. Cf. Krüger. Gr. L. §. 26. not. 2. §. 580. n. 3. — Infinitus autem esset labor, omnes quas his et insequentibus versibus critici turbas moverunt, recensere singulas atque refutare. Nos levissima Passeratii mutatione contenti, ut satis demus Latinitati, patietur pro patiatur reposuimus, quod in quibusdam, nec malae notae libris inveniri Muretus testatur. Nam patiaris, quod inde a Beroaldo editiones occupaverat, ut nullo cod. ms. commendatum, iure expulit Lachmannus. Ipsi placuit „patienter.“ Undam poeta precatur, ne committere velit, ut in littore desertus ipse manu despecta et ludibrio habita, amicam crudelem frustra vocet. Qua in interpretatione cum singulis paene verbis dissentientes VV. DD. videam, age singula probemus. Primum enim, quod undae sensum et voluntatem tribuit, ne ineptum esse Lachmanno credas, satis fortasse fuerit, ad locos illos provocare, quos Q. P. II, 6. p. 153. p. 114. §. 4. contulimus. Sed commode succurrunt versus, qui in interpretationem huius loci quasi nati esse videntur III, 7, 57. sqq. ubi Paetus simul cum ventis undas implorat:

Di maris Aegaei quos sunt penes aequora, Venti,
Et quaecumque meum degravat unda caput,
Quo rapitis.

et III, 10, 5. sq., ubi tam humanos mores undae tribuit, ut eam invitet, secum natalem amicae celebret:

stent aere venti,
Ponat et in sicco molliter unda minas —

et IV, 11, 16., ubi Cornelia undam testem adhibet suae innocentiae:

Damnatae noctes, et vos vada lenta paludis
Et quaecumque meos implicat unda pedes.

Patitur ergo unda, ut Propertius eminus tantum et frustra amicam vocet. Patitur autem non tam est permittit, quam de se impetrat. Sic ad duram ianuam amator I, 16, 39.:

tu — victa meis nunquam — muneribus —
Ut me tam longa raucum patiare querela
Sollicitas trivio pervigilare moras.

Cf. Ovid. Amorr. I, 14, 3.:

Dicebam, medicare tuos desiste capillos —
At, si passa fores, quid erat spatiosius illis?

quem recte Beckerus confert (l. l. p. 269.) Cic. Offic. I, 9.: ut eos, quos tutari debeant, desertos esse patiantur. Idem iure comparat Graecum τλῆμι, quale est Soph. Ai. 1305. — Restat, ut de „infesta manu" dicamus, quam omnes interpretes usque ad Lachm. Cynthiae manum videntur intellexisse. Ille vero egregiam credidit et veritate perspicuam quasi imaginem, amatorem in littore blanda voce revocantem, sed minaci infestae manus gestu simul increpantem. At praeterquam quod irati animi ne levissimum quidem omnis elegia prodit vestigium blandeque potius questum poetam quam dedignatum iniuriam ipsas querimonias intra verum modum cohibere videmus (v. 21.): infesta manu vocare idem esse, quod „modo minari, modo blandiri," nulla ratio persuadebit. Nam si infestum interpretemur minax, vocare-blandiri, quis dictum ferat insolens: „minaci manu blandiri" —? Tu vero infesta manu sensu passivo accipe, invisa manu, quam odit et fastidiose contemnit Cynthia. Docte enim de hac verbi voluntate Gell. N. A. IX, 12.: Infestus ancipiti quoque significatione est: nam et is infestus appellatur, qui malum infert cuipiam: et contra, cui aliunde impendet malum, is quoque infestus dicitur. Testem huius observationis satis locupletem adhibet Nigidium (cui cf. Non. Marcell. s. v.), et exemplo comprobat ex Cic. or. pro Planc. c. 1. sumpto: Dolebam-si huius salus-esset infestior, ubi v. interpretes. Addere licet Liv. I, 47.: in dies infestior Tulli conatus, infestius coepit regnum esse.

Cic. pro Rosc. Am. 11: Filii vita infesta, saepe ferro atque insidiis appetita. Liv. IX, 34. Drakenb. ad Sil. It. XII, 399. II, 9. Barth. Advv. XXII, 9. Cort. ad Sall. b. Iug. 49, 5.

v. 19. Ut te — praevecta Ceraunia — accipiat. Praevehi idem esse quod praetervehi, lexica docent. Quantas tamen lites insolentior vocativi usus interpretibus moverit ut perspiciatur, coniecturas hic ponimus. Itali enim: „per saeva" vel „vectam per caerula," quod prima Vicentina exhibet. Heinsius: postvicta Ceraunia. Lachm. Vites felici cett. Tu vero cf. Q. P. II, 6. p. 138. Nam, qui recte locum sunt interpretati Passeratius, Scalig. Barth. diversa miscuerunt. Non inepte tamen I, 11, 9. a Barthio comparatur. At proximum nostro et paene par exemplum Ovidius habet Metam. V, 269.: nisi te virtus opera ad maiora talisset, in partem ventura chori Tritonia nostri. De reliquis attractionis generibus, quibus casus rectus in vocativum cedit cf. ad El. II, 15, 2.

v. 21. 22. Sententia haec est: Non alienus amor me ita corrumpet, ut tibi iniuriam faciam et ante tuas fores (ut solet improba turba) iniqua querar. De taedis, ardentis amoris insigni, omnia sunt nota. Cf. tamen Lachm. ad El. II, 7, 5. Idem breviori versu aut vita aut verba (quod in omnibus libris est) mutandum esse perspexit. Nam „verba queri" nisi addito adiectivo (ut El. I, 5, 17. Ovid. Metam. IX, 304.), absurdum fore. Quid enim aliud queraris, quam verba? Itaque pro vi,ta-fida posuit. Sed neque ego unquam memini litteras *d* et *t* in vulgaribus verbis a librariis confusas esse, nec blandam appellationem vita, quae Propertio prae ceteris in deliciis est (cf. I, 2, 1. II, 3, 24. II, 5, 18. II, 26, 1. II, 19, 27. II, 24, 29. II, 30, 14), hinc quantovis pretio exulare iusserim. Levissima contra Passeratii medicina, qui vera pro verba reposuit. Nulla enim harum vocum confusione in codd. mss. frequentior. Cf. interpp. ad El. III, 24, 12. et ad Calpurn Ecl. VI, 25. loco nostri simili, ubi vulgo: exprobrare mihi nec enim potes, improbe, verba pro vera. — Verum autem iusti aequique notione passim Latine dici Priscianus declarat XVIII, 24. p. 202. Krehl.: Nostri quoque verum pro iusto et iustum pro vero frequenter ponunt. Add. Serv. ad Virg. Aen. XII, 696. Heindorf. ad Hor. Serm. II, 207. Gronov. ad Senec. de Ira II, 29. Rath. ad Cic. Tusc. III, 30. Cic. Fin. IV, 17. §. 47. Gronov. et Drakenb. ad Liv. II, 48, 2. Schmid. ad Hor. Ep. I, 7. extr. — Ceterum quod vulgaris ratio posceret: quin vera *futura* sint, quae tuo limine querar: de summa sententiae saepe in attributo posita cf. Q. P. II, 6. p. 142. §. 23.

Hoc enim breviter ait: querar quidem in limine, sed non nisi iusta. Hunc usum primus, ni fallor, in participio Graeco Hermann. observavit ad Soph. Ai. 1113. et ad Soph. El. 1312. Facilior omnino ratio est, ubi verbi significatio usu quodammodo attrita et ita veluti tenuis facta est, ut nihil nisi verbi substantivi circumscriptio videatur esse, qualis in verbis „frui, uti“ cett. Ovid. Trist. III, 6, 13.: Id quoque si scisses, salvo fruerere sodali; III, 14, 40.: nullus cuius Intellecturis auribus utar, adest. Quo multo audacius Iuv. Sat. XV, 122.: anne aliam terra Memphitide sicca Invidiam facerent nolenti surgere Nilo, pro eo: an alia (maior) invidia esset, qua illata Nilus surgere nollet, et sicca maneret terra M.? et ad usum Graecum Soph. O. C. 982. ἔτικτε γάρ μ᾽ ἔτικτεν-οὐκ εἰδότ᾽ οὐκ εἰδυῖα, pro hoc: οὐκ οἶδε τεκοῦσά με οὐκ εἰδότα (i. e. αὐτὴν ἐμὲ τετοκέναι). Cf. ad El. II, 7, 15. II, 16, 16. 19, 31. III, 5, 2. IV, 11, 4. III, 14, 3. Ceterum Keilius, non intellecta clausulae sententia pro vita — ci. multa, scilicet, ut multa verba quereretur Propert. Quo nihil frigidius.

v. 23. citatos i. e. quamvis festinantes; ne Beckero credas (l. l. p. 270.) ad se vocatos interpretanti.

v. 25. Autaricis legendum esse, ipsa depravationis vestigia manifesta codd. Vat. II. et Voss. Autraciis exhibentium declarant. De Autariis enim sive Autariatis Illyriae populo v. Strab. VII. p. 313. Atraciis tuebuntur, qui remotissimum quodque, etiamsi nihil ad rem pertineat, a Propertio molesta doctrinae ostentatione carminibus intrudi crediderint. Nam Kuinoelio aut Barthio non nunc vereor ne quis credat, cum „Periculum fuisse“ censent, „ne eo“ (scilicet in Atracem, Thessaliae montem) „tempestatibus delaberetur, post circumnavigatam Siciliam.“ Neque enim terrarum situs tam ignarum fuisse Propertium puto, quam interpretes eius. Elis vero (breviori versu) non tentanda. Huc enim Acroceraunia praetervectus ut auferretur, facile evenire potuit.

Elegia IX.

v. 1. Dicebam. El. 7, 1. Imitatus est Paulus Silentiar. Anth. Pal. V. ep. 300. p. 139. T. I. p. 179. Iac. Anall. Br. III, 82. n. 35.

Ὁ θρασὺς ὑψαύχην τε, καὶ ὀφρύας εἰς Ἓν ἀγείρων
Κεῖται παρθενικῆς παίγνιον ἀδρανέος.

v. 2. 3. libera verba. Iam hic metaphora subest, quam deinde persequitur poeta. Servus factus amator ipsius servae.

Atqui δούλου τόδε-μὴ λέγειν ἃ τις φρονεῖ (Eurip. Phoeniss. 392). Ecce iaces, supplexque venis in iura puellae. Sic enim atque crudelius etiam Propertium El. III, 11, 2. femina — trahit addictum sub sua iura virum. Nam in manu mancipioque puellae amator est, idque lege. Vis servitutis huius iura accuratius cognoscere, cf. IV, 8, 71 sqq.: „Supplicibus palmis tum demum ad foedera veni, Cum vix tangendos praebuit illa pedes, Atque ait: — Accipe quae nostrae formula legis erit cett. Indixit leges: respondi ego, legibus utar. Riserat imperio facta superba dato.“ Apte Burmannus comparat Ovid. Amorr. I, 2, 19: — ego confiteor: hic sum nova praeda, Cupido. Porrigimus vinctas ad tua iura manus; et Iacobs. Anth. poet. Rom. II. p. 150. Senec. Hippolyt. 416.: ferox in iura Veneris redeat.

v. 4. quaevis. Itali correxerunt quovis. Sed retinenda utique optimorum librorum scriptura. Eleganter enim quivis et quilibet etiam de uno et certo non sine contemptione dicitur. Sic II, 16, 15. de praetore:

Ergo muneribus quivis mercatur amorem?

modo empta autem, quo turpior conditio videatur; quae recens a catasta venit. Cf. IV, 5, 51. et IV, 7, 39 sq.: Quae modo per viles inspecta est publica noctes, Haec nunc aurata cyclade signat humum.

v. 5. vincant-dicere. De infinitivo vid. Q. P. II, 6. p. 157. Neque enim huc facit versus Silii, quem citat Burm. Pun. VII, 224:

Stat pensata diu belli sententia, vincam
Servare invitos, urguentesque ultima fata.

Illic enim est impetrabo.

v. 7. merito. „εἰκότως. Cf. Eur. frgm. Hypsipyle: Ἐμὲ γὰρ αἱ δυστυχίαι σόφον ἔθηκαν.“ Vir doctus ad marg. excerptorum Santenii mss. Optime. Quod cum frigere iam videatur Burmanno, miror, ni ipsius coniectura veri brumam Batavam Umbriae concieat. At iure meritoque peritus Propertius, qui tantis doloribus et lacrimis hanc unam amandi artem eruerat. Cf. enim Q. P. I, 6. p. 43. El. I, 1, 35. I, 7, 14. I, 15. extr. 10, 19. Tibull. III, 6, 43. et in contraria re I, 1, 49. similiter:

sit dives iure, furorem
Qui maris et tristes ferre potest pluvias.

Propertius amandi peritiam, Tibullus divitias periculis et doloribus mereri ait. —

v. 8. Atque utinam. Iacobs. priorem coniecturam (ad Anthol. Gr. I, 2. p. 266.) Vatem: utīnam cett. a Lachmanno admonitus reprobavit Anth. poett. Rom. l. l. Trita enim haec Propertio formula: Atque utinam; II, 14, 15. I, 11, 9. II, 9, 47. II, 13, 43.

v. 9. ducere, Volsci inventum, nullis codd. tutum primus Lachm. expulit.

v. 11. Plus-valet Mimnermi versus Homero. Comparandi ratio ne prosae quidem orationis auctoribus aliena. Cf. ad El. II, 3, 21. Q. P. II, 6. p. 150. Optime Iacobsius confert Anthol. Gr. epigr. ἀδέσπ. 523, 3. οἱ δὲ τριηκόσιοι αὐτῆς (Ἐρίννας) στίχοι ἶσοι Ὁμήρῳ.

v. 13. VV. DD. ad unum omnes in hanc sententiam interpretati sunt: „Age, sepone gravia epici argumenti carmina"; quamquam e nube exemplorum, quam hic more suo Broukh. colligit, vix unum aut alterum ad eam quam ipse vult significationem pertinet; nam aut adversantes partes componuntur, ut in illo: componere litem, componere arma, aut idem est, quod in futurum *usum* seponere, ut Horat. Ep. I, 1, 12. — Proximum utique Horatianum illud esset: Omnes composui! At primum componere libellos, libros, carmina, similia, cum certa φράσις facta sit et dicendi quasi formula, quae idem valet, quod scribere libros (cf. Cic. Brut. 7. 48. ad Q. Fr. III, 1. Divin. in Verr. I, 47. Ep. Famil. 16, 20. Att. 1, 16. Quintil. I, 10. III, 1, 11. XII, 11, 4. Horat. Serm. II, 1, 63. Ovid. Trist. V, 12, 60. II, 1, 10. Amor. III, 15, 3.), hic contrario plane sensu intelligi Latini sermonis proprietas vetat. Immo ut El. II, 34, 41. sq. in eadem plane causa:

Desine et Aeschyleo componere verba cothurno,
Desine, et ad molles membra resolve choros —

sic hoc loco:

Desine iam tristes istos componere libros
Et cane quod quaevis nosse puella velit.

dicere debebat. At evenerat iam, quod Propertius el. 7, 19. sq. vaticinatus est:

Et frustra cupies mollem componere versum,
Nec tibi subiiciet carmina serus Amor.

mollem enim versum quin elegias dicat Prop., nemo coll. Q. P. II, 7. p. 199. sq. dubitabit. Atque hae ipsae elegiae tristes libri nunc audiunt. Nam Horat. (A. P. 75.):

Versibus impariter iunctis querimonia primum
— inclusa est —

Ovid. Heroid. XV, 7: Flendus amor meus est: elegeia flebile carmen, quibus cf. quae Q. P. II, 2. pp. 49. 53. uberius tractavimus. Et recte nunc tristes libellos appellat. Nam quod eidem huic Pontico modo scripsit (el. 7, 7.):

Nec tantum ingenio, quantum servire dolori (in componendis carminibus)
Cogor et aetatis tempora dura queri.

Atque eadem fata iam amicum manebant (cf. v. huius eleg. 19 sq.). Quibus de causis nequaquam posse ambigi existimo, quin dictio illa I quaeso (pro quo alias est I nunc) sequente et ea, qua fere semper usurpatur, irridendi significatione sit accipienda. Sic II, 29, 22: I nunc, et noctes disce manere domi. III, 18, 17: I nunc, tolle animos, et tecum finge triumphos. Ovid. Heroid. IX, 105: I nunc, tolle animos, et fortia facta recense. ibid. III, 26. Amorr. I, 7, 35. Iuvenal. VI, 306. XII, 57. Virg. Aen. VII, 425. Petron. c. 115. Heins. ad Ovid. Amorr. III, 3, 1.

Vehementer autem cavillatio langueret, si componere idem esset, quod seponere. Nam ut perditus amore poeta Thebaidos oblivisceretur, hoc curare non debebat Propertius (hoc enim sponte ille fecisset): sed ut novo elegiarum genere et antehac despecto par esset futurus. — Restat ut de pronomine istos dicamus, quod pronius omnino videretur, si ad libellos Pontici posset referri. At enim et obliquae contemptionis color, et secundae personae ratio, quae propria eius sunt, recte servantur, modo memineris, quantuli Ponticus paullo antea leve istud genus habuerit. Cf. El. I, 7, 21. Regesta callide videbis in contemptorem tela, si „istos libellos“ ex Pontici sententia dictos intelligas.

v. 15. Q. s. n. e. facilis tibi copia: „paratus puellae usus.“ Ita interpretum vulgus. Quis non videat de copia oratoria agi? At ne superiorum quidem VV. DD. quod sciam, ullus vidit. Haec enim sententia: „Quamvis tibi in medio amore versanti plus quam satis materiae ad elegos scribendos praebeatur, non facilis tibi erit, nec in carmina cedet, cum manu insueta tractetur“. Haec enim verbi facilis significatio est, unde facultas venit. Idem est, quod mollis in obsequium et tractabilis. Cf. Burm. ad Ovid. Metam. XV, 169. comm. ad El. II, 9, 28. Iam vide, quam egregie huic sententiae proverbium accommodatum sit (v. 16.), tu in medio amoris flumine argumenta amatoria frustra quaeris; „frustra cupies mollem componere versum“; culpantur frustra calami, sed non argumenti est culpa, sed tua; serus Amor non tibi subiiciet

carmina. Miror, vel optimos viros hic adeo caecutiisse, ut nescio quid de facilitate ancillae somniarent, credo, quod non meminerint imperfecti coniunctivum in enuntiatis conditionalibus saepe poni, ubi praesentem expectes. Quo de usu cf. Krüger. Gr. Lat. §. 639b. n. 1. p. 871.

v. 18. Apte Iacobs. comparat Philodem. ep. XV. (Anth. Gr. II. p. 74. Anall. Br. II. p. 87.) *Ἀλλ' ἤδη - πῦρ τύφεται - ἐγκρύφιον - φεύγωμεν δυσέρωτες - μάντις ἐγὼ μεγάλης αὐτίκα πυρκαΐης.* add. Meleag. ep. LV. Anall. Br. I. p. 17. Anth. Gr. ibid. p. 18. *μὴ - κινήσῃς τέφρῃ πῦρ ὑποθαλπόμενον.* Add. eund. ep. IV, 4. Callim. VI, 1. 2. *ἀδέσπ.* XVII.

v. 21. totis pro toties Dousa fil. voluit. Iure queritur Lachm., VV. DD. suas elegantias Propertio obtrusisse. Neque enim quisquam, non posse ferri toties, demonstravit.

v, 23. Subesse huic translationi Platonicam de anima alata allegoriam post Huschkium (Anall. cr. p. 43.) docuit Iacobs. Quod simile varie excoluerunt quum poetae erotici tum artifices. Cf. Meleag. (Anall. Br. I, 18, 18. Anth. Gr. Iacobs ibid.) ep. LVIII. LIX. Mus. P. Cl. III, 22. C. O. Müller. de Archaeol. p. 530, 8. At Amoris *ἡνιόχου* imaginem obversatam hic esse poetae animo, nec Huschkius, nec Iacobsius persuaserunt. Multo verisimilius, *φάντασμα* ipsum Platonicum de alis animae pulchri aspectu et amoris vi renascentibus (Phaedr. p. 251. B. C.) a poeta hic in usum satis profanum esse declinatum. Quamquam qui versum breviorem comparaverit, novum aliquid nec ita difficile intellectu simile Propertium effinxisse iure suspicetur. Secundus enim Amor errantem Animam nec satis certis alis subnixam tollit, et facili volatu adiutam sursum aufert. Adversus contra manu premit et humum deiicit. Sed augebat interpretationis difficultatem vox alterna ab VV. DD. parum intellecta, qui cum pro altera dictam acciperent, alii altera manu iuvantem, altera prementem fecerunt Amorem, alii manum pro ala positam opinati sunt, alii incredibiliora etiam excogitaverunt, qualia videre est ap. Burm. Sed adiectivum pro adverbio est, alternis vicibus, hac sententia: Amor nunc amanti alas praebet, nunc versis vicibus eum manu reprimit. Sic Cic. Act. in Verr. I, c. 13. „cum alternae civitates reiectae sunt" non sic interpretandum, quasi modo haec modo illa civitas reiecta sit, sed ut eadem civitate modo reiecta, modo non reiecta, alternis vicibus adversario reiiciendi facultas data sit. Quod repudiata Asconii explicatione docet Hottomann. ad l. l. coll. Cic. Planc. 15. Vatin. 16. Add. Virg. Aen. XI, 426: multos alterna revisens, Lusit et in

solido rursus Fortuna locavit. Accuratius Persius: subeas alternus oportet Ancipiti obsequio dominos, alternus oberres. Q. P. II, 6. p. 145. §. 25.

v. 26. si qua tua est. Sunt qui interpretentur: serva tua. Rectius, quod ex versu proximo (25.) apparet: tibi dedita. Quo enim verius puella amat, eo acrius urit. Cf. El. III, 8, 9. sqq.

v. 27. vacuos. i. amore. Proprium ea in re adiectivum. Sic el. 10, 30: qui numquam vacuo pectore liber erit. Ovid. Metam. I, 520. sagitta, in vacuo quae vulnera pectore fecit. Haeret enim Amor modo in ocellis (vf. ad I, 19, 5.), modo in pectore (ad II, 12, 6.).

v. 29. Theocr. III, 17: ὅς με κατασμύχων καὶ ἐς ὀστέον ἄχρις ἰάπτει. Cf. El. II, 34, 60. Ovid. Heroid. 16, 275.

v. 30. ah fuge, quod raro contingit dicere, primum a Kuinoelio recte Propertio redditum, de certissima Boltii coniectura (Silv. crit. p. 73.). Nam a fuge, quod libri habent cum casu quarto iunctum, Latinum non esse iam Passeratius intellexit, qui o fuge voluit, et ante eum librarius Commelianus, qui effuge correxit. At illud et facilius et elegantius. Qui vero ad defendendam vulgatam Ciceronis Aratea (Nat. D. II, 43.) et Petronium (c. 81.) excitant, frustra sunt. Utroque enim loco maxima codd. discrepantia.

v. 33. Lachm. ed. Lips. etsi pudor est, coniectura et facili et ingeniosa. At bene habet, quod libri tuentur. Dissimulare enim amorem ut pudeat, amicum admonet. Ceterum errorum et errare amoris vocabula esse, in vulgus notum. Cf. interpp. ad h. l. et ad I, 13, 35. Negat tamen H. Keil. Observv. critt. p. 2. erroremque Pontici et superbiam, qua antea (el. 7.) tutum ab amore se esse iactavisset, significari censet. At fractam nunc esse illam Pontici superbiam toto hoc carmine docetur, neque amplius victum se esse dissimulat, sed quo in amore pereat, quamvis divinanti poetae (cf. v. 3 sq. 5 sq.) confiteri non vult.

v. 34. quo-in amore: coniungenda sunt haec verba. De usu praepositionis in apud verba amandi cf. Q. P. II, 6. p. 134. ad El. I, 13, 7. Add. Ovid. Met. VII, 21. VI, 490. IV, 547. Fast. VI, 576. de hyperbato vero Q. P. p. 121. §. 10. Ceterum recte comparant Callim. Frgm. LXVII.:

Κουφοτέρως τότε φῶτα διαθλίβουσιν ἀνίαι,
Ἐκ δὲ τριηκόντων μοῖραν ἀφεῖλε μίαν,
Ἤ ὅτ' ἐς ἄνδρα συνέμπορον ἔρχητ', ἢ ὅτε καφὰς
Ἄλγεα μαψαύραις ἔσχατον ἐξερέῃ.

Elegia. X.

De Gallo vid. El. I, 13. I, 20. Q. P. I, 5. p. 22.

v. 2. lacrimis. cf. ad v. 13.

v. 6. Venere irata et Heinsius et Markland. ad Stat. Silv. III, 5, 34. ex Groningano in longam — moram reponi iusserunt, quasi sermonem benignum per noctem duxerint. Quanto rectius iam Perreius „cum anhelitu loqui deficientibus verbis“ exposuit. Cf. enim ad v. 13.

v. 9. lusu. Verbum in amore proprium ut II, 32, 29. ludere II, 15, 21. II, 18, 24. Horatii Epist. I, 14, 35. Graecum παίζειν Asclepiad. Anth. Pal. V, 7. p. 89. Philodem. ibid. p. 103. ep. 19. Anall. Br. T. II. p. 88. Anth. Gr. Iacobs. Straton. Anth. Pal. p. 604. T. II. p. 376. ep. 72. Anth. Gr. Sardanapal. ap. Arrian. Exped. Alex. II, 5, 5. Suid. III. p. 287. Plutarch. T. II. p. 336. Ion Chius ap. Ath. X, 68. p. 447. F. id. ibid. XI, 8. p. 463. C.

v. 13. dolores. calores Lachm. De doloribus et lacrimis (v. 2.) amantium abunde egimus Q. P. II, 4. p. 65. quicum cf. v. 15. sq. Sunt enim eiusmodi et hic et 13, 15. quae Paull. Silentiar. Anall. Br. III. p. 75. ep. XIII, 1. Ἄκρυα-ἐπήρατον-οἰκτρὰ appellat. Hinc pulchre, si in re turpissima liceret, at certe γραφικῶς Petron. c. 91: invado pectus amplexibus et perfusum os lacrimis vultu meo contero. Diu vocem neuter invenit (cf. v. 6.); nam puer etiam singultibus crebris amabile pectus quassaverat. Hinc Meleagro (Anth. P. p. 113. V, 177. T. I. p. 133. Iacobs.) Ἔρως γλυκύδακρυς et qui κλαίων πολλὰ μεταξὺ γελᾷ. Ibid. p. 270. Anall. Br. ep. 126. Ἔρως γλυκύπικρος. Posidipp. Anall. Br. XI, 4. T. II. p. 48. Anacr. Od. XLV, 5, Barth. ad Claudian. de Nupt. Honor. et Mar. v. 70. Dorvill. Charit. p. 426. ed Lips.

v. 17. curas, quae semper in amoris partem veniunt, dummodo sint recentes. Optime Huschk. Ep. crit. p. 34. confert Eurip. Hippolyt. 478. ubi nutrix Phaedrae promittit medicinas amoris: εἰσὶν δ' ἐπῳδαὶ καὶ λόγοι θελκτήριοι· φανήσεταί τι τῇδε φάρμακον νόσου. Accuratius Euripidis verba expressit Horat. Ep. I, 1, 34. quamvis in alia re:

Sunt verba et voces, quibus hunc lenire dolorem
Possis et magnam morbi deponere partem.

Quocum apte committit Schmid. ad l. l. Platon. Charmid. 9. p. 67. Heind. Θεραπεύεσθαι τὴν ψύχην — ἐπῳδαῖς τισι· τὰς δ' ἐπῳδὰς ταύτας τοὺς λόγους εἶναι τοὺς καλούς· ἐκ δὲ τῶν τοιούτων λόγων ἐν ταῖς ψυχαῖς

σωφροσύνην ἐγγίνεσθαι. Add. Theocrit. XI, 1. XIV, 52. Bion. X.

v. 23. petiit. Cf. Q. P. II, 6. p. 179.

v. 25. venit. ibid. p. 143. §. 23. extr.

Elegia XI.

Dispositionem vide Q. P. II, 5. p. 88.

v. 2. iacet: patet Burm. Sed et gentes et flumina iacere Latine dicuntur (Ov. Met. IV, 771. Colum. VIII, 17, 4. Manil. I, 241.) quid ni viae? Quamquam, quem locum Lachm. citat Ovid. Trist. IV, 7, 31., erunt qui per ζεῦγμα explicare maluerint. Sed semita illa Herculis montis iugum erat velut alta mole in mare iactum. Vere igitur iacebat. cf. Strab. V. p. 245. Dion. Cass. XLVIII, 50. Plin. N. H. XXXVI, 15. Suet. Aug. 16. Heyn. ad Virg. Georg. II, 161. Prop. III, 18, 3.

v. 3. Thesproti retineo, non quo fabulae a Scaligero inventae et omnibus deinceps interpretibus (neque enim me ipsum culpa eximo) fidem etiamnunc habeam. Ille enim qui Abantum coloniis littus Puteolanum praetextum esse non sine aliqua veritatis specie ait — sunt enim et Pithecusae insulae et Cumae ipsae ab Euboeensibus deductae; atqui hi Abantibus annumerantur — Abantes tamen Thesprotum genus esse iussit potius quam docuit. Nihil enim tale a quoquam veterum refertur. Quocirca ingeniosas Sannazarii vel Iani Parrhasii coniecturas magis quam vulgatam probarem, quorum alter te Prochytae, alter te Protei corrigebat, nisi mirus librorum in nomine rarissimo consensus me deterreret. Neque enim bonos Propertii librarios tam docto invento pares fuisse, aut adeo forte fortuna in eam doctrinam simul omnes aberrasse credideris. Itaque non tam testimonio egere, quam testem ipsum Propertium esse credam, illam Italiae eram vel nescio cui Thesproto olim paruisse, vel a Thesprotis incolas accepisse, fontes vero, unde doctrinam eam hauserit, perditos esse. Aliae certe Italiae inferioris potissimum gentes originem suam ad Epirotas haud dubie referebant. Cf. Strab. VI. p. 392. sq. Liv. VIII, 24. Niebuhr. Hist. Rom. I. p. 54. 65.

v. 5. ah ducere. Correctura Scaligeri est; atque miror, quod Iacobus, elegantis vir iudicii vulgatam *aliquo modo* defendi posse existimat, sic interpretando: adducere noctes secum i. e. redire domum. Male vero ante Broukh. pone vocem subit maiore signo interpungebant.

Nostri enim et memores coniungendum, enallage adiectivi perquam facili.

v. 6. Difficultatem loci senserunt, qui Passeratii coniecturam externo amplexi sunt. At de externo i. e. alieno amore (cf. I, 3, 44. II, 32, 31.) insequenti demum versu agitur, quem novam sententiam alteri diversam continere particula Ah testatur. Neque vero Lachmanni interpretatione, qui extremum pro minimo dictum censet (ut I, 4, 11. Stat. Sylv. I, 2, 100. Nemesian. Cyneg. 231.), nodus solvitur. Tum enim scribendum erat extremi amoris vel extremo amori aut certe extremo amore. (Q. P. II, 6. p. 135. §. 18.) Subest potius metaphora exquisitior, quam interpretatione Germanica expressimus. Fac enim amore aut omne puellae pectus aut partem expleri. Tum Propertium in medio et intimo amore sedem habere et quasi habitare par erat, atque etiam primo quasi pectoris limine ab amore excipi. Iam vero cum, ne prorsus exciderit, vereatur: in extremo certe angulo num sibi locus restet, modestius quaerit. Cf. El. I, 18, 8. ubi, quamvis non amari se queratur, tamen „in amore Cynthiae notam habet", unde δυνάμει potius quam ἐνεργείᾳ amorem dictum intelligas, et esse perpetuam aliquam animi qualitatem, non subitum motum, qui non diutius maneat, quam donec qui ametur adsit. Hinc demum recte interpreteris φράσιν vulgatissimam in amore alicuius esse, ut Cic. Verr. IV, 2. Flacc. 18. Ep. ad Att. VI, 1, 12. Famill. VII, 32. Contrarium igitur hic extremi amoris non maximus sed intimus amor. Unde simul apparet, extremam amoris lineam, quam Broukh. intelligit, huc non pertinere. Nam de Cynthiae amore in Propertium hic agi, non contra, patet.

v. 8. Sustulit e nostris carminibus quid sit, diximus Q. P. II, 6. p. 157.

v. 9. De nexu verborum grammatico v. Q. P. II, 6. p. 139. §. 19. Quamquam posse etiam confisa cum cymba iungi, non negamus. Sed nudata sic altera vox attributis, altera onerata.

v. 11. Teuthrantis. Scaligeri coniectura, Franciani libri assensu postea firmata, Groning. proxime accedente. Neque tamen aliunde de hoc fluminis nomine constat, quod Kuinoelii verba secutus coniicias. Sed Teuthras in Italia solum Cumani hominis nomen refertur a Silio Italico XI, 288. Praeterea rex Mysorum huius nominis commemoratur a Strabone XII, 8. Diod. Sic. IV, 33. et aliis, quos citat Muncker. ad Hygin. fab. C. p. 160. Heyn. ad Apollod. II. p. 115. Unde Τεύθραντος ἄστυ Μυσῶν

ap. Aeschyl. Suppl. 548. γᾶ Τευθραντίας in epigramm. Cyzicen. 2, 2. Anth. Pal. p. 37. Teuthrantia regna Ovid. Trist. II, 19. Teuthrantia turba Ovid. Heroid. IX, 51., ubi v. Burm. Teuthrantius Caicus Met. II, 243. Hinc Mysiae ea potissimum pars, quae inter Pergamenorum et Elaitarum fines sita est, i. e. Cumae Aeolicae ditio, Teuthrania dicta perhibetur. Cf. Strab. XII, 8. Marcian. Capell. 2. Steph. Byzant. s. v. *Τευθρανία*. Iam vero quoniam Cuma Opica non magis Chalcidis quam Cumae Asianae coloniam fuisse testantur Strab. V. p. 372. B. Scymn. Chius v. 235. et quos citant Salmas. ad Solin. p. 72. Cluver. Ital. ant. II. p. 1104. Raoul-Rochette Histor. colon. Gr. III. p. 110 sqq. Hermann. De rebus publicis Graecc. c. IV. §. 82. n. 1. —: ipsa haec Cuma nostra optime et doctissime Teuthrantea vel Teuthrantia urbs dicatur eodem modo, quo Maeonia toties pro Etruria ponitur, ut Ovid. Metam. IV, 425. III, 583. Sil. VIII, 48. XV, 35. XII, 17. X, 40. V, 329. Unde proclivum est acceptam a Scaligero coniecturam aliter tamen atque ipse voluit, interpretari. Nam genitivum Teuthrantis non ad eam legem formatam esse, quam in nominibus Graecis Propertius sibi scripsit, Q. P. II, 6. p. 165. decimus; Teuthrantos enim debebat ponere. Contra si pro adiectivo accipias — Teuthrantis lympha similiter dicta atque I, 19, 10. Thessalis umbra et erit lympha Cumana. Utrum vero hoc nomine lacus Acherusius intelligendus sit, qui Strabone teste erat *τῆς θαλάσσης ἀνάχυσίς τις τεναγώδης* (unde fortasse tenuis unda), an Puteolana vel Neapolitana balnea (utraque enim civitas colonia Cumana, ideoque Teuthrantii nominis heres), nunc non liquet. Fuisse autem Neapoli quoque natationes et balnea haud ignobilia, Strabo auctor est l. l. *Ἔχει δὲ καὶ ἡ Νεάπολις θερμῶν ὑδάτων ἐκβολὰς καὶ κατασκευὰς λουτρῶν οὐ χείρους τῶν ἐν Βαΐαις*. Quacum interpretatione v. 11. clausam egregie conveniat.

v. 16. communes — deos. Cf. ad El. II, 30, 21.

v. 17. cognita i. e. probata. Cf. IV, 6, 37. Valer. Flacc. I, 788. Tibull. IV, 1, 1. ad El. II, 29, 33.

v. 18. In hoc loco emendando Lachmannus sategit, in defendendo Iacobus. Alter enim cum veretur rescriberet, alter cum vel levissimum amorem timeri diceret, non de Cynthiae amore, sed de aliorum virorum amoribus poetam loqui praeterviderunt. Hos enim intellige, qui ad deliniendam puellam in littore tacito compositam blanda ei verba insusurrabant. Hos se iure timere ait, nec ab hac parte vel fidissimam amicam satis esse tutam. Eadem prorsus causa

est, quae El. II, 34, 1. (Cur quisquam dominae faciem iam credit amori?) interpretes fefellit, ut ad coniecturas frustra refugerent, ubi v. commentar. Alioquin, etiamsi levissimi solum erga alios amoris suspectam haberi Cynthiam cum Iacobo censeas, librorum scriptura stare non possit. Ita antecedenti versui repugnaret. Neque enim a Cynthia timendum erat, quam modo innocentem dixit, sed aut ab aliis aut propter commune omnium, vel fideliter amantium mulierum vitium. Tum vero aut omni amori scribendum esse, aut veretur corrigendum Lachmannus recte sensit.

v. 21. Vulgatam An mihi non aliquo modo ferri posse Iacobus censet, sic interpretatus: An mihi non maior sit custodia (sc. puellae, quam custodia) matris. At immane esset, si sic loqui liceret poetis, ut verbis sententiam absconderent potius quam illustrarent. Neque enim ambigua solum verba essent, sed contraria ei, quod significaretur. Hoc vero quid est, quam proprietatem omnem de natura rerum tollere? Neque vero ipsius coniecturam probo utriusque versus initio haud rescribentis. Haec enim particula, quae modeste negantis est, nunquam, quantum sciam, ἀναφορᾶς figurae accommodatur. Praeterea unde An libros universos occupaturum fuerit, vix dicas. Itaque haud dubie correximus: An mihi nunc. Interpretatio haec potius est notae ñ, ambigui compendii, quam mutatio (cf. Var. Lect. I, 12, 9. I, 2, 25. ad El. II, 6, 35.). Particula vero nunc delitescente paene temporis significatione et vulgo et a nostro consequentiis adhibetur, ut I, 6, 1: Non ego nunc Hadriae vereor mare noscere; II, 3, 33: Hoc ego nunc mirer si flagret nostra iuventus? Add. I, 2, 15. 19, 1. II, 26, 21. Sit vero quod Puccius habet ex insequenti versu facile potuit irrepere, non, credo, sine emendandi consilio.

v. 24. Omnia tu nostrae tempora laetitiae. Audacissima metonymia, cui par alterum exemplum apud alios veterum vix invenias. Sed non, quia difficile, ideo non interpretandum. Causam enim pro eventu ponere et aliis vulgare et Propertio. Iam vero etiam tempus pro eo, quod illo tempore est. De utroque enim cf. Q. P. II, 6. p. 150. §. 28. Alterius vero usus rariora utique exempla, tamen ne apud alios quidem desunt. Sic Pers. Sat. V, 36: „Teneros tu suscipis annos — Socratico sinu," et quae neminem ita offenderunt „saecula" Lucretii pro gèneribus, velut: mortalia saecla I, 1092. I, 21. II, 77. III, 753. IV, 1223. V, 864. VI, 767. Forbiger. ad eund. II, 503. Alia eaque exquisitiora in ipso nostro cf. Q. P. l. l. Audacius omnino hic, quod utraque ratio coniuncta est. Sed

eo mitigatur, quod ipse poeta interpretationem quodammodo sententiae proximis versibus addit:

Seu tristis veniam, seu contra laetus amicis — (haec igitur tempora laetitiae) — Quicquid ero — Cynthia causa fuit. Ad metaphoras versus superioris recte comparant Hom. Il. Z. 429: *Ἕκτορ, ἀτὰρ σύ μοί ἐσσι πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ, ἠδὲ κασίγνητος· σὺ δέ μοι θαλερὸς παρακοίτης·* Addere possis Aesch. Suppl. 370: *Σύ τοι πόλις, σὺ δὲ τὸ δήμιον, πρύτανις ἄκριτος ὤν.* Quos qui ex Romanis imitati sint, vide apud Passeratium et Broukhusium.

v. 28. sqq. dabant. „Recte Burmannus dabant corrigit e Vossiano. — Frustra enim, praesertim fuerant sequente, dabunt pro dant, vel dare solent positum comminiscuntur.“ *Lachm.* Nihil addo. Apud eundem vide, quomodo dissidium et discidium (quod Neapol. habet, lapsu levissimo) inter se differant. Fuerant vero pro erant dictum noli mirari. Quamvis enim in aliis verbis plusquamperfectum pro imperfecto non poni, sed semper aliquam proprii usus notionem, quae pro natura loci alias aliter sit explicanda, superesse Krügero (gr. L. §. 444. n. 2.) et Haasio (ad Reisig. gr. Lat. p. 505. n. 456.) concedamus, ideoque Propertii locum (II, 31, 7.: steterant) a Lachmanno citatum aliaque plurima exempla a Keilio p. 21. congesta huc pertinere negemus (cf. ad El. I, 20, 4.): diversa tamen ratio est verbi substantivi. Hoc enim saepissime sententia minime ambigua modo cum alius verbi participio perfecto iunctum modo nude positum pro erat inveniri, et Propertii libri testantur (I, 12, 11. III, 13, 38. III, 23, 11. I, 16, 1. II, 13, 38. II, 29, 7.), et recte observaverunt Heusinger. ad Cic. Off. III, 21, 4. Bremius ad Corn. Nep. Themist. VIII, 3. coll. Ovid. Trist. III, 11, 25. IV, 5, 71. Cic. Off. II, 1. s. fin. III, 21, 82. Ter. Adelph. IV, 5, 52. Ovid. Fast. II, 434. Cic. Ep. Attic. VII, 1. quos locos singulos destruere aggressus Haasius (l. l.) subtiliter ille quidem, ut solet, sed non sine variis captionibus disputat. Neque ego, hercle, absurdum esse reor, si rem, tot testimoniis probatam et simili futuri exacti passivi rationi proximam, non negemus simpliciter, sed originatione perfecti fui explicare studeamus. Huius enim praesens priscum FUO (Diomed. p. 375.) cum idem proprie sonet, quod fio: perfectum fui primitus fere idem erat, quod sum. Quae significatio postquam usu vulgari exolevit (cf. tamen Haas. l. l. p. 490. n. 447.), eodem modo, quo in Graeco ἔφυν, in plusquamperfecto fueram et fut. exacto fuero plura vestigia reliquit, in partic. futurus semper remansit, unde Priscian. XI, 7. p. 927. (533.

Kr.) tria verbum fieri participia habere ait: fiens, factus, futurus. Add. Scalig. ad Tibull. I, 1, 67. Voss. Aristarch. III, 37. p. 319. Dissen. ad Tibull. I, 5, 19. qui praeter alios locos supra iam citatos conf. Ovid. Amorr. III, 8, 3.

v. 30. Baiae — aquae pro Baianis solus Prop. dicere ausus est. Cf. Q. P. II, 6. s. III. p. 163. B. aquae — crimen amoris. ibid. s. II. §. 28. p. 150.

Elegia XII.

v. 2. „Quod faciat nobis conscia Roma moram.“ Sic libri omnes; consciam Romam interpretantur continentem, „quae amores meos, Cynthiam inclusam quasi habeat.“ Sed non pervincunt. Nam quod hic ad Tibull. I, 7, 48. et ad exempla, quae illic Heynius et Dissenius collegerunt, provocant: posse etiam cistam consciam dici, nota figura, qua mutis et sensu carentibus sensus et intellectus tribuitur, quis neget? Sed conscia Roma ut „nihil amplius“ sit, quam Roma continens, nunquam exemplis suis efficient. Sed ut sit quod volunt continens, unde, quaeso, sumpserint illud, sine quo ne ista quidem interpretatio stare possit: „amoris nostri.“ At in hac amici opinione refellenda omne huius elegiae argumentum versatur. Negat versibus insequentibus Propertius amore se retineri; de Roma, quae se moretur, de conscia Roma οὐδὲ γρῦ. Denique si poeta hoc dixisset: Erras, quod ais: „Roma tibi moram facit“ —

Tam multa illa mea divisa est milia lecto cett. —

quo tandem pronomen illa, nisi merum rus loqui Propertium credas, referas, nisi ad Romam? Atqui de Cynthia, non de Roma agitur et illo versu, et toto quod restat carmine. Quin igitur tu ocius rescribe, quod sententia efflagitat:

conscio amore moram.

Librariorum enim lapsum in tam similibus vocibus, quis non excuset? In deliciis vero esse Propertio eam παρονομασίαν videbis coll. El. I, 3, 44.:

Externo longas saepe in amore moras

et 13, 6.:

in nullo quaeris amore moram.

Ad sententiam denique explicandam commodus succurrit interpres Ovidius Heroid. IV, 52.:

me tacitam conscius urit amor.

Vides accusatum Propertium ab amico, nomine Cynthiae

non appellato: Conscius te amor moratur. Cui optime se purgat poeta: „Tam longo illa (i. e. ea, quam ego te dicere sentio, Cynthia) a lecto, meo divisa est“ cett. Conscius vero usu exquisitiore (ut Ovid. l. l. et Virg. Aen. V, 455. conscia virtus) passive dictum, plane eodem modo, quo nostrum *bewusst*. Sic nescius Tac. Ann. I, 89.: aliis gentibus nescia tributa; gnarus Tac. III, 6. coll. I, 5. 51. 63. XII, 45. XV, 61. ignarus ibid. VI, 22. Sall. Iug. 18. 52. 103. De ancipiti vero similium adiectivorum significatione praeter locos ad El. I, 8, 16. collatos Barth. Adv. XXXV, 3. Burmann. ad Phaedr. I, 11. Gronov. ad Senec. Oed. I, 1. Boxhorn. ad Plaut. Rud. I, 5, 17. Heins. ad Ovid. Metam. VII, 672. Restat ut moneamus, ne quod (ut loco alioquin simillimo III, 11, 4.) pro coniunctione accipiatur, sed pro pron. relativo. Crimen autem non hic est incriminatio (ut III, 11, 3.), sed culpa ipsa (ut II, 28, 5.) i. e. desidia. „Hae igitur,“ inquit, „malae desidiae (quas tu in me iniuria fingis) te iudice, me morantur amoris vinculis.“ Desidiam igitur ut tolleret amicus, monuerat, quam, si Ovidio fides, „Puer ille sequi solet.“ Otio enim sublato, non amplius amore puellae ita irretitum iri, ut se semper amicis negaret. Ceterum duriorem elisionem non dicas, si quae de hoc Propertii usu Quaestt. II, 6. p. 179. congessimus, comparaveris. Keilius (p. 29.) ceteris relictis pro nobis Veneris scribendum proponit.

v. 6. De compositione huius distichi cf. Q. P. II, 6. s. IV. p. 173. dulcis in aure sonat. Broukh. de blandis amicae praesentis susurris interpretatur, testimonio usus Martial. Ep. III, 63, 7. sq.:

Inter femineas tota qui luce cathedras
Desidet atque aliqua semper in aure sonat.

Non inepte, fateor; et iniuria Lachmannus: „sonat dulce, quid sit, intelligo: non, quid dulcis sonat. Aut Cynthiae epitheton dulcis est. Id vero alieno loco ponitur, cum iam praecesserit illa. Aut denique dulcis substantivi loco est, quomodo formosam usurpant Romani. — At Latini nec dulcem ita dicunt, nec candidam“ cett. Itaque coniicit: dulcis — sonus. Sed neutra eius sententia vera est. Quomodo enim aut illa, quod v. 3. positum est, impediat, quin hic Cynthiae nomini epitheton addatur frequentissimum, aut quid causae sit, cur in hoc uno adiectivo poetae facere non liceat, quod in omnibus est permissum. — Sic non modo formosae (II, 18, 13. II, 34, 4.), sed etiam pudicae (III, 23, 9.), iratae (III, 8, 28. et Tibull. II, 1, 74. II, 4,

50.), securae (Tib. I, 8, 50.), avarae (ibid. II, 4, 35.), tener (ibid. I, 8, 51.), levis (Prop. I, 18, 11.), sic pronomina possessiva passim: suae Prop. III, 14, 22. tùae I, 9, 22. et III, 12, 18. loco iniuria Lachmanno suspecto. Sed nunc ne opus quidem est alterutra harum interpretationum. Restat enim tertia via, ut dulcis praedicato eodem modo additum sit, quo saepissime veteres ita adiectivis usos esse videmus, ut nostrae linguae ingenium secutus adverbium malis. Sic II, 23, 17.:

Differet haec nunquam, nec poscet garrula cett.

ubi si haec garrula subiectum credas, contraria paene evadat sententia; II, 1, 2.: Unde meus veniat mollis in ore liber. Ubi cave, mollis liber iungas. Vetat enim Latinitas: cf. Q. P. II. s. H. §. 6. p. 142. sq. et ad El. II, 30, 22. Ov. Met. I, 514.: non hic armenta gregesve Horridus observo. Tib. II, 6, 6.: „tua qui ferus otia liquit," et quod insolentius etiam: substantivum, ut Prop. III, 18, 31.: Errat spiritus ille, ubi v. comm. et ad II, 9, 19. Sed quid moror in re nimis nota? mireris, quod Lachmannus, qui Tibulli locum IV, 4, 19.: „At nunc tota tua est: te solum candida secum Cogitat" recteque ibi Heynium cum Vulpio interpretantes: „candide, candida mente" laudat, non sensit, suam rem hic agi, eodemque modo „Cynthia dulcis sonat" — licere interpretari (uti ipse desiderat): „Cynthia dulce sonat" — quamquam illud quoque crassa, ut aiunt, Minerva. De integritate igitur huius loci non dubitandum. Alia est quaestio, num Broukh. recte interpretatus sit. Nam hoc etiam Lachm. Burmanno concedat, ut de tinnitu aurium sermo esse possit, vulgata etiam nunc inter amantes superstitione. Profert enim ille testimonia epigr. Anthol. Lat. III, 202. et Meleagri LIII. Anall. Br. p. 119. Anth. Pal. carmen utrumque mellitissimum. Sed iure negat Iacobs. Animadv. ad Anthol. T. I. p. 69. Nam illo tinnitu non nomen auditur amatae, sed loqui ipsam de absente amatore coniicitur. Tu igitur rectius interpreteris de simulacro nominis quod auribus amatoris gestientis identidem obversatur, dulce et optatum, si facilis est puella, triste et grave, si quando contemnit. Cynthia autem pro nomine Cynthiae dictum ne mireris, cf. El. I, 18, 22.: Scribitur et vestris Cynthia corticibus, et I, 11, 8. ubi „Cynthia sublata." carminibus dicitur. Q. P. II, 6. p. 131. §. 15. p. 157. Rem ipsam optime illustrat Lucret. IV, 1058.:

— si abest, quod amet, praesto simulacra tamen sint
Illius, et nomen dulce obvoreatur ad aures.

Quo loco Broukh. ad suam interpretationem fulciendam usum esse, incredibile paene dicas.

v. 9. Qui in tres quaestiones versum distrahunt, contra cogitandi leges simul et grammaticam peccant. Haec enim particulam num primo loco poscit, non secundo. De invidia vero certus est poeta. Hoc solum dubitat, hominumne artibus divisus sit amor, an deorum numine. — Quae post an pro aliqua dictum censet Lachm. Sed non opus est argutari. „Herba, quae dividit" est herba discordiae, quam Prometheam dici Broukh. docet ad h. l. Dividere autem sine casu positum v. Q. P. II, 6. s. II. p. 124. §. 11.

v. 15. 17. Felix, qui — aut, si. De zeugmate v. Q. P. II, 6. p. 131. §. 16.

Elegia XIII.

De Gallo cf. I, 5. I, 10. I, 20. Q. P. I, 5. p. 21. sq. Paullus Silentiarius (Anall. Br. III. p. 73. ep. VII. Anth. Gr. IV. p. 43. Anth. Pal. V, 255. p. 128.) imitatione aperta ita hoc argumentum persecutus est, ut sublato prooemio, quod de invidia Galli et priore inconstantia agit, certamen illud amatorium (v. 15. fin.) accuratius exprimeret, atque etiam dilataret visionem. In fine tantum ad suam conditionem revertitur: *τρὶς μάκαρ, ὃς τοίοισι, φίλη, δεσποῖσιν ἐλίχθη· τρὶς μάκαρ· ἀλλ' ἡμεῖς ἄνδιχα καιόμεθα.* quod Prop. iam v. 2. occupaverat. De duplici v. 2. pleonasmo: quod abrepto solus amore vacem, cf. Q. P. II, 6. p. 140. §. 21. p. 158. §. 29.

v. 7. Perditus in quadam. Cf. Q. P. II, 6. p. 134. Praepositionem in post verba amandi pro simplici ablativo (de quo cf. Broukh. ad I, 4, 12. Burm. ad I, 9. extr.) positam non solus Propertius habet. Insolentior etiam Ovidius: uri in aliqua Met. VII, 21. in illa aestuat ibid. VI, 490. Art. Am. I, 731: Pallidus in Lyrice, et contra Met. IV, 547: in pellice saevae. Fast. VI, 576: Caecaque in hoc uno non fuit illa viro. Catull. LXI, 101: In mala deditus vir adultera. Cf. Lucret. III, 647. IV, 813.

v. 8. adire. Vulgo corrigunt abire. „Verum si victum ille se primo certamine confessus abiret, actum esset de eius dolore, aliarumque solatium sibi pro more suo Gallus quaereret — —; nunc vero tardis curis pallescit, victus non abit, sed alteram pugnam iam adire incipit." *Iacob.* Restitutionem probo; interpretationem non item. Primum enim, quin lapsus abire, modo librorum praesidio esset tutum, recte dici possit, non est dubium. Abire enim

in tali φράσει non est derelinquere, sed nihil nisi eventum significat, ut II, 12, 12.: Nec quisquam ex illo vulnere sanus abit. Praeterea „altera pugna“, in qua Iacobianae explicationis quodammodo cardo versatur, tacite irrepsit. Propertius si hoc voluit, dicere debebat: „rursus adire.“ An non adiit ante primum lapsum? Tu vero agnosce πρόληψιν eius generis, cum non in verbo finito sed in opposito summa praedicati vis versatur. Quo de genere cf. Q. P. II, 6. p. 140. §. 21. Hoc vult: Tu, qui antea in lubrica amoris via huc illuc desultare protervus solebas, nunc, dum adis puellam, primo gradu lapsus es, iaces, κεῖσαι, ut Meleag. ait ep. 28. Cf. El. I, 9, 3. I, 6, 25. Hanc tamen sententiam iam interpretatione Germanica a nobis indicatam imaginis concinnitate ferri Keilius (p. 7.) negat. Vellem certe docuisset, quae esset concinnitas imaginis et quid his postularet.

v. 9. Haec — erit poena. Cave haec vulgari attractione pro hoc dictum putes. Vetat ἀναφορὰ v. 11. et una versu breviori positum. Cynthia potius ipsa hic poena dicitur, ut III, 10, 15. Myrrha — crimen; I, 11. extr. Baiae-crimen amoris.

v. 10. vices-poenas interpretantur Burmannum secuti. Nec nego poenas esse posse vices, ut etiam munera (velut Tacit. Hist. IV, 3, 3.: Proclivius est iniuriae, quam beneficio vicem exsolvere), modo vicissitudinis significatio, quae in delicto et pretio inest, maneat. Hoc loco tamen viderint, quomodo enallagen expediant — multarum miseras — vices exigit. Nam si interpreteris: poenas exigit, quas pro multis miseris debes, immane erit. Itaque vices intellige (quod proprie sonant) fortunae vicissitudinem et orbem rerum humanarum, eaque mala, „quae cum olim te auctore puellae passae sint, nunc te ipsum manent.“ Sic demum recte intelligetur Horat. Od. I, 28, 32.:

Fors et
Debita iura vicesque superbae.
Te maneant ipsum.

Haec igitur vices num poena sint delicti, necne, illud non refert. Nec mutatur interpretatio, quod hic revera misera sors Pontico superbiae poena est, ideoque etiam verbum exigere propriam suam servat significationem Graeci εἰσπράττειν, qualis Ictis potissimum usu venit, et apud alios in varias metaphoras declinatur, ut Cic. pro Muraen. §. 142.: pecunias desperatas exigere; id. Ep. Famill. VI, 18.: pensionem; Ovid. Amorr. I, 8, 69.: pretium: Cic. Fam. III, 7.: tributa; id. ad Q. fratr. I, 1. Divinat. in Caecil. 30.: duodenos

sestertios; pro Fontei. 9.: quaternos denarios. Et ita ipsum illud: exigere poenam, quod exemplis probare non opus est; quamquam, si animus est, apud Burmannum congesta invenies plurima.

v. 13. augure. Rarior simplicis ablativi usus in personis; similiter tamen Ovid. Met. II, 281.: Silvam sororibus auctam. Iuvenal. XIII, 246.: frequens exsulibus magnis, et egregie id. VI, 130.: „Et lassata viris necdum satiata excessit" de Messalina, quae viris tamquam libidinis suae instrumentis utebatur. Item Tacit. Ann. IV, 3.: seque ac maiores et posteros municipali adultero foedabat. Adde eund. III, 41.: Turonii legionario milite oppressi. Cf. ad El. III, 22, 11.

v. 17. Hunc locum eroticí Graeci et Romani certatim excoluerunt, et recte conferunt Platon. epigr. ap. Gellium XIX, 11.:

Τὴν ψυχὴν Ἀγάθωνα φιλῶν ἐν χείλεσιν ἔσχον·
Ἦλθε γὰρ ἡ τλήμων ὡς διαβησομένη.

Quem videtur imitatus esse Meleag. Anth. Pal. V, 171. p. 112. T. I. p. 131. Iacobs. Anth. Gr. VII, 1. Ep. 15.:

— εἶθ' ὑπ' ἐμοῖς νῦν χείλεσι χείλεα θεῖσα
Ἀπνευστὶ ψυχὰν τὰν ἐν ἐμοὶ προπίοι.

His add. Petron. c. 79. 132. Lucret. IV, 1103. Plura invenies apud Iacobs. Animadv. ad Anth. Gr. I. p. 336. Sed in Propertio ulcus haesit, cum libri nostri omnes sine sensu optatis-verbis exhibeant. Hinc Iacobus voluit: optantis-verbis. At praeter offensionem numerorum, quae hic, ubi cum maxime adiectivum *δμοιόπτωτον* desideres (cf. Q. P. II, 6. p. 174.) nulla ratione excusatur (vid. enim exempla, quae ex Prop. exhibuimus omnia ibid. p. 178. sq.) — praeter hanc autem offensionem, quis in tanti ardoris descriptione, ubi omnes sales in compendio verborum positae sunt, dictum ferat: optantis verbis cupere, quasi quis aliis verbis cupere possit, quam optantis. Quare ne dubita, quin recte e cod. vetusto, ut ait, Passeratius eruerit: labris. Quamquam etiam, quod restat, optatis plus quam suspectum et Huschkio et Burmanno visum est. Sed quod alter proposuit oblatis languidius est, aptatis quod Burmannus maluit nimis artificiosum. Itaque obtentis reposui, quod interpres huius loci Paull. Silentiarius l. l. expressit: *καὶ πάλιν ἠρήρειστο τὰ χείλεα* et rursus: *χείλεα πηξάμενοι.* Sic Mosch. Idyll. *γ'*, 57. *τάχ' ἂν κἀκεῖνος ἐρεῖσαι Τὸ στόμα δειμαίνοι* et Rufinus non inficetus veterum

imitator Anthol. Pal. V. p. 90. Ep. 14. T. I. p. 87. Iacobs. ἐρίσασα (i. e. ἐρεισασα: cf. Iacobs. ad l. l.) τὸ στόμα τὴν ψυχὴν ἐξ ὀνύχων ἀνάγει.

v. 21. mixtus non satis proprie interpretantur: Neptunus forma Enipei sumta. Sed miscuisse se deum marinum fluvio egregie dicit, ad significandam liquidam deorum naturam. Sic III, 19, 13. sq.:

> — *Thessalico flagrans Salmonis Enipeo,*
> *Quum voluit liquido tota subire deo.*

Unum hoc sensisse video Passeratium frustra refragante Lachmanno. Neque enim ullo modo huc pertinent loci ab eo citati III, 24, 5.: „Mixtam te varia laudavi saepe figura," aut Stat. Theb. V, 155., ubi Venus dearum inferarum coetui mixta fallere (i. e. latere) dicitur. Tu contra cf. Q. P. II. c. 4. fin.

v. 23. amor Herculis. Cf. Q. P. II, 6. p. 149. §. 28.

v. 24. in Oetaeis. Sic libri omnes. Scaliger correxit ab Oetaeis. At ista vis est. Rectius Propertium dicas fabulam secutum esse, qua Hercules in ipso Oeta, rogo evicto et mortalitate abdicata, Iuventae nupsisse haud insulso commento narraretur. Cf. Q. P. II, 4. p. 70.

v. 25. amantes. Omnes; nihil muto. Sententia: Tu una hac die omnes superare amantes potuisti. Itaque eius contrarium antea negaverat (v. 21. Non sic, v. 23. Nec sic —), id iam affirmat. Lachmannus (ed. Lips.) absurdam credidit eam sententiam et correxit: amores, hoc sensu: Una dies, qua tu hanc puellam vidisti, amoribus tuis — pristinos intelligit desultorios — finem imposuit." At primum amores si poeta simpliciter ait, omnes amores sunt, non modo „tui" aut „pristini tui" quibus hic ipse amor novus continetur. Deinde quod praecurrere interpretatur auferre, non evincit. Nam Lucret. I, 372.:

> *Illud in his rebus ne te deducere vero*
> *Possit, quod quidam fingunt, praecurrere cogor —*

propria subest significatio. Pulchra enim est metaphora a duce vel ministro sumpta, qui nescio itineris et erranti praecurrit, ut viam monstret vel facem praeferat. Hinc exercituum praecursores dicti exploratores, de quibus egit Salmasius de R. militar. Rom. c. 13. Altero vero loco Valer. Flacc. I, 804. ubi „mors praecurrere diras" dicitur, impediendi significatio in morte posita est, quae si prior evenerit quam dirarum eventus, haec frustra sint futurae necesse est. — Hic vero contraria ratio.

Nam si eadem sententia, qua apud Valerium, dies haec praecurrere amores dicatur, nihil erit nisi „hic dies prior erit, quam amores futuri," — quod absurdum esse Lachmannus ipse fatebitur. Tu contra de metonymia ei figurae cognata, qua duarum rerum comparatarum altera ipsa ponitur, alterius qualitas, cf. Q. P. II, 6. p. 153. El. II, 3, 21.

v. 29. sq. Aliquid mendi hic latere in optimis libris omnes sensisse videntur interpretes. Heinsius correxit digna et prox. cett. Posse autem qualicunque modo vulgatam defendi ii demonstrabant, qui post partu maiore signo distinguerent. Sic partu pro partui antique dictum, tres autem illae quibus gratior una Cynthia: Leda cum Clytaemnestra et Helena. Ego vero legem secutus, quam in nominibus Graecis Propertium sibi scripsisse docui (Q. P. II, 6. p. 164.) pro Ledae partu Ledae e partu correxi. Nam Propertius, nisi alia causa exceptionem posceret, genitivum Ledes, non Ledae fecisset. Similem autem librariorum errorem vid. El. II, 22, 31. Q. P. l. l. Una e Ledae partu gratior tribus, Helena est, quae ut Clytaemnestra „fortissima Tyndaridarum" (Hor. Satir. I, 1, 100.), sic gratissima merito appellatur a cantore amorum: gratus enim de forma dicitur, ut El. I, 19, 16. in causa simili:

Illic formosae veniant chorus heroinae —
Quarum nulla tua fuerit mihi, Cynthia, forma
Gratior.

Egregia autem κλίμαξ, qua crescente laudis ardore primum Iove dignam et Ledae proximam ait, deinde alteram Helenam, iam vero omnibus heroinis superiorem, et quae Iovem, ut se amet, cogat: simillima figura El. II, 3, 29 — 34. Quo loco simul docetur, quo iure Helenam dicat Cynthiam. Quamvis enim v. 30. secundam post Helenam formam dixerit, iam v. 3. eandem superiorem Helena significat. De ἀντονομασία vero et συνεκδοχῇ utraque gratissima Propertio figura cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 151. §. 29. p. 158. II, 4. p. 75. quae hic in translationem accepta ἀλληγορίας speciem trahit, de qua vid. Q. P. II, 6. p. 147. Sic proxime nostro loco Ummidii liberta (Hor. l. l.) fortissima Tyndaridarum dicitur, sic (Quintil. VIII, 6, 53.) Clodia „quadrantaria Clytaemnestra", sic denique Daphnidis amica (Theocrit. Idyll. XVII, 2.) Ἑλένα; ne de nominibus ex antiqua historia repetitis dicam, quibus satirarum scriptores personas veras solent velare, ut Iuvenal. Sat. I, 58. X, 84. VI, 503. IX, 102. VII, 74. Pers. I, 121. Huc tamen pertinet Aeneas Iuven. V, 159. Aiax VII, 115.

X, 318. Ceterum huic nostrae scripturae Heinsianum librum opitulari, postmodo intellexi.

v. 33. quoniam semel pro quoniam tamen recte et Latine dici, quamvis simile quid nostrati: *weil nun doch einmal* sonet, nunc non negaturum esse Lachmannum credo, ut edit. Lips. fecit. Sic enim interpretatur. „Quia hoc ipse intelligis, fatale esse tibi semel neque iterum unquam vere amare, utere, ama.“ Nam si eandem normam aliis locis adhiberemus, ridicula saepe efficeretur sententia, velut Horat. Od. I, 24, 16.: quem virga semel horrida-nigro compulerit Mercurius gregi, scilicet-quos non bis vel terhis enim redire licet; item in nostro IV, 11, 3.:

Quum semel infernas intrarunt funera leges,
Panditur ad nullas ianua nigra preces;

Liv. III, 24.: fratrem, ex quo semel fuerit aeger, nunquam visum esse in publico. id. III, 36.: Possessum semel obtinerent imperium. De eo dici vides, quod factum mutari nequit. Cf. Oudend. ad Lucan. III, 296. Cort. ad eund. VI, 756. Wagner. ad Virg. Aen. XI, 418.

v. 34. Urere Itali. Meliorum librorum scripturam utere recte tuitus est Burmannus coll. Prop. IV, 5, 58. Tibull. I, 9, 48. quibus Lachm. addit Tibull. I, 5, 75.

v. 36. quodcunque. Recte: omnia tibi sit Cynthia. Cf. El. I, 15, 32. II, 23. Q. P. II, 6. p. 147.

Elegia XIV.

De dispositione cf. Q. P. II, 5. p. 86.

v. 1. unda. Markland. ad Stat. Silv. I, 3, 50. ulva coniicit, offensus sine dubio exquisitiore ablativi usu, qui pro praepositione in etiam tum ponitur, cum haec locum commoranti proximum significat. Sic II, 26, 57.: mihi si ponenda tuo sit corpore vita; ubi si interpreteris: imponenda tuo corpori, absurdum esset, sin: super corpus, nequitia. Add. II, 13, 53.: Illis formosum iacuisse paludibus, et quae congessimus Q. P. II, 6. p. 135. §. 18. Alioquin ulva pro unda scribere non esset audacis. Cognovi enim illam vocem saepiuscule a librariis indoctis promptiore altera expulsam esse, velut Tacit. Ann. I, 64. ubi de militibus in solo coenoso et uligine pugnantibus, non in fluvio, neque librare pilas inter undas poterant, ubi proclive est rescribere: inter ulvas.

v. 5. Lachm., quid sit omne nemus miratus, proponit: nemus unde. Sed nemus omne est totum, quod

circumspicis, nemus, et aptum est ad magnitudinem ambitus significandam. Silva autem ὕλη est, i. e. arbores universae, quibus nemus constat (cf. Lactant. ad. Stat. Thebaid. VI, 280.), ne cum Lachmanno dubites, an satas silvas intendere nemus non recte dicatur. Sic Ovid. Met. V, 265.: Silvarum lucus circumspicit antiquarum. De nemoribus autem, silvis amoenis, satis egit Broukh. ad h. l.

v. 12. gemma. Gemmarum vocabulo margaritas significari volunt coll. III, 13, 6. Tib. III, 3, 17. et IV, 2, 9. Potuerunt tamen et Propertius hoc loco et Tibull. II, 2, 15. revera gemmas intelligere, quas mare Indicum in littora eiicere putabatur. Cf. Curt. VIII, 9, 19.: Gemmas margaritasque mare littoribus infundit-quem Dissen. adhibet ad Tibull. l. l. Rectius tamen Curtium ipsum pro luxuriante sua oratione margaritas et gemmas tamquam synonyma cumulasse credas. Nam margaritas alias quoque lapides et gemmas dici probaverunt Dorvill. ad Charit. p. 531. ed. Lips. coll. Manil. V, 517. Salmas. Exercitt. Plin. p. 784. 790 sqq. Fr. Iacob. de M. Manilio poeta partic. altera. Lubec. 1835. p. 20.

v. 15 sq. Mimnermi versus (Stob. LXIII, 16. ed. Gaisf. p. 387. ed. Gessner.) expressit:

Τίς δὲ βίος, τί δὲ τερπνὸν ἄτερ χρυσέης Ἀφροδίτης;
Τεθναίην ὅτε μοι μηκέτι ταῦτα μέλοι.

v. 19. Arabium limen. Alabastritem onychem non marmor significari certum est. Cf. Plin. N. H. XXXVI, 12. (7. s. fin.)

Elegia XV.

v. 4. lenta venis. Cf. Q. P. II, 6. p. 143. §. 23.

v. 5. hesternos. Groning. cum aliis externos, frequentissimo librariorum errore. Veram scripturam optime tuitus est Broukh. coll. Ovid. A. A. III, 154.

Et neglecta decet multas coma — saepe iacere
Hesternam credas: illo repexa modo est.

Hesternum igitur erit, quod ita mansit, ut heri erat. Quo nomine etiam conferre licuit El. II, 34, 59.:

Me iuvet hesternis positum languere corollis.

v. 9. At non sic i. e. aliter; eodem modo quo infra nec sic. Atque haec ipsa proportio Lachmannum admonere debebat, ne e Groningani scriptura: „digressum

mota“ reficeret: digressu immota, ut non ad participium referretur.

v. 15. 16. Hoc distichum sua sede non legi, recte animadverterunt Markland. Ioh. Schraderus. Nec tamen tangere illud sustinui, quoniam qui locus ei a poeta ipso tributus fuerit, non certis indiciis apparet. Illi enim post hospitio (v. 21.) inseruerunt, Lachm. post pudicitiae (v. 23.). Utrumque non male; rectius certe, quam nunc legitur.

v. 20. Aemonio-hospitio, i. e. hospite Achille. Cf. Q. P. II, 6. p. 151. §. 28.

v. 21. miseros-per ignes. Fuerunt, qui seros vel mixtos mallent. Sed bene habere nostrum docuit Hemsterh., exemplis probavit Lachm. Tibull. I, 2, 89. Ovid. Met. XIV, 751. Valer. Flacc. III, 273. Stat. Silv. V, 5, 34. Cf. Q. P. II, 6. p. 143. §. 24. Speciosius quod Lachm. coniecit ablata pro elata. Sed aut illata malim, quod propius a codd. vestigiis abest, ita ut per ignes arctius iungas cum verbo occidit, ad participium vero dativum ignibus suppleas (quo de genere diximus Q. P. II, 6. s. II. §. 11. p. 128 sq.), aut elata non de funere et exequiis interpretandum, sed de impetu, quo Euadne in rogum se praecipitavit; sic elatus impetu Liv. IV, 39. coll. III, 5, 6. IV, 29, 1. — Nam illa, ut refert Eurip. Suppl. 1004.: ἐξ οἴκων ἐκβακχευσαμένα et in rupe ὄρνις τις ὡς ἐπὶ Καπανέως ὑπὲρ πυρᾶς δύστηνον αἰώρημα κουφίσασα — tandem per aerem elata insiluit rogo. Quodsi elatum simul ad fanaticum errorem conferre velis, quo rapta Euadne (ἐκβακχευσαμένα) mortem sibi conscivit, non equidem impediam. Sic enim in variis mentis perturbationibus verbum efferri usurpari lexica abunde docent. Cf. tamen Drakenborch. ad Hirtii Bell. Gall. VIII, 19. et ad Sil. Ital. XI, 492.

v. 26. movere irritare recte interpretatur Hemsterh. Est Graecum κινεῖν.

v. 27. Audax ah nimium! Nostro dolitura cett. „Hoc vide, posteriorem versum ad illa tantum pertinere: nostro dolitura periclo; contra Audax ah nimium ad praecedentia.“ *Lachmann.* Recte; sed quod propterea scribit: nimium, *et* nostro cett., id ob eandem causam reiiciendum censeo. Vix enim usquam frequentius esse ἀσύνδετον, quam in oppositis, docuimus Q. P. II, 6. p. 129. §. 13.

v. 29. Multa codd. omnes. Facillima Mureti coniectura: Muta. — Nulla-fluminа Passeratius e vetere cod. dedit sive interpolatum sive casu servatum, verum tamen. Nam Mureti inventum non satis ἀδύνατον, quo hic opus est, si-

gnificat. Neque igitur umquam in hoc genere a poetis usurpatum invenies, sed aut retro labi flumina dicuntur (ut III, 19, 6. II, 15, 31. Ovid. Trist. I, 7. init. Heroid. V, 29.), aut omnino non labi et destituere cursum, ut Virg. Ecl. I, 60. Senec. Med. III, 405. Dativus vero usitatior ad finem, quo motus tendit, significandum, quam ut satis causae fuerit, cur Iacobus pontum Oceanum fluvium interpretatus, ponto pro ablativo haberet.

v. 32. alienam Lachm. interpretatur „quam non curamus aut aversamur," ut Propertius dixerit: „Licet me fallas, tamen mihi cara eris." Sed durius hic futurum eris suppleas quam id quod in promptu est „sis." Nec exemplis pervicit Lachm. ut alienus esset, quem aversaremur, cum contra sit, qui nos aversatur hostilis, inimicus. Sic Vellei. Paterc. II, 3. quem citat, alienum salutari opponitur. Nec Ovid. Trist. IV, 3, 67. aut Ter. Phorm. III, 3, 12. aliud est, quam quod ad nos non pertinet.

v. 33. Quam mihi nae. Hanc scripturam optimi libri tenent. Turbae interpretibus hinc ortae, quod vocalem a librariis more suo per simplex *e* exaratum coniunctionem prohibitivam crediderunt. Sed verum iam in illo renascentium litterarum diluculo Puccius perspexit, qui hanc notam margini Regiensis allevit: *ναί*, nae. Nihil equidem addo.

v. 36. Hos iurabas, ut. De structura verborum per metonymiam expedienda cf. Q. P. II, 6. p. 156.

v. 37. Cf. ad El. I, 17, 1. II, 23, 9.

v. 39. multos pallere colores mire dictum esse Marklandus exemplari suo ascripserat. Et revera admirabile dictum est et vere *γραφικῶς*, nec, credo, minus eo pulchrum, quod novum est et sine exemplo. Quamquam non deesse scio, qui non licere poetae dicere credant, quod alius antea non dixerit. Cf. tamen El. I, 6, 6.

Elegia XVI.

Ianua loquitur, qua de figura cf. Q. P. II, 6. p. 117. §. 6. De dispositionis vero genere ibid. c. 5. p. 84.

v. 1. fueram. Cf. ad El. II, 29. Ne quis ianuam hic dici portam triumphalem existimaret, iam recte Passeratius monuit. Nam ianua aedium est privatarum (Cic. N. D. II, 27.: Fores in liminibus profanarum aedium ianuae nominantur), porta urbis. Portam autem triumphalem Circi Maximi ostium fuisse demonstrarunt Bunsenius (Descript. Urbis Rom. II, 1. p. 439. sqq.) et Sachsius (I. p. 215. n. 210 sq.). Hic vero privatarum aedium fores intelligi, trium-

phalium olim, nunc meretricis domicilii, ratio aperta cogit. Cf. enim v. 5. sq. Cautius tamen vitandus est alius error, quo omnes post Passeratium interpretes lapsi sunt, quasi per hanc ianuam triumphator a Capitolio redux curru aedes intrare sit solitus. Nam pompam triumphalem a porta Urbis coeptam (cf. Sachs. et Bunsen. ll. ll. et Athan. Ambrosch. Studd. et Observatt. de cultu et solo Romae antiquae p. 78.) epulis in Capitolio publice editis finitam esse certum est (Liv. XLV, 39, 11. 13.). Hic depositus est Iovis ornatus (Liv. X, 7. Sueton. Aug. 94. Iuvenal. X, 38. Serv. ad Virg. Ecl. X, 27. Lamprid. Alex. Sev. 40. Capitolin. Gordian. 4. quos locos primus omnium C. O. Müller. de Etruscis II, 2, 8. T. I. p. 374. recte illustravit); reges vero captivi, ne hoc v. 4. significatos credas, statim de Sacra Via in Carcerem deducti. Cic. Verr. V, 30, 77. Neque ostia aedium privatarum tantum usquam patebant, ut currum intrantem recipere possent, nedum quadrigam, siquidem curru publice uti nisi magistratibus summis et matronis interdictum erat antiquitus. Cf. instar omnium Becker. Gallus T. I. pp. 213 sqq. 219 sqq. Patefactam igitur ianuam triumphis interpretor, ut dominum laeta familia exciperet a clientibus domum deductum, simul vero titulos spoliaque recepta, quibus atrium et vestibula ornaret. Cf. El. III, 9, 26. Plin. N. H. XXXV, 2. Liv. X, 7. XXXVIII, 43, 11. Sueton. Neron. 38. Dissen. ad Tibull. I, 1, 54. Virg. Aen. VII, 183. II, 504. Sagittarius de ianuis veter. c. 29. in Thesaur. Graev. T. VI. p. 509. In vestibulo etiam substitisse quadrigas consentaneum est, ibique inter cetera triumphi monumenta, quibus frontem aedium decorare solebant, in perpetuam rei memoriam remansisse. Hinc igitur interpretare v. 3.: cuius inaurati celebrarunt limina currus coll. Iuven. Sat. VII, 125.: Huius enim stat currus aeneus: alti Quadriiuges in vestibulo. Quamquam et hic et apud poetam Aquinatem statuas triumphales in porticibus vestibuli poni solitas intelligi posse non inficior. De his v. Plin. N. H. XXXIV, 10. Liminis igitur nomine etiam vestibulum significat et loca limini proxima, ut Virg. Aen. II, 469.: Vestibulum ante ipsum primoque in limine, coll. VI, 576. Varron. ap. Serv. ad Aen. VI, 273. Porro qui v. 4. commemorantur captivi supplices, non reges sunt catenati, sed qui ex praeda imperatori vel sorte evenerant, vel sub corona empti erant (Liv. VI, 4. Appian. bell. Mithrid. p. 253. s. fin.). Hi igitur ante limen prostrati sedem novi domini suaeque servitutis inter lacrimas adorabant.

v. 2. Tarpeia pudicitia quae sit, nesciri ait We-

berus. Recte. Scilicet quia nemo sanus, quid esset, quaesivit. Sed quae sit Tarpeiae pudicitia, nemini credo obscurum videri, qui de metonymiae figura vel fando tantum audiverit. Recte igitur iam Passeratius: Tarpeiae pudicitiam Tarpeiam pudicam ait, i. e. castam Vestaeque dicatam, ut contra IV, 7, 57.: Clytaemnestrae stuprum Clytaemnestra adultera est. Exempla figurae Propertio admodum familiaris congessimus Quaestt. II, 6. p. 149. §. 28. Iam vero altera quaestio restat, quam Iacobus interpretatione sua evitare potius quam solvere studuit. Hic enim de Tarpeia pudica quaerendum negat, hoc ficto aedium nomine aliud pudicitia nobile latere ratus, velut Pompeii, nimirum quia vera domo descripta, Cynthiae nomen invitus proditurus fuerit poeta. At primum minime exploratum est, num haec elegia ad Cynthiam vere pertineat, an ad qualemcunque eius temporis meretricem famosam. Deinde semper dubitabitur, cur Tarpeiae potissimum nomine aedes eas appellaverit, cuius unus error nobilior fuit, quam omnis vita anteacta, quamvis casta fortasse illa et pudica. Nam utut Vestalis quae illicito amore patriam prodidit, cum praesentis dominae vitiis comparata pudica sane dici potuit, tamen si poeta hoc potissimum egisset, ut pristinam morum simplicitatem perditis suae aetatis moribus opponeret, aliarum feminarum nomina proferenda erant, quae minus ambigua castimoniae exempla ediderant. Itaque, quin poeta antiquas patriae historias egregie doctus domum certam significaverit, quae quondam gentis Tarpeiae fuit, nequaquam dubito. Nam praeter custodem illum notissimum alter etiam Sp. Tarpeius commemoratur, qui a. U. c. CCC. cum A. Aterio consul fuit (Liv. III, 31. Plin. VII, 28. Gell. II, 11. Dionys. Hal. X. p. 673. Diodor. XII. p. 293.). Hae igitur aedes, cum postmodo in aliam familiam triumphis illustrem transiissent, iam Ennianae illius antiquae domus fata patiebantur, de qua poetae dictum illud nobilissimum percrebuit (Cic. Off. I, 39, 139.): „heu, quam dispari dominare domino!“ Ceterum ubi haec domus sita fuerit, nunc quaerere otiosum est, quamquam in Arce fuisse suspicari licet. Cf. ad interpr. Propert. Germ.

v. 7. non desunt — pendere corollae. Ineptissimam ait locutionem G. Hermannus (in censura Observv. critt. Hauptii Ann. Philoll. a. 1842. Vol. 33. fasc. 3. p. 253.). Dictum nollem. Atque aliter profecto iudicasset, si unum saltem exemplorum, quae magnus Scaliger huic libro ascripsit, legisset. Pertinet enim haec structura ad id attractionis genus, quo subiectum accusativi c. infinitivo verbo

finito, ex quo ille infinitivus pendere debebat, subiectivi loco additur, usu Graecis admodum pervulgato (sic λείπειν et ἐλλείπειν: cf. Matthiae Gr. Gr. §. 297. p. 593. sqq. Bernhardy. Synt. p. 467.). Itaque quoniam deesse recte cum infinitivo coniungebatur, ut est apud Silium VI, 10.: „nec cernere deerat Frustra seminecum quaerentia lumina coelum," simulatque certum subiectum addendum fuit infinitivo, ea constructio facta est, quam personalem vocare solent, cuiusque idem Silius hoc habet exemplum iam a Scaligero huc adhibitum: Pascere nec Poenis pravum et nutrire furorem deerat (VII, 497.) et XI, 50.:

Nec quos vile genus despectaque lucis origo
Foedabat, sperare sibi et deposcere primi
Deerant imperium.

Adde Tacit. Histor. IV, 11.: Nec deerat ipse stipatus armatis — amplecti cett. Nam quod Scaliger cognatum et geminum verbum abesse citat ex eodem Silio (VIII, 635.), illic nunc pro absunt certissima Lipsii coniectura legitur: apium. Iam vero cum verbum deesse, quod alias cum particulis quin et quominus iungi solet, in iis quae posuimus exemplis paullatim in verbi desistere vel desinere significatum declinasse appareat, facilior iam et pronior facta est constructio et, ut in multis aliis verbis, *κατὰ σύνεσιν* instituta. Quo de genere v. Q. P. II, 6. p. 157. Apertior ratio in Lucan. VII, 669.: „nec deerat robur in enses Ire duci, iugulosque pati vel pectore letum" et Valer. Flacc. VII, 94.: nec spes Defuerit mox iussa pati nec cedere duris. Quocirca ne calidius Ruhnkenium secutus, qui ad Rutil. Lup. p. 132. hunc Propertii locum explicat librorumque scripturam defendit, utramque rationem temere confundas, cavendum est.

v. 11. 12. Spinosus admodum locus, et in quo ita haeserint interpretes, ut alter grammatico artificio accessum simul et recessum in verbo revocare inesse praedicaret, alter praestigio quasi quodam in explicatione pro et furtim nec substitueret, Lachmannus vero sententia desperata tamquam spurios hos versus eiiceret. Tu vero zeugmatis genus agnosce, de quo more suo Latinae grammaticae magistri socordius egerunt, nec vulgari huius figurae ratione satis separata a nostra (ut Ruhnken. et Westerhov. ad Terent. Andr. III, 5, 18. Gronov. Obss. IV, 2. p. 536. Platn.): diligentius Graecae (inter quos vid. Bernhardy. Synt. p. 458.). Huc enim pertinet Herod. IX, 2.: *οὐδὲ εἴων ἰέναι ἑκατέρω ἀλλ' αὐτοῦ ἱζόμενον ποιέειν*. Soph. Oed. R. 817. sqq.: *ᾧ μὴ ξένων ἔξεστι μηδ' ἀστῶν τινα δόμοις*

δέχεσθαι-ὠθεῖν δ' ἀπ' οἴκων. Add. ibid. 286. Nam quoniam permittendi verba, si negatio additur ipsis, necessitatis significationem trahunt: haec significatio, quamvis proprie ita demum valeat, ut contrarium proximi infinitivi iubeatur (ut οὐκ εἴων ἰέναι = ἐκέλευον μὴ ἰέναι), tamen in alterum etiam infinitivum, adversativa potissimum particula iunctum, transit et sublata negatione cogendi tamen vim servat; itaque οὐκ εἴων ἰέναι, ἀλλὰ ποιέειν idem fit quod ἐκέλευον-μὴ ἰέναι-ἀλλὰ ποιέειν vel οὐκ εἴων ἰέναι, ἀλλ' ἐκέλευον ποιέειν. — Sic Ter. Andr. III, 5, 18.: Namque hoc tempus praecavere mihi me, haud te ulcisci sinit, i. e. iubet me m. praecavere, haud sinit ulcisci. Nam quod illuc interpretes adhibent Phaedr. IV, 17, 1.: „Non veto demitti, verum cruciari fame," id aliter est; recte enim ex veto-iubeo non efficitur. Hic vero noster locus plane ad superiorem rationem pertinet, quamvis mutatis verborum vicibus. Nam cum revocare hic aperte sit iubere, cum aliqua anteactae vitae vituperatione; „non revocatur parcere, et vivere" cett. idem sonat, quod: „non iubetur parcere famae, atque usque sinitur turpior saeculi luxuria vivere." Itaque, si quidquam mutandum fuerit, pro et restituam at, quas voces saepissime a librariis et alibi et in nostro confusas esse docuimus El. I, 6, 22. Quamquam etiam copulandi particulis enuntiata negativa excipi, ubi adversativas malueris, comperi. Sic Ovid. Met. IV, 377.: Nec duo sunt, et forma duplex; Pers. Sat. I, 6.: non si quid turbida Roma Elevet, accedas, examenque improbum in illa castiges trutina i. e. sed castiges. Cic. N. D. III, 35.: Hunc nec Olympius Iupiter fulmine percussit, nec Aesculapius — interemit: atque in suo lectulo mortuus in rogum illatus est. Finn. IV, 4, 9.: ut neque sensuum fidem sine ratione, nec rationis sine sensibus exquiramus, atque eorum alterum ab altero separemus. Utroque loco pronum erat, sed scribere. Quibus exemplis haec nunc addere licet Cic. Off. III, 6, 16. I, 7, 22. II, 23. a Krügero collata Gr. Lat. §. 553. p. 714. Not. 4. a. Audacissimum vero, quod Statius habet Silv. II, 6, 38., ubi que bis positum, altero loco paria nectit, altero adversa inter se opponit: Non tibi femineum vultu decus, oraque (i. e. ve) supra Mollis honos-parvoque (h. e. sed) virilis Gratia, nec petulans acies, blandique (sed) severo igne oculi-simplexque (et) honore decoro crinis.

v. 13. Has inter. Sic libri mss. Nec multum refert, quod quidam Haec inter scribunt. Nam deflere sine accusativo positum quamvis similium verborum ἀναλογίᾳ non

careat, tamen in verbo flere vim transitivam nimis sanxisse videtur communis loquendi usus. Neque igitur inde quidquam proficias, quod verba transitiva etiam sine accusativo posita inveniantur, qua de re post Ruddim. (Institutt. T. I. p. 236. T. II. p. 156.) eruditissime, ut solet, Haasius egit ad Reisig. Gramm. Lat. p. 291. n. 319. Nam etiam in his modus est et certa norma usu definita (cf. lepidum illum in verbo deambulandi, et ipso insolentiore, iocum ap. Cic. de Orat. II, 63, 256.), neque hercle quisquam perspiciat, cur Propertius, cum simplex verbum in promptu esset, compositum insolens arcessiverit. His, credo, vel similibus causis motus Hermannus l. l. Has lites coniecit. At lites, quas rixas potorum intelligit, quomodo cogi se deflere ianua dicat? Immo cum ferre eas cogatur, deflere illud ei liberum esset. Neque enim v. 6. queri cogor ait. Tu contra, quid sit ianua deflet vel ianua moeret, ex El. II, 31, 14. discas velim. Illic enim ut signis insculptis funera Tantalidos deflet, ita hic carminibus posti affixis (v. 10.), quibus amator querelas suas mandavit, ipsa tristis (v. 14.) flere videtur. Sic III, 25, 9.: Limina iam nostris valeant lacrimantia verbis. Hinc non rixas illas querelarum esse argumentum, sed dominae duritiem et excubias, noctesque alteri concessas (v. 33.) apparet. Quocirca veram loci sententiam perspexisse mihi videntur, qui Broukhusium secuti versu breviori longas-excubias reposuerunt. Verum hoc ipsum durius. Neque enim umquam Propertius comparativo absoluto, qualis tum fuerit tristior more Catulliano usus est. Praeterea raro in casuum rationibus turbatum esse a librariis invenies. Quapropter aut cum Lachmanno Has igitur rescribendum censeo, aut, quod proprius etiam codd. vestigia accedit et concito huius loci affectui aptissimum videtur:

Has mihi ter gravibus cogor deflere querelis

i. e. mihi ter. Mihi enim (ad gravibus relatum) dativus est ille, quem scis, ethicus. Ter gravis autem dictum, ut ter felix (Ov. Met. VIII, 51.), ter amplus Horat. Od. II, 14, 8. Graeco more, quem illustrat Strabo I, 2.: *τῆς ὑπερβολῆς τῆς τοσαύτης συνήθους πᾶσιν οὔσης τρισμακαρίους καὶ τρισαθλίους λεγόντων· καὶ ὁ ποιητὴς Τρισμάκαρες Δαναοί, καὶ Ἀσπασίη τριλλιστος.* Sic *τρισάλαστος* ap. Meleag. Anth. Gr. 75, 1. Anall. Br. T. I. p. 21. T. I. p. 22. Iacobs. Epigr. *ἀδεσποτ.* n. 272. *τριχάλεπτος* Strato. 71, 5. Anall. Br. T.

II. p. 375. T. III. p. 85. Iacobs. Ne autem noctes longius repetitum credas, ad quod pronomen Has referas: de interiectionibus cf. Q. P. II, 6. p. 128 sq.

v. 14. *a*, quod codd. omnes cum sexto casu retinent, non praepositionem esse, sed *ἐπιφώνημα* cod. Hamburg. indicat apice. Ablativus autem post comparativum recte se habet. Et excubiae supplicis, supplex ipse est excubans. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 149 sq.

v. 17. Penitus cum comparativo iungi negat Burmannus, scilicet quia alibi non legerat. Ergo iungi posse, hoc loco disceret.

v. 24. Mirari subit, unde amator cognoverit, noctem et sidera et auram frigidam suam vicem dolere. Certe Eoum gelu non ita misericordem auram testatur, quae novos cruciatus infelici addiderit. Hoc sensisse videntur Itali, qui vel dolat, quod nimis rusticum, vel videt, quod elumbe est, correxerunt. Alteri tamen coniecturae Scaliger, alteri Heinsius patrocinatus est. Ego vero olim dubitabam, an forte dolere pro afficere dolore dixisset Propertius. Et sic locum Germanice interpretatus sum. Sed cum sine exemplis hunc usum esse intellexerim, et oppositio distichi sequentis, quae sit poetae sententia, aperte doceat, ad insanas potius queribundi hominis lamentationes male salsum hoc *ἀντίθετον* referam. Nec, si rhetorum scholis id deberi suspiceris, equidem magnopere repugnem.

v. 34. cadunt i. e. irrita fiunt. Cf. El. I, 10, 24. I, 17, 4. Ovid. Heroid. III, 98. Ceterum magnopere cavendum est, ne quis hunc dicendi modum, quo verba ventis rapi dicuntur, quae non audiuntur, cum altero, specie quidem simili, argumento autem paene contrario, temere confundat, cum quae ipse quis dixit, iuramenta imprimis, nihili habet. Nec tamen semper ab interpretibus satis discreta sunt utriusque generis exempla, velut a Cerda ad Virg. Aen. IX, 313. Interpp. Horat. Od. I, 26. init. Catull. 39, 9. 64, 58. Theocrit. Idyll. XXII, 167. Iacobs. Animadvv. ad Anth. Gr. T. IX. p. 213. Q. Maecii ep. 2. Anthol. Pal. p. 106.

v. 38. Corruptum locum esse omnes critici perspexerunt. Nec tamen hucusque est persanatus. Heinsius primum coniicit: „Quae solet ingrato dicere torva loco.“ At locus ad ianuam significandam nimis communis est appellatio. Torva vero epitheton petulantiae irrisoris non aptum; sed aut superbo et imperioso, aut saevitiae splendescenti. Alterum vero Heinsii inventum irato ioco ita ad sententiam idoneum, et ad litterarum ductus facile, ut recipere in ordinem non dubitaverimus. Quamquam non pariter ei ces-

sit alterius, quod restabat, ulceris medicina: pota pro tota. Dicere enim sine accusativo oratoris est, non commissabundi, nedum linguae vino titubantis. Haec enim vix loquitur. Quid igitur, si scribas torta? Nam verbum torquere, simili a telis et iaculis ducto, de orationis vi dicitur, ut est Iuvenalis illud VI, 449.: curvum sermone rotato Torqueat enthymema. Hinc contorta oratio in laude dicitur, quem usum illustravit Spalding. ad Quintilian. X, 7, 14. Tortum vero et totum saepissime a librariis confundi videbimus El. III, 20, 20. Sed ἐπέχω et dum certiora proferantur, Pucciani librarii emendatione qualiquali turba acquiesco, ut quae genere neutro et casu accusativo ad antecedentia verba κατὰ σύνεσιν referatur: v. Broukh. et Burm. ad El. I, 18, 24. I, 19, 17. Nam in petulantia linguae dicendi notio latet. Certe haec scriptura Livineii divinatione occupata, quae ne sit a Propertio profecta, aliquam saltem habet antiquitatis commendationem, melior utique coniectura Scaligerana quae solet iratus dicere trita ioco. Nam de reliquorum conatibus consulto taceo.

v. 41. deduxi. Metaphora a lanificio sumpta, quam cave confundas cum alio eiusdem verbi usu, de quo dicemus ad El. II, 33, 34. Deducere filo Ovid. dicit Met. IV, 36. Heroid. IX, 77. Catull. LXV, 312. stamina Tibull. I, 3, 86. — Hinc simili aperto Horat. Epist. II, 1, 225.: tenui deducta poemata filo. Cf. comm. ad El. IV, 7, 37. Aliis vero locis rectius abusionis figuram cum metaphora iunctam dicas. Nam deducere etiam de texendo et de argumento vestibus intexto dictum occurrit Ov. Met. VI, 69. Hinc demum ad carmina et poetae artem translatum ibid. I, 4. Trist. II, 560. Nam de textura et poesi frequentissime comparata vid. Burm. ad Ovid. Amorr. I, 14, 7. ubi glossam citat ascriptam ad Ovid. Trist. I, 1, 39. „tractum est a filo, quod subtiliter deducatur a colo.“ Sic enim pro caelo scribendum esse vidit Drakenb. ad Liv. V, 38, 1. Cf. El. II, 1, 35.

v. 42. Quae sint oscula nixa, docuimus Q. P. II, 6. p. 143. §. 24. Iacobus gradus privatarum aedium fuisse negat. Falso. Nam ne de gradibus domuum Graecarum dicam, de quibus lex Hippiae extat apud Aristot. Oecon. II. p. 1347. Bekk.: Ἱππίας ὁ Ἀθηναῖος τὰ ὑπερέχοντα τῶν ὑπερῴων εἰς τὰς δημοσίας ὁδοὺς καὶ τοὺς ἀναβαθμοὺς καὶ τὰ προφράγματα, καὶ τὰς θύρας τὰς ἀνοιγομένας ἔξω ἐπώλησεν: de aedibus potentium Romae Seneca testis (Epist. 84. fin.): „Praeteri istos gradus divitum et magno aggestu suspensa vestibula.“ Quid, quod coenacula

saepe scalis erant instructa, quae in publicum dabant. Cf. Liv. XXXIX, 14. Becker. Gall. T. I. p. 39. 40. n. 9. — et p. 94. Neque enim veri est dissimile, in cella tali parvo conducta habitasse meretriculam nostram. Hic enim erant pauperiorum domicilia. Vid. Martial. III, 30, 3. VII, 20, 20. I, 118, 7. Adde imagunculas Pompeianas et Herculanenses, quas aere et lapide exprimendas curavit H. Roux et L. Barré. Hamburg. 1841. T. IV. tab. 14.

v. 47. Vulgo coniungunt semper amantis. Itaque I. H. Vossius vertit: *des immer Verliebten Jammergeschrei*. At non unius amatoris constantis, sed turbae limina oppugnantis importunitatem assiduam ianua queritur. Quare semper per *ὑπέρβατον* cum verbo differor iungendum erit, figura Propertio maxime familiari. Cf. enim Q. P. II, 6. §. 10. p. 121. Pleonasmus autem ne te laedat: „semper — aeterna invidia“: in particulis semper et saepe frequentissimum eum apud nostrum esse docuimus ibid. p. 140. §. 21. s. fin. p. 158. §. 29. s. fin. Exempla eius usus etiam apud alios poetas passim obvia, sed omnem modum excedit quod Ovidius habet, Trist. I, 2, 18.: Verba miser frustra non proficientia perdo. Add. comment. ad El. II, 9, 18.

Elegia XVII.

Ad dispositionem cf. Q. P. II, 5. p. 87.

v. 1. Et merito. De huius particulae vi et usu initiis comparato vid. Q. P. II, 6. p. 150. Sic (Ovid. Met. IX, 584.) Byblis orsa est: Et merito, quid enim temeraria vulneris huius Indicium feci. Add. Horat. Sat. I, 10, 1. Pers. Sat. III, 1.

v. 3. 4. Cassiope. In huius nominis scriptione tutissimum arbitror codd. mss. acquiescere, quamvis geographi Graeci, Strabo (VII, 7.) et Stephanus s. v. utrumque oppidum tam Epiri quam Corcyrae constanter *Κασσώπην* scripsisse videantur. Neque aliter populum cognominem, qui inferiorem Epiri regionem colebat, iidem auctores et Scylax (p. 11.) Cassopaeos vocant. Sed Plinii codd., ut videtur, meliores (IV, 19.) Cassiope et (IV, 1.) Cassiopaei exhibent, itemque in tertio oppido, quod ipsorum Cassopaeorum erat Ptolem. III, 14. §. 8., qui etiam *Κασσιοπαῖο* ibid. et §. 1. *Κα(σ)σιόπη λιμήν* habet. Accedunt Gell. N. A. XIX, c. 1. Sueton. Neron. 22. Cic. Ep. Famill. XVI, 4. Et habet quo haec scriptura se defendat. Nam Iovis Cassii templo oppidum nomen debere Plinii et Suetonii locis proba-

tur. Hodie *S. Maria di Cassiope* audit. In insequenti voce ingeniosam Wyttenbachii coniecturam recipere non dubitavi, quam Bibl. crit. Amstel. II, 2, p. 10. proposuit. Nec credo Lachmannum, si eam rescivisset, fuisse dubitaturum. Sic enim omnis de hoc loco lis facillime solvitur. Etenim solito quod libri tuentur, sententiam omnino nullam praebet. Nam neque Propertius nauta fuit, qui solitus esset Cassiopen navigare, nec solito usquam est ex solito. Quod vero Iacobus ad eam vocem ex sequenti versu littore arcessendum ait: id inter dura omnia, quae Propertius ausus est, durissimum foret. Immo nequaquam ferendum. Nam solitum sic ingrato opponeretur, cum tamen solitum littus ingratissimum esse possit, et verbis sic distortis omnis sententiae vis in voces alienas violenter coniiceretur. Nihil enim aliud poeta vult, nisi: nunquam portum navem suam nacturam, omniaque vota frustra concepta esse. De ablativo ingrato littore cf. Q. P. II, 6. p. 137.

v. 5. absenti-venti. V. Q. P. II, 6. p. 175.

v. 7. de usu participii perf. ibid. II, 6. §. 8. p. 121.

v. 11. „oculis opponere est: haud commoto animo tecum cogitare". *Iacob.* Recte. Cic. pro Quint. 14.: „Adhibenda vis est veritati: minae iactentur: pericula intendantur: formidines opponantur, ut iis perterritus cedat." Nec tamen idem Iacobus verbum tenere ex. infinitivo opponere dependens facere debebat. Posse enim hic idem valet, quod alibi pati, i. e. de se impetrare frequentissima significatione praesertim cum sententia aut negatur, aut certe oratio in negandi modum composita est. El. III, 12, 1. Postume, plorantem potuisti linquere Gallam? I, 9, 22.: Et nihil iratae posse negare tuae; II, 7, 7. sq.: Nam citius paterer — cett. — Quam possem nuptae perdere amore faces. II, 34, 9.: Lynceu, tune meam potuisti — curam tangere? II, 15, 35.: Terra prius eludet arantes — Quam possim nostros alio transferre dolores; II, 23, 9.: Cernere uti possis vultum custodis amari; II, 9, 19.: At tu non una potuisti nocte vacare. Cf. initium huius elegiae. Virg. Aen. XI, 325.: Sin — possunt solo decedere nostro, quod non recte accepere interpretes. Add. eund. VII, 808.

v. 12. ossa nulla — nostra i. e. nec ossa nostra. Cf. enim Q. P. II, 6. s. II. §. 25. p. 145.

v. 15. levius Neapolitani scripturam praetuli. Duorum enim malorum atrocium non melius alterum, sed levius. Nec me movet, quod Iacobus verbo pervincere — melius, verbo tolerare: levius magis accommoda-

tum esse ait. Nam levi non semper contrarium grave, sed etiam durum, ut est apud Hor. Od. I, 24, 19.: Durum, sed levius fit patientia. Unde noster II, 5, 16.: Omne in amore malum, si patiare, leve est et contra II, 34, 49.: Nec tu tam duros per te patieris amores, et hic v, 16. dura puella audit.

v. 21. Absurde Burmannus: rasos. Secare enim et tondere lugentium est, radere insanientium. Meo funere non magis quam v. 23. extremo pulvere dativum esse, sed ablativum, docuimus Q. P. II, 6. p. 137. §. 18. cf. El. I, 18, 12. Item v. extremo mansuetis littoribus non simplex locativus, sed absolutus casus, quo simul modus et ratio significatur; similiter El. I, 8, 20.: Ut te — Accipiat placidis Oricos aequoribus. De pleonasmo denique (v. 23.) in mortis attributis: extremo pulvere, multa collegerunt, quamvis satis confusa, Batavi docti. Cf. Q. P. II, 6. p. 158. §. 29.; sed adde Claudian. Proserp. I, 261.: finis suprema. Horat. Epist. II, 2, 173.: morte suprema; ad sententiam vero Philet. ap. Stob. Flor. CXXIV, 10. p. 617. frgm. Bach. 10. p. 40.:

Ἐκ θυμοῦ κλαῦσαί με τὰ μέτρια, καί τι προσηνὲς
Εἰπεῖν, μεμνῆσθαι δ' οὐκέτ' ἐόντος ὅμως.

Elegia XVIII.

v. 2. Et. Lachm. p. 239. ad El. IV, 2, (i. e. III, 3.), 31. Ut mavult, i. e. ubi. Sed priscum illud est nec Propertianum.

v. 8. Bachius Ingen. Eleg. Rom. p. 152. infelicissimo conatu errorem Hamburgensis numerabar inter recepit, quod suavius esset et *ῥυθμικώτερον*. Immo absurdissimum antiquis auribus foret, producere in thesi brevem. Cf. Q. P. II, 6. p. 179.

v. 9. merui. peccavi interpretantur, paene recte. Ita enim merere differt a peccando, ut, quae prudentes commisimus significet, peccare errandi potius notionem habeat. Sic Tibull. II, 4, 5.: Et seu quid merui, seu quid peccavimus, urit. Ter. Andr. I, 1, 112.: Quid feci, quid commerui, aut peccavi, pater? Ceterum cf. Heyn. et Dissen. ad Tibull. l. l. et I, 2, 85. Ovid. Met. II, 279. Fast. IV, 239. Heroid. VII, 71.

crimina a Lipsio est, Pucciani codicis assensu postea probatum. Vulgo carmina, quod, nisi tam pronus in his vocibus librariorum lapsus esset (cf. Broukh. ad III, 9, 3

Scaliger. ad Severi Aetn. p. 89. Drakenb. ad Liv. I, 26, 6. VI, 2, 4.): haberet fortasse, quo se defenderet.

v. 11. Miris modis hic somniarunt interpretes, qui levis pro levem dictum interpretarentur. Nempe adiectiva levis et facilis confuderunt. Sed ipsam levitatem puellae poeta deprecatur. Quae enim Propertio leves puellae sint, vid. II, 1, 50. I, 4, 9: Levis potius est vocativus; levitatis enim crimen merita erat Cynthia, quae sine causa amatorem fidelem repudiaverat. Itaque „referas te mihi" est redde te mihi. Catull.: Restituis cupido, atque insperanti ipsa refers te. Hinc Ieverus discat, quam mala avi (ad Lucan. I. p. 164.) coniecerit: servet Deus.

v. 12. Cave, ne Burmanno obsecutus (ad III, 9. i. e. II, 40.) limine pro dativo accipias. Hanc enim formam vix antiquissimis prisci sermonis monumentis, nedum Propertio concedendum esse docte disseruit Conr. Schneider. de Etymol. p. 200. sqq. Omnia enim, quae Broukh. et Burmannus l. l. congessissent exempla aptiore interpretatione esse diluenda. Itaque hic limine ablativum puta instrumentali q. d. proximum: dativum autem domui vel similem, quem apud animum addas, sponte secuturum intelliges.

v. 17. calore. Recte Lachm. Propertio reddidit, nec tamen aut ipse aut Iacobus exposuerunt, quomodo hinc ea quam uterque iure probat sententia effici posset: „quia parva damus caloris signa, unde mutatum calorem coniicias." Est autem compendium Propertii maxime proprium, et ex duabus figuris conflatum. Primum enim ablativus calore, utut causam continet participium, more Propertiano laxius additur substantivo, cum alii scriptores genitivum posituri fuerint. Quo de usu cf. Q. P. II, 6. p. 136. s. f. Deinde sententiae summa vis in attributum coniecta προλήψεως figura, de qua vid. ibid. §. 21. p. 140. coll. §. 23. p. 142. Hoc igitur crimen sibi obtendentem Cynthiam Propertius facit, quod tam parva signa caloris sibi det, unde mutatum eum esse necessario colligatur. Contra mutatus color (quod Keil. propter N. et M. consensum mavult), primum nascentis amoris signum, quo tenerae puellae amatore viso, erubescentes modo, modo pallentes flammas celatas prodere solent, ab hoc loco prorsus alienus est. Neque igitur refert Apollon. Rhod. III, 298. contulisse.

v. 18. Et non ulla fides pro „nec unquam fides" insolentius dictum observa, cf. Q. P. II, 6. p. 145. §. 25.

v. 20. De amoribus Panos et Pityos, quos Passeratium miror ex hoc uno loco cognovisse, praeter auctores a Broukh. citatos cf. Longin. Pastoral. I, 27.: ἀλλὰ καθίσασα

ὑπὸ πίτυν καὶ στεφανωσαμένη πίτυϊ ἥδε Πᾶνα καὶ τὴν Πίτυν. ibid. II, 7.: Ἐκάλουν τὸν Πᾶνα βοηθὸν ὡς καὶ αὐτὸν τῆς Πίτυος ἐρασθέντα. Nonn. Dionys. II. et XLII.: ἀλλὰ καὶ αὐτὴν Μέλπε Πίτυν φυγόδεμνον ὀρειάδα σύνδρομον αὔρῃ Πανὸς ἁλυσκάζουσαν ἀνυμφεύτους ὑμεναίους. Add. Lucian. Dial. Deor. XXII, 5. Liban. t. IV, 1108. Constant. Geopon. XI. c. 10.

v. 21. Adiectivum tenerae, quo sensu cum voce umbrae coniungerent, dubii interpretes, coniecturam Schraderi receperunt, qui pro teneras ex breviori versu vestras arcessivit, illic vero teneris reposuit. Ego quondam tremulas conieceram, quod a Passeratio occupatum postea sensi. Sic incertae umbrae apud Virg. (Ecl. V, 5.) coll. Stat. Theb. V, 749. flamma tremula. Virg. l. l. VIII, 105. Cic. N. D. II, 110. c. 43. aquae tremulum lumen Aen. VIII, 22. VII, 9. Cupressus tremula Petron. 131. et umbrae Calpurn. Ecl. V, 101. Verum nunc antiqua probo. Tenerae enim umbrae eodem modo, quo apud Tibull. II, 5, 96. (coll. Ovid. Met. V, 336.) levis umbra, dicuntur, quam gravi i. e. molestae oppositam esse illic Dissen. frustra demonstrare conatur. Tu potius levem et inanem umbrae naturam designari puta, quae solidis corporibus opponatur. Quam interpretationem unice, credo, probabit, qui verno potissimum tempore silvas ingressus auras et herbas amoeno diluculo leviter obscuratas senserit. Quamquam, si spreta hac descriptionis evidentia, qua tamen Propertius unus omnium poetarum Romanorum excellere semper mihi visus est, eruditius quid quaeras, habeo quo scrupulum a Schradero iectum fortius etiam removeam. Umbra enim a poetis notissima metonymia pro ramis et arboribus et foliis, quibus umbra efficitur, poni solet. Sic IV, 8, 75. porticus Pompeii nemori addita: Pompeia umbra dicitur et II, 13, 33. laurus ipsa:

Et sit in exiguo laurus superaddita busto,
Quae tegat extincti funeris umbrā locum.

Neque igitur III, 13, 37.: lentus circumdabat umbras tentandum erat, quamvis nisi de ramis ipsis umbram praebentibus dictum esse non possit. Nam apertius etiam Virg. Ecl. IX, 20.: viridi fontes induceret umbra. Quare ne mireris apud eundem Ge. I, 157.: „Umbrae amputari.“ Nam Calpurnius (quem, si nostra sola admiraremur, non pateremur eripi coniecturae pristinae: tremulas) Ecl. V, 101.: Excutit Africus umbras tremulas, i. e. frondes. Addatur Festus s. v. „Umbrae vocabantur Neptunalibus caesae

frondeae pro tabernaculis.“ Alia exempla ex Virg. poematis diligenter excerpsit Wagner. Quaest. Virg. IX, 7. litt. a. et f. ed. Virg. T. IV. p. 413. sq. Drakenb. ad Sil. It. IV, 681. XII, 354. XIV, 202. Novus autem hic quoque Statius, qui non modo Silv. V, 2, 70.:

nescia falcis
Silva comas tollit fructumque expirat in umbras,

sed etiam ibid. III, 4, 30. alas vocat umbras: ex humeris nullae fulgentibus umbrae. Scio eam elegantiam interdum fefellisse interpretes, ut Senec. Med. 767. loco, quod sciam, nemini intellecto, ubi de Medeae incantationibus:

nemoris antiqui domus
Amisit umbram vocis imperio meae.

Iam igitur vel iis, quibus sola docta solent placere, cum frondes teneras pro umbris habeant, satis datum existimo.

v. 21. An. Ut ineptum notat Kuinoel. „At poeta: An, inquit, tristitiae tuae causa est, quod infidiam tuam me aegre tulisse credis? Mene iniuria tua offendi posse? Ego omnia iussa tua timidus fero, nec me iniuria tibi mutare potest.“ *Lachm.* optime.

v. 22. De more ne nunc quidem exoleto testimonia Hemsterhusius aptissima protulit, unde unum solum exhibere iuvat Callimachi, quod fortasse Propertio obversabatur (frgm. 25. p. 347. Cl. Bentl. p. 466. Ernest.):

Ἀλλ' ἐνὶ δὴ φλοιοῖς κεκολαμμένα τόσσα φέροιτε
Γράμματα, Κυδίππην ὅσσ' ἐρέουσι καλήν.

v. 24. De generis, q. d., enallage cf. Broukh. et Burm. ad h. l. Contrarii vim latere in pronomine relativo docuimus Q. P. II, 6. p. 129. §. 13. ad El. II, 25, 17. Sententia: At haec ego nunquam foris eliminavi!

v. 27. divini fontes. Alii aliter coniecerunt. Ingeniosius quam verius Lachm.: Di, nivei fontes. Nam quod quaerit, cur hic Fontes potius, quam ceteros deos omnes invocet: proximae erant et solae Nymphae testes eius miseriarum. Has utpote amoris peritissimas — nam (El. I, 20, 12.) „Ausoniis est amor Adryasin“ — infelicis amantis ut misereret consentaneum erat. Sed Dryadas iam v. 19. advocavit; iam aequum erat ut Naiadas. (De harum autem numinibus cf. Serv. ad Virg. Aen. VII, 84. Davis. et Creuzer. ad Cic. N. D. III, 20. Tacit. Ann. I, 79. Burm. ad Ovid. A. A. III, 452. et quos Burmannus nepos citat ad h. l. add. Q. P. II, 4. p. 78.) Hac vero sententia „aerem et terram“

quod ait Lachm. „simul advocare“ non potuisse Propert. iam sponte apparet; neque enim in simili causa ap. Theocritum Id. 8, 33. aliter: Ἄγκεα καὶ ποταμοὶ, θεῖον γένος invocantur. Frequentissimae autem tales ἀποστροφαὶ in Propertio. Cf. Q. P. II, 6. §. 3. p. 113.

v. 31. sq. resonant — et vacant Scaliger nulla causa addita contra omnes libros scripsit. Nec recinere desierunt, quamquam Hemsterh. eam licentiam merito taxavit, Barth. Kuinoel. Paldamus.

v. 32. Eundem morem hic significatum Hemsterh. censet, quem v. 22. illustravit. Magis probo alteram interpretationem, ut amplificatio sit versus antecedentis, et imago vocis intelligatur saxis repercussa. Cf. Ovid. Heroid. X, 22.

Elegia XIX.

v. 2. V. ad El. I, 17, 21.

v. 5. Amantium oculi visco illiti dicuntur, quibus amor et desiderium haereat, diverso simili ab eo, quo ocellis amatarum mulierum amantes captari finguntur (cf. ad El. I, 1, 1.) et rursus ab eo, quo oculi amantium a puellis capiuntur, aut vulnerantur. Cf. comment. ad El. I, 5, 11. III, 24, 2. Ad nostram rem egregie facit Meleag. ep. 4. Brunck. Anth. Pal. p. 582.:

Ὦ προδόται ψυχῆς παίδων κύνες αἰὲν ἐν ἰξῷ
Κύπριδος ὀφθαλμοὶ βλέμματα χριόμενοι,
Ἥρπασαν' ἄλλον ἔρωτα κ. τ. λ.

et epigr. ἀδέσποτ. Anth. Pal. p. 101. Anall. Br. 52. T. III. p. 161. Anth. Gr. IV. p. 128.:

Εἴ μοί τις μέμψοιτο δαεὶς ὅτι λάτρις Ἔρωτος
φοιτῶ θηρευτὴν ὄμμασιν ἰξὸν ἔχων.

Interpretes varia miscent.

v. 7. 8. Illic-caecis locis. Burm. Ille et, Iacobs., Olim et, Ast. Sic et. Sed optime Lachmannus (p. 148.) confert Anacreont. IV, 6. πρὶν ἐκεῖσε δεῖ μ' ἀπελθεῖν, ὑπὸ νεφτέρων χορείας. Alia plurima utriusque linguae exempla, quibus adverbio demonstrativo certa loci appellatio additur, collegerunt Baehr. ad Plutarch. Pyrrh. c. 1. p. 144. Weisk. de Pleonasm. p. 141. Iacob. ad Lucian. Tox. p. 77. Bornemann. ad Xenoph. Conv. VIII, 4. p. 186. Huschk. et Dissen. ad Tibull. I, 10, 37.

v. 9. 10. cupidus — Thessalis umbra. Sic recte Itali restituerunt, nisi tamen acceptam ab ipso poeta scripturam per saecula soli servarunt. Cupidus enim ad Phy-

lacides referendum, umbra Thessalis vero non subiectum est, sed praedicato additum, ut El. III, 18, 10: ille errat — spiritus; nescio tamen, quo meo errore evenerit, ut in ordine carminis contra ac volebam Thessalus — umbra exararetur. Hoc addo, eundem virum qui antea accuratiore appellatione Phylacides dictus erat, in altero enuntiati membro communi nomine Thessalum nisi maximo languore nuncupari non posse. De adiectivo vero Thessalis, quod per enallagen Propertio perquam familiarem attributo additum est, non ipsi subiecto, vid. Q. P. II, 6. p. 144. §. 24. antiquam autem, i. e. pristinam domum ne tangas, caeci loci v. 8. admonent, qui illi opponuntur.

v. 12. fati-littora, sunt mortis. Cf. ad El. II, 28, 39.

v. 16. Burmannus: „Venus hoc, si dea iusta, s.“ irata credo ipsa Venere, modo sensisset. Et tamen recepit Kuinoelius nescio quid de Venere ψυχοπομπῷ somnians. Ne autem de codicibus dicam, e quibus Venerem notissimam librariis deam obscuro Telluris numine, lapsu scilicet elegantissimo, expulsam iure mireris: verissima est Astii interpretatio (Obss. p. 17.): „iusta. in eo iusta, si id, quod iure fit, tribuit atque concedit.“ At contortam esse interpretationem Kuinoel. ait; scilicet impeditam dicere voluit. An forte impeditam dixerit et claudicantem Horatii orationem Od. I, 24, 7.: Qui — poscis Quintilium deos — non ita creditum, i. e. non hac conditione. Prop. IV, 11, 35.: Iungor, Paulle, tuo sic discessura cubili, i. e. iuncta. Add. II, 25, 40. III, 16, 12. Deprecatur igitur Telluris, alias iustissimae deae, si fas sit dicere, iniuriam. Penes Tellurem autem animarum est imperium et sedes cuique suas tribuendi arbitrium. Hinc Sueton. Tib. 75.: Terram Matrem deosque Manes orarent, ne mortuo sedem ullam nisi inter impios darent. Contra, quod est in mellitissimo epitaphio Aquini reperto (Marin. Actt. Fr. Arv. II. p. 830. Orell. C. I. 4831.):

Pondere subiecto Phlidis (f. Thetidis) componimus ossa
Grata magis Terrae, quam tibi, Luna, Capys.

v. 17 sqq. Singulis quibus critici hunc locum vexarunt coniecturis taxandis tempus impendere religio est. Unum commemoro, quod diutissime in editionibus haesit, tuis pro meis, a Scaligero audacter et nullo librorum subsidio repositum. Sed rursus v. 18. sententiam primus vere, ut plurima, perspexisse mihi videtur Passeratius sic interpretatus: „Tu mortua etiam mihi misero,“ (lacrimis meis, i. e. mihi

lacrimanti; cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 149 sqq.) „quem curae nec in ipsa morte relinquunt, cara eris, teque mortuam complectar.“ Ad sequentia vero recte Iacobus: „Quae (i. e. quem sempiternum amorem; cf. ad El. I, 18, 24.) „si tu viva sentire possis, cum ego comburor“ (immo combustus fuero; de ablativo enim hoc plane Propertiano cf. Q. P. II, 6. p. 136. 137. Interpretatus est Ovid. Trist. III, 3, 85. sqq.: Quamvis in cinerem corpus mutaverit ignis, Sentiet officium moesta favilla pium.), „nulla parte mihi mors tristis futura sit.“ Restat ut de v. 17. dicam, quem maxime transversos egisse interpretes credo. Unde enim, quaerat aliquis, Propertius compertum habebat fore ut „Cynthiam longa senecta remoraretur?“ Neque quod Iacobus interpretatur remoretur idem est, quod remoratura sit. Itaque et hoc loco „remorehtur“ sicut v. 18. „possis“ optativum puta, non coniunctivum, qui ex coniunctione quamvis pendeat. Gratior ita et efficacior κλίμαξ. De ossibus vero pro umbra et Manibus dictis cf. ad El. IV, 11, 101. Lachm. ad eiusd. el. v. 8. Sentire autem vocabulum quasi proprium videtur in hoc tacito mortuorum et superstitum commercio. Cf. Ovidii locum supra relatum, eundemque Met. VIII, 488. sq.: Vos modo fraterni manes, animaeque recentes, Officium sentite meum. Add. ibid. XIII, 504. Stat. Silv. V, 3, 242. locum utrumque a Lachmanno adhibitum. Tumulum autem et Orcum passim a nostro confundi docebimus El. IV, 11. init. Superest ut Lachmanno respondeamus, qui ad El. III, 15, 2. (i. e, II, 22, 44.) sic verba haec nectit, quasi Propertius mortem „per se amaram nullo nunc pretio (nullo loco) sibi esse“ dixerit. Istud vero est implicare argutiis locum simplicissimum, non explicare. Hoc enim ait poeta: Ubicunque moriar, mors non amara mihi erit.

v. 22. heu. Libri optimi consentientes *e* exhibent. Itali in *a* mutarunt. Illud autem *e* familiare librariis compendium est epiphonematis heu. Cf. ad El. II, 12, 15.

v. 25. Numerus versus minime Propertianus. Fortasse rectius legatur: Quare, dum licitum est, inter laetemur amantes. Compendio ÷ omisso *ũ* cum insequenti voce coaluit, aut propter similitudinem litterarum statim periit. Idem versus exitus, eadem τιμῆσις El. I, 18, 7.: inter numerabar amantes.

Elegia XX.

v. 1. Galle. Cf. El. I, 5. 10. 13. Q. P. I, 5. p. 21 sq.

v. 2. vacuo defluat ex animo, i. e. defluat ut vacuus fiat. Q. P. II, 6. p. 140. §. 21.

dixerit. Ferri non posse, quod plurimi libri iique satis boni praebent, dixerat, certum est, quidquid contra Keilius disputat, qui plusquamperfectum pro simplici praeterito, nescio quibus calumniis adhibitis positum esse pugnat. At nunquam Latinus sermo temporum usum ita misceri passus est. Cf. comm. ad El. I, 11, 29. At error Keilii inde natus, quod dativum Minyis, quem cum adiectivo crudelis coniungere debebat, ad verbum dixerit rettulit. Hic vero modus est potentialis, quo cum modestia, eoque ipso fortius quam indicativo fit, asseverare aliquid solemus. Haec igitur sententia est: imprudenti amanti fortunam nocere Ascanius (crudelis olim Minyis) docuerit (vel doceat); i. e. non modo tunc docuit, sed nunc et omni tempore. Hinc mutato nomine de te quoque fabulam narrari memento.

v. 6. proximus ardor Hylae: est tibi puer amatus simillimus et facie et nomine Hylae. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 149.

v. 7—9. silvae. Lachmannus Scaligerum secutus nuper recepit Silae. Sed Anieni nihil est cum Bruttiis. Remotissimas autem Italiae regiones enumerare, nihil aliud foret, nisi suavissimum locum putida doctrina corrumpere. Sententia potius haec est: Sive tu fluminis ripam cymba leges, sive ipso flumine natabis, sive spatiaberis in littore: perinde cavendum a rapinis nympharum. Nam in re nautica verbum legere proprium. Serv. ad Virg. Aen. III, 127.: Legimus, praeterimus. Tractus sermo a nautis, quod funem legendo, i. e. colligendo, aspera loca praetereunt. Atqui ego vehementer dubito, an rivulus ille Bruttiae ne cymbulis quidem navigabilis fuerit. Ceterum ne aequa partium distributio desideretur, hoc monendum, Anienem, qui maximo alveo arva aperta et viridaria culta praeterlabitur, silvae fluminibus non contineri. Nomine autem q. d. proprio in talibus divisionibus non opus esse ut iusta membrorum proportio efficiatur, El. I, 14. fin. docet, ubi pro hoc:

non ulla verebor
Regna, nec Alcinoi munera despicere —

Marklandus eadem de causa, sed iniuria tentavit: non Lyda verebor cett. Simile autem aliquid accidit loco Theocriteo VIII, 53. *Μή μοι γᾶν Πέλοπος, μή μοι χρύσεια τάλαντα* — ubi Pierson. quamvis ingeniose, eadem tamen licentia *Κροίσοιο τάλαντα* reposuit. — Hunc — cupidis rapinis. Facillima mutatione pro Hunc ex Aurati emendatione Huic editum primum a Broukhusio. Nam plurimi codd.

v. 9. exhibent: cupidas — rapinas. Sed proba Groningani scriptura. Eadem est verborum σύνταξις quae in Plaut. Bacch. III, 3, 39.: Noster eris, cum te poteris defendere iniuria. Fortasse nostrum expressit Statius Silv. II, 3, 24 sq. Nunquamne avidis arcebo rapinis Hoc petulans foedumque pecus.

v. 10. Probo, si qui interpretantur: ubicunque vagus hospes excipieris hospitali fluminis ripa. Sic hospes dicitur venator vagus III, 13, 43. et peregrinus, cui Romanas causas Propertius exponit IV, 1, 1. Mirum tamen, quod Lucilius Aetn. v. 127. ripas fluminum — hospitium fluviorum appellat, ut ipsi fluvii advenae sint alveis suis.

v. 12. Ex variis codd. stribligínibus Heinsius effecit et Dryasin, Ayrmannus ac Dryasin, Lachm. Hydriasin. Proximum vero Scaligeri inventum ah! Dryasin; sed non nimis elegans. Adryasin Struvius (in Ann. Gymnas. Regiomont. 1819. p. 4.) Propertio vindicavit, quod et ipse tentaveram multo ante quam Addenda editionis Iacobinae legeram. Iure postea recepit Lachm.

v. 13. durum, quod omnes libri scripti aut ipsum retinent, aut fuisse in exemplari unde manaverunt erroribus suis indicant, recte Lachmannus reddidit Propertio. Nam duros, quod Lipsio obsecuti vulgo scripserant, tam pronum esset et facile, ut quomodo librarii inde ad alteram scripturam multo difficiliorem aberrare potuissent, nequaquam intelligeretur. De exclamationibus eiusmodi Burmannus egit ad Anthol. Lat. T. I. p. 196., nos Q. P. II, 6. s. II. §. 2. p. 113.

v. 14. Non de nihilo est Livineii coniectura, pro expertos, cui novissima littera facile ex sequentis vocis initio adhaesisse potest, levissima mutatione scribentis: experto. Quo recepto quam apte omnia coeant, monere supervacuum est. Mirum enim semper mihi visum est locos, quos Gallus aditurus sit, expertos dici, quae Hercules perpessus sit. Quanto rectius Gallus aditurus esse flumina et lacus dicatur expertus (i. e. si expertus fuerit) eadem, quae Hercules in Hyla. De formula dicendi „ne sit adire," quae iterum in Propertio obvia est III, 3, 41. cf. Heins. ad Ovid. A. A. II, 28. Gronov. Observv. p. 344. ed. Platn. Dissen. ad Tibull. I, 6, 24. IV, 3, 3.

v. 15. Herculis error, i. e. Hercules errans. v. Q. P. II, 6. p. 149. §. 28.

v. 17—20. ferunt Argo — applicuisse ratem. De metonymia hac singulari et ἀναχολουθίᾳ proxima cf. ibid.

p. 153. sq. Simillimum autem nostro Meleagri illud est ep. 125. Br. Anth. Pal. p. 125. αἱ δ' αὐταὶ καὶ φέγγος ἐδαδούχουν παρὰ παστῷ πεῦκαι, i. e. taedae — faces ministrabant. Add. comm. ad El. IV, 8, 76. III, 10, 22.

v. 18. Phasidos viam. v. Q. P. II, 6. s. II. §. 20. p. 139. orbis iter Ovid. Trist. V, 14, 34. via leti Hor. Od. I, 28, 16.

v. 19. Athamantidos undis. „intellr. mare circa Thessaliam, in quod Ino, Athamantis uxor, se praecipitavit." Sic tribus erroribus uno ambitu iunctis Barthius; et expressit iisdem verbis fidelis pedissequus Kuinoelius. Non in mare circa Thesaliam Ino se praecipitasse, sed in Saronicum, nec Ino esse Athamantidem, sed Hellen, nec denique Athamantidos undas Thessalicas esse, sed Hellespontum, vel pueri sciant. Neque longius petenda erat ea doctrina; verum enim iam Beroaldus vidit coll. III, 22, 5.

v. 21. placidis oris. Heinsius placitis correxit, quod exinde omnes editores arripuerunt. Optime habere quod universi libri tuentur, Lachmannus docuit coll. I, 17. extr. III, 19, 7. Ovid. Trist. IV, 4, 58. Ep. ex Pont. I, 2, 62.

v. 27. palmis pro pennis dictum esse (unde hoc ipsum maluerunt Guyet., N. Heins. Advv. p. 332. Markland. ad Stat. Silv. II, 1, 172. plumis Livineius coniecit), Lachmannus collatis Mitscherlich. Lectt. Catull. p. 159. Eustath. ad Odyss. IV. p. 349, 34. Oudendorp. ad Appul. Metam. V. p. 366., non persuasit. Quamvis enim si sententia penitus postularet pro pennis accipi posse non negemus, hic tamen et anceps nimium esset, et agendi vis, quae in carpendis oculis apparet, manuum opem non inutilem desiderat (sic enim El. I, 3, 16. ipse Propertius oscula sumit admota manu). Pendere autem et suspensum esse de omni volucrum parte dicitur. Sic Stat. Silv. II, 7, 3. ungula Pegasi pendens appellatur.

v. 28. oscula supina ne te offendant, cum vel nixa oscula dicantur I, 16, 42. Hoc tamen novum, quod oscula quae Boreades proni ferebant, supina dicuntur, quippe rapta supino Hylae. Ad sequentia enodanda interpretes mire desudaverunt. Nec me nunc morantur Heinsii commenta, qui hic ingenio magis quam usquam lasciviente quatuor coniecturas proponit, audacia simul et elegantia certantes: ne Lachmannus quidem expedivisse rem videtur. Sic enim ille: Hylas — Boreadum alteri „sinistra manu externam alam, hoc est, remigum pennarum longissimam arripit, itaque dum ille altius volare nititur, sub ala pondere deorsum tracta pendet, qua arte ab ore appetentis secluditur ac remo-

vetur.“ At sic, quaeso, arreptus quidni contraxit alas, ut delapsus in terram apprehendentem Hylam pedes et cominus a sinistra invaderet? Deinde non qui quam longissime abest et removetur, secludi recte dicatur, sed qui absconditus latet. Secluditur enim quasi medio genere et reflexivo dicitur, ut effundi Liv. XL, 31. circumfundi Virg. Aen. II, 385. advolvi Tac. Ann. I, 13. circumvolvi Virg. Aen. III, 284. deiici ibid. IV, 152. armari XI, 463. Itaque extremas alas non interpretor infimam alarum partem, sed summam alam, sive brachiorum et humeri commissuram seu ipsarum pennarum intelligi mavis. Sic ἄκρον πόδα Soph. Phil. 748. non infimam pedis partem appellat, sed summam. Ala autem extrema tanto rectius dicitur, quanto saepius ala iam per se eam quam diximus brachii partem significat, et est pro axilla. Sic enim magis proprie adiect. extremus recessum et angulum designat (qua de notione v. ad El. I, 11, 6.) quem brachium cum latere efficit, et vides quam apte sic verbum secluditur positum fuerit.

v. 30. volucris insidias i. e. insidias alitum. Q. P. II, 6. s. II. §. 24. p. 144.

v. 32. Hamadryasin Scaliger primus dedit coniectura certissima, quod Iacobum fugisse miror.

v. 33. Pege. *Πήγας* Apollonius Rh. I, 1222. eum fontem appellat et confirmat Schol. ad l. l. Hinc Pegae Scaliger scripsit. Sed rectius quod Turnebus dedit, Pege. Nam in altero singularis erat excusationem non haberet. Praedicati enim numerus aut verum subiectum sequitur, aut in appositione proximum. Utrumque autem hic est Pege, non domus. Nec multum iuvat quod Lachm. Pegae virgulis inclusit.

v. 48. Spurium hunc versum censet Iacobus. Credo, quia insequentem alioquin retineri non posse probe persensit. Nam quam ipse causam profert, quod „facili prolapsus liquore“ Hylas sonum dare non potuerit: nae istae argutiae sunt. Sonum enim facere, quidquid in aquam labatur, quis neget? Nedum iuvenis leniter repugnans. Contra v. 49. corruptum esse perspicio. Nec tamen, cum reliquorum VV. DD. falsos esse sentiam ornatus, ipse mihi in emendando satis placeo, ut in ordinem recipere audeam, quod olim tentavi, Quem procul Alcides citat ad responsa: sed illi —. Clausulam enim hanc: sed illi vel at illi prorsus Propertianam quovis pretio redimendam esse a Lachmanno censeo, cuius coniectura, alioquin et facilis et elegans:

Cui procul Alcides iterat, responsa det: illi,

hoc solo nomine mihi probari nequaquam potest. Nunquam enim in fine versus pronomine ille novum comma Prop. orditur nisi particula adversativa praemissa. Cum hac autem particula lubentissime: vide exempla Q. P. II, 6. s. IV. p. 170. congesta. Suspensus enim in fine animus eventum rei iam promissum attentis auribus expectat. Nec aliter Tibullus I, 4, 13:

Hic, quia fortis adest audacia, cepit: at illi
Virgineus teneras stat pudor ante genas.

Add. eund. II, 1, 79. Ov. Amorr. I, 4, 37. Lucan. III, 663. IV, 36. Ovid. Met. V, 121. IV, 174. Pers. Sat. III, 105. Rutgersii autem coniectura numerus mollissimorum versuum misere dilaceratur. Sic enim ille (Varr. Lectt. p. 213.):

Tum sonitum rapto corpore fecit. — „Hyla“
Cui procul Alcides iterat. Responsa sed illi — cett.

Quale vitium pentametri naturae exitiale nunquam commisisse Propertium intelliget, qui accurate nostrum de compositione Propertiana tractatum perlegerit. Heinsii denique commentum:

Quem procul Alcides iterat: Responsa sed illi —

ne Latinum quidem est. Iterare enim aliquem pro nomen alicuius iterare, inauditum.

v. 52. Miror, quantum in versiculo interpretes trepidaverint. Iacobus, quod vix intelligas: „Hoc exemplo admonitus amores tuos melius servabis, alterum Hylan tuum Nymphis credere visus; sive: nunc, quod alterum Hylan Nymphis te credere putabis, ages cautius.“ Scaliger ex uno Cuiaciano cod. corruptissimo pro visus tutus dedit, quod pro securus dictum existimant; sive infinitivum credere cum verbo servabis coniungunt (quod cavebis interpretantur), sive tutus credere idem sonare existimant, quod securus credere. Sed tutus hoc loco pro securus dici non poterat. Semper enim et ubique etymi sui tueri significationem servat, ut sit circumspectus et cautus. Nec contrarium evincunt Lachmanni exempla El. III, 2, 11. (i. e. II, 2, 11.) aut Horat. A. P. 265. Utroque enim loco id ipsum est, quod diximus. Nam Propertius, cum ait „Ante ferit (Amor), tuti quam cernimus hostem,“ hoc vult: quantumvis circumspectos et providos Amor fallit; et apud Horatium „tutus et intra spem veniae cautus“ inde vituperium habet, quod plus aequo cavet, non ut securus, qui cum se tutum falso credat minus quam par est, circumspicit. Hinc securi et soluti hostes ap. Liv. XXV, 39. Add. XXXVI, 41. Plin. H. N. XXVIII, 9. sect. 42. Tacit. Ann.

III, 54. Quintil. VI, 1, 14. At solito acumine Seneca Epist. 105. s. fin.: Tutum aliqua res in mala conscientia praestat, nulla securum; id. 97.: tuta scelera esse possunt, secura non possunt; et tragicus cognominis Hippolyt. I, 164.: Scelus aliqua tutum, nulla securum tulit. Lachmannus ipse credere fisus rescripsit, vereor ut Latine. Nec ego hercle perspicio quid in vulgata non placeat. Aptissima enim sententia. Nunc tu servabis amorem, cum hucusque nymphis puerum tuum credere visus sis. Non facies in posterum!

Elegia XXI.

De hoc Gallo, propinquo fortasse Propertii (cf. El. I, 22, 7.), quae coniectura assequi licebat, diximus Q. P. I, 5. p. 21 sq. Integrum autem est carmen, quidquid contra disputat Heinsius. Cf. Q. P. II, 2. p. 54.

v. 1. consortem casum, i. e. casum consortium. Fortissimum enallages genus, de quo vid. Q. P. II, 6. p. 144. §. 24.

v. 3. Quid nostro gemitu. Nihil tentandum; neve tamen cum Lachmanno nostro gemitu pro nostri gemitu dictum puta. Est potius nobis gementibus et recte I. H. Vossius: *bei meinem Geächz.* Cf. enim de ablativo illo Q. P. II, 6. s. II. p. 136. Proximus est causali, de quo saepius etiam dicemus. Nec vero Groningani illud: qui ceterorum codd. scripturae quid praetulerim. Nam commotum moribundi militis animum haec interrogatio decet; nec repetitum pronomen relativum qui ἀναφορᾶς figura commendaretur.

v. 4. pars ego sum vestrae proxima militiae. Est, qui explicet: „ut I, 13, 29. proxima Ledae.“ Mirum narrat vix credibile! Ergo Gallus pars est (cuius autem rei?) simillima militiae. Tu vero partem militiae vestrae intellige unum ex vestris militibus, quo de genere metonymiae cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 150. et commentar. ad El. I, 6, 34. Proximus vero miles (vel hic pars proxima m.) recte dicitur, qui proxime vel nuper miles fuit; fortius etiam, si verum superlativum intelligere liceat: ultimis, qui his in montibus cladi Perusinae superstes est. Sed exempla non suppetunt. Nam „proxima cura“ Ovid. A. A. II, 746. aliquantum differt. Cetera pro temporis adverbiis adiectiva saepenumero poetae onere notum (cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 25. p. 145. et comment. ad El. II, 4, 7. IV, 3, 54.). Quamquam obscurior alius usus ratio non semel interpretes fefellit. Sic Ovid. ex Pont. II, 3, 83.:

Ultima me tecum vidit moestisque cadentes
Excepit lacrimas Italis ora genis —

ubi cave, locum significari credas; est enim idem, ac si dixerit: postremo — me accepit It. l. Sic El. IV, 2, 58.; „haec spatiis ultima meta meis," non quasi plures metae sint, aut quia meta extremo spatii loco posita sit; sed idem est, ac si dicas: iam ultimo meta adest; apertius Ovid. Amorr. III, 15, 2.: Raditur hic elegis ultima meta meis. Cf. comm. ad e. l. Add. ibid. IV, 10, 49.: hic es, et ignoras, et ades celeberrimus absens, i. e. crebro. Neque aliter explicandus Ovid. Met. IV, 156.: quos serus amor, quos hora novissima iunxit, quod Heynius (ad Tib. I, 2, 39.) pro diutino amore dictum falso interpretatur; nec melius Broukh. ad Prop. I, 15, 21. funebre vinculum explicat. Est potius: sero iunxit, quippe post mortem. Add. Virg. Aen. XII, 852.: Alitis in parvae subitam collecta figuram. Ovid. Trist. IV, 9, 26.: Perpetuae crimen posteritatis erit, i. e. perpetuo. Prop. El. IV, 3, 22.: Aeternusque tuam pascat, aselle, famem, i. e. in aeternum. Iuvenal. XV, 90.: Nam scelere in tanto — ne dubites an — prima voluptatem gula senserit. Nam gula hic neque aliis gulis nec ulli alii rei opponitur; sed prima plane est pro primum dictum. Sic adiectivum πολύς Graece toties pro πολλάκις usurpatum. Call. H. Dian. 27.: πολλὰς δὲ μάτην ἐτανύσσατο χεῖρας, ubi vide Ernest. Cf. Davis. ad Cic. Div. I, 20. Hunc locum, quem Ruhnken. cum concoquere non posset, coniectura tentavit (Ep. crit. II. p. 24.), Stanleius illustravit ad Aesch. Agam. v. 732. cf. Abresch. ad Aristaenet. p. 166. Apollon. Rhod. I, 248. Wellauer. ad Aesch. Agam. v. 845. 849. et Sept. ad Theb. 6. Musalc. epigr. 13. Anall. Br. p. 238. ubi vid. Iacobs. Animadv. ad Anth. Gr. T. I. p. 406. qui comparat Eurip. Iph. Taur. 362. Sophocl. ap. Stob. p. 163, 27. Theocrit. Id. XVI, 71. Valcken. ad Herod. VI, 125. p. 496. Toup. Longin. p. 283. Rarior idem usus apud Romanos. Huc tamen refero Iuvenal. VIII, 148.: Ipse rotam astringit multo sufflamine consul, i. e. saepissime adstringit suffl. Appulei. Met. VIII, p. 518. Oudend.: Et eum furens aper invadit iacentem, ac primo lacinias eius, mox ipsum resurgentem multo dente laniavit, i. e. saepissime l. Ovid. Trist. IV, 10, 128.: in toto plurimus orbe legor. Cf. quae ad formulam notissimam: multus sum in aliqua re Riglerus collegit libellis scholasticis Cliv. An. 1835. ad Tac. Agric. c. 20. et Arntzenius ad Nazarii Const. c. 26.

v. 5. 6. Passeratius, ni fallor, servato participium

esse ratus, ut delevit, omissum deinde a ceteris editoribus. Versu breviori Haec, quod ex Italorum emendatione libros occupavit, ego quoque olim probabam. Sed iure Iacobus quaerit: quomodo e lacrimis soror scire potuerit, non quidem fratrem esse mortuum, sed ab ignotis cecidisse. Nec tamen multum iuvat ipsius coniectura: „Haec soror acta tuis sentiat ut lacrimis", quod esse vult inter tuas lacrimas audiat. Hoc Romanorum intellecturum fuisse credo neminem. Itaque nunc Lachmanni interpretationem probo, qui acta non mandata morientis, sed res bello gestas intelligit, coll. Stat. Theb. II, 651. Sallust. Iug. 53. Haec ut forti animo ferat commilito, neve prodat lacrimis admonet, deinde vero ut edoceat sororem, „se, postquam milites Caesaris evasisset, in ignotas manus incidisse; tum ossa sua, ne forte quaerat integrum corpus, in montibus Etruscis passim esse dispersa." Oppositionis enim vim, quae *ἀσυνδέτῳ* latet, illustravimus Q. P. II, 6. s. II. §. 13. p. 129.

Elegia XXII.

v. 1. De Tullo vid. Q. P. I, 5. p. 23. sqq.

v. 3. sepulcra. Scaliger emendavit Memmiani codicis auctoritate suspecta nisus: sepultae, structura impeditissima. Lachmannus versu breviori post Italiae et addidit, scilicet, ut mollior compositio evadat. Non est tanti. Nam amplificationem brevioris versus modo per coniunctiones necti, modo *ἀσυνδέτως*, exempla docent quae Q. P. II, 6. s. II. §. 30. p. 159. exhibuimus.

v. 5. Romana Discordia, elegantissima metonymia, et paene *προσωποποιία*, quasi dea sit, Concordiae Romanae contraria. Hinc suos cives egit. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 153.

v. 6. sq. Sit mihi pulvis dolor — Tu. Non tam insolens videtur allocutio pulveris Etruscae et repentina orationis conversio, quae a tertia persona ad secundam assurgit (v. Q. P. II, 6. s. II. §. 5. p. 115.), quam quod nullo solo pulvis propinquum contexisse dicitur. Sed similia exempla atque etiam audaciora ex nostro congesta invenies l. l. p. 153. 154. De propinquo hoc v. Q. P. I, 4. p. 18. Ceterum animum advertas, sis, compendium dicendi, de quo in elocutione Prop. (s. II. §. 23. p. 142.) diximus: Si tibi nota est Etruria: (scies patriam meam; nam) proxima cett.

v. 9. 10. De situ regionis, quae hic describitur, egimus Q. P. I, 1. p. 5. sqq. p. 10.

Commentarius
in
Sex. Aurel. Propertii Elegiarum
Librum II.

Elegia I.

v. 1. De argumento carminis egimus Q. P. I, 5. p. 27.

v. 2. in ore. Sic libri optimi; et recte I. Scaliger tuetur. Quo nomine enim differat mollis venit in ora et in ore exposuimus Q. P. II, 6. p. 142. 143. §. 23. Cf. ad El. IV, 5, 19. 20. venit enim est versatur. Mollis autem non attributum est subiecti liber, sed accuratius coniungendum cum praedicato veniat. Nam dum in ore versatur et legitur versus, mollis apparet. Hinc sponte sequitur non eum mollem versum significari, de quo Catull. XVI, 7.: „Versiculi tum denique habent salem et leporem, Si sunt molliculi ac parum pudici.“ Tu vero de mollitie versuum Propertianorum cf. Q. P. II, 6. s. IV. p. 176.

v. 3. Calliope v. ad El. III, 2, 14. Pro cantat Livineius et Heinsius aliam elegantiam: dictat poetae obtruserunt. Librorum scripturam vel uno illo: *Μῆνιν ἄνειδε, θεά* satis probari Lachm. recte ait. Poterat etiam omne Theogoniae prooemium referre, ubi Musae, *περικαλλέα ὅσσαν ἰεῖσαι — ὑμνεῦσαι Δία τ' αἰγίοχον κ. τ. λ. — Ἡσίοδον καλὴν ἐδίδαξαν ἀοιδήν.*

v. 5—10. In emendandis his versibus vel palma tribuenda est Lachmanno, qui primus disticha hoc ordine in codd. scripta: Sive illam Cois — Seu vidi — Sive lyrae — in contrarium mutare sedes iussit. Sic non modo in loco venusto, qui expeditam poscit orationem, durior verbi vidi ellipsis evitatur, sed gradatio efficitur Propertio plane digna. Primum enim poeta miratur, deinde laudat, iam volumen conficit, iam vero mille invenit carminum causas, et Iliadas magnas condit. Nec tamen ideo

v. 11. ad coniunctionem Seu verbum vidi animo repetitum intellexerim, quod solum Latinum esse Lachm. iudicat. Duplex enim eius particulae est usus, cum aut enuntiata conditionalia nectat, aut simpliciter disiungat qualiacunque verba. Neque enim v. 15. plane pro si-ve posita est. Item El. IV, 2, 11. IV, 10, 48. seu non solas protases iungit, sed tota enuntiata. — Iam vero Lachm. pro Cois — cogis, postquam alii infeliciter: Cois — togis; Cois — totis; Cois — totam; Marklandus audacissime: Coa — veste; Italorum vero librariorum quidam Cois — vidi coniecerunt: Cois — coccis restituit, facillima et gratissima mutatione. De litteris enim *G* et *C* a librariis perpetuo confusis v. Drakenb. Liv. VI, 25, 6. Gessner. Lex. R. R. „*c* pro *g*.“ C. L. Schneider. de Elementis L. L. p. 231. sq., item de omissa altera consonantium geminatarum, Schneid. l. l. p. 399. sq. In breviori contra versu e Coa veste volumen sollicitare non debebat Lachm. Vere enim poeticam esse eam locutionem docuimus Q. P. II, 6. p. 157. Sic enim poetae solent argumenta carminum pro ipsis carminibus ponere: et in universum rem, quae verbis significatur, pro signis rerum, i. e. pro verbis. Cf. Q. P. II, 6. p. 157. Add. IV, 10, 1. 2.: Incipiam — aperire arma de ducibus trina recepta tribus. Sic Ovid. Trist. II, 371.: Ilias ipsa quid est, nisi turpis adultera? v. 375.: Aut quid Odyssea est nisi femina — multis una petita procis? Alia vid. ad El. II, 34, 63.: et cum metaphoris pertecta ad El. III, 3, 41. Huc tamen etiam pertinent, quamvis non pro carminibus res dictas exhibent, sed vel pro verbis aliis, vel etiam pro figuris artificum, Ter. Heaut. I, 1, 92.: Inscripsi illico aedes mercede, i. e. litteris, quibus mercede conducendas esse illas aedes significaretur; et Virg. Ecl. X, 53.: tenerisque meos incidere amores arboribus i. e. nomen amorum sive puellae amatae, et Aen. VIII. extr. de scuto in quo fama et fata nepotum exculpta erant: Attollit (humeris) famamque et fata nepotum.

Ad vers. 9. (5.) carmen percussit contra Burmannum, qui percurrit scripsit, recte tuetur Huschkius (Epist. cr. p. 9 — 11.) collato Graeco *κρέκειν μέλος* Theocr. Epigr. V, 2, 5. Arist. Avv. 682. Suid. s. v. *κρέκουσα*. Epigr. Meleagr. 112. (Anall. Br. I. p. 32.) Mnasalc. ep. X. Anall. Br. I. p. 199. (*ἁδὺ κρέκουσα μέλος*.) Meleag. ep. 88. Anall. Br. I. p. 24. 25. et *ἀράσσειν μέλος* Orph. Argon. 380. 396. Nonni Dionys. I. p. 34. 38. Sic ferire carmina lyra Ovid. Trist. IV, 10, 50. Cave tamen figurate dictum credas. Nam carmen percutere est percutiendo efficere

carmen (cf. ad El. II, 20, 8.). Neque enim ea voce tantum cantus significatur, sed etiam organorum modulatio verbis carens. Sic Quintil. IX, 11, 4. de signis tubarum: receptus carmen. Hoc est carmen lyrae apud nostrum hic et I, 3, 42. IV, 6, 32. (*μέλισμα λύρας* Mel. III, 4. *μέλος χέλυος* epigr. 88.) et apertius II, 3, 19.:

— Aeolio quum tentat carmina plectro
Par Aganippeae ludere docta lyrae.

v. 20. Impositam Lachm. praefert. Probarem, nisi prius fuisse viderem librariis in illud aberrare, quam in alterum Impositum. Cf. Ruddim. Instit. p. 8. not. 31. Schneider. de Formis L. L. p. 13. Genitivum coeli optime c. Broukh. tuetur Lachm. Cf. Dissen. ad Tibull. I, 3, 49. Burm. ad Valer. Flacc. I, 502. Interpp. ad Hor. Od. I, 3, 17. Diximus de hoc genere Q. P. II, 6. s. II. §. 20. p. 139.

v. 22. Xerxis et Lachm. (ed. Lips.) Xerxive; scilicet, quia altero illo genitivo bonum scriptorem qui usus sit ne unum quidem noverit. Dictum nollem. Cf. enim Schneid. l. l. p. 36. n. 2. p. 38. Praeterea, quod idem Lachm. negare videtur, particulas et et que pro aut vel nec in enuntiatis negativis promiscue usu poni certissimum est. Sic Virg. Ge. III, 174. loco huic simillimo: non gramina tantum, nec vescas salicum frondes ulvamque palustrem, et Cic. de Or. II, 15. p. 128. Schütz.: Neque verborum collocatione et tractu orationis perpolivit hoc opus. Add. Virg. Ge. III, 130. sq. 227. sq. 311. sq. Horat. Od. I, 17. fin. Prop. I, 6, 24. III, 22, 37. Catull. XCIX, 12. Sed multo etiam durius Quintil. V, 14.: quia et propositio non egeat rationis et assumptio probationis (i. non egeat). Unde non procul abesse apparet, quin illa quoque lex evertatur, quam Bentl. ad Horat. Epod. XVI, 6. et Sat. I, 6, 68. dedit, astipulante Reisig. de Gramm. L. L. p. 120. Nec vero Handium (Turcell. II. p. 499, 10. p. 536, 12.) Haasius (ad Reisig. Gr. Lat. n. 413.), qui, ut solet, eruditissime de hoc loco disputans multas multorum virorum sententias discrepantes quomodo liceat inter se componere, docet, reprehendere solisque poetis usum eum concedere debebat. Cf. ad El. I, 16, 12. ubi ultimum quod contulimus exemplum, frustra hic a Lachmanno v. 24. Cimbrorumve et 29. Eversosve codicum scripturis obtendi docebit. Ad argumentum vero huius loci: omnes VV. DD. falso existimaverunt, de Hellesponto iuncto loqui Propertium. Nam quod bina vada — duo littora maris interpretantur: Latinum non est. Vada enim non littora significant, sed maria ipsa. Alterum

igitur intellige Xerxis facinus, quod non minus quam illud apud veteres inclaruit, Athonem montem perfossum et Strymonium sinum cum Singitico iunctum. Cf. Herod. VII, 21. Solin. Polyhist. c. 17. Plin. Nat. Hist. IV, 10. Cic. Fin. II, 34. Virg. Culic. v. 30. Epigr. Anthol. Lat. Burm. p. 190. 191. Isocrat. Panegyr. §. 89. Bekk. c. 25. ὥστε τῷ στρατοπέδῳ πλεῦσαι μὲν διὰ τῆς ἠπείρου κτ. λ. Invenal. Sat. X, 173.: creditur olim velificatus Athos. Catull. eleg. Callimach. v. 43. quem locum sic lego accuratius alias retractaturus:

Ille quoque eversus mons est, quem maximum in orbe
Progenies Pityae clara supervehitur,
Cum Medi properare novum mare, cumque iuventus
Per medium classi barbara navit Athon.

v. 28. Siculae classica bella fugae. Dicendi genus paullo insolentius illustravimus Q. P. II, 6. p. 155.

v. 30. Ptolemaeei scripsi; eadem enim proportione, qua Ὁμήρειος ab Ὅμηρος, a Πτολεμαῖος fiet Πτολεμαίειος, unde Latinum: Ptolemaeeus. Masculinum vero genus libri mss., quod sciam, omnes tuentur. Nam Burm. hic in apparatu critico socordius agit. Femininum primus Beroaldus dedit, unde in reliquas editiones fluxit. Idem Beroaldus in Sueton. Claud. 20., ubi libri mss. Alexandrini Phari exhibent, Alexandrinae correxit. Absque eo igitur esset, nunc non vulgo legeremus, feminino genere tantum nomen illud usu venire. Nam Graece utrumque valere iam G. H. Vossius recte observavit Aristarch. III, 32. Sed vid. Ruddim. Instit. p. 29. sq. not. 53. 55. p. 33. not. 77. C. Schneider. de Formis L. L. p. 53. Alteram causam, cur Propertium Ptolemaeei scripsisse sentiam, ὁμοιοτέλευτον est in his pentametri sedibus paene legitimum. Cf. Q. P. II, 6. s. IV. p. 171. sq.

v. 31. Cyprum. Aegyptum Itali correxerunt. Lachmannus ingeniose (ed. Lips.) canerem inciperem. Nec tamen persuadet. Quod enim particulam „et" in πενθημιμερεῖ breviore sequente voce sic tantum ferri ait, ut haec vox cum subsequentibus artius cohaereat; tam subtilis est ista lex et tot conditionibus circumscripta, ut si contra commissum non inveniremus, non usum poetarum, sed exemplorum interclusum paene ab inventore omnem commeatum causam penuriae crederemus. Et tamen contra stat Horat. Sat. II, 7, 3.: amicum — Mancipium et ‖ frugi. — Epist. I, 7, 77.: sine crimine notam. Et properare loco et ‖ cessar', et quaerere et uti. Argutiae igitur istae sunt. Cyprum autem inter titulos triumphi referri ne mireris: hanc provinciam Antonius Cleopatrae gratificatus, regno Aegyptiaco ad-

diderat, non sine maxima sui invidia. Testes Plutarch. Anton. 36. 54. Strabo XIV, 6. extr.

v. 35. contexeret. Cf. ad El. I, 16, 41.

v. 36. sumpta et posita pace. De novo dicendi genere per *μετωνυμίαν* explicando vid. Q. P. II, 6. p. 155.

v. 37. 38. Desiderari quaedam iudicat Lachm. itaque coniecit ceu fatur pro testatur. Sed recte Iacobus, quod superiores etiam interpretes senserunt, illa heroum foedera non cum Propertii et Maecenatis amicitia comparari, sed cum fideli Maecenatis erga Augustum animo. Cf. enim El. III, 9, 53. Nec tamen ideo de loci integritate desperandum. Nam duriora etiam *ἀσύνδετα* relata e nostro invenies Q. P. II, 6. s. II. §. 13. p. 126., unde in comparationibus potissimum et in enuntiatis causalibus usum eum obtinere apparebit. Atqui hic utraque ratio coniuncta est.

v. 40. angusto pectore. Callimachus cur dicatur, exposuimus Q. P. II, 7. p. 195.

v. 41. Iunge conveniunt — condere, ne angusto versu pro versui dictum interpretibus credas. conveniunt autem est: pares sunt, valent. Infinitivum *κατὰ σύνεσιν* positum illustravimus Q. P. II, 6. p. 156. sq. — duro versu heroico. Cf. Q. P. II, 7. p. 199.

v. 42. Quid sit versu condere nomen, dubium esse non potest collatis locis similibus, uti: condere acta Caesaris (Ovid. Trist. II, 336.), condere laudes (Plin. N. H. XXII, 25.) sententia nequaquam ambigua. Sed illud: „nomen in avos condere“ quod sola sermonis Propertiani indole intelligitur, non tam facile explicatu habere debebant interpretes. Est enim: celebrando Augusti nomen usque in Phrygios avos carmine ascendere. Cf. Q. P. II, 6. p. 153. §. 17. ibid. §. 28. p. 157.

v. 45. versantes e libris mss. Propertio reddidit Lachm., cum inde a Volsco et Beroaldo versamus excusum esset. Nec tamen hoc ideo spernere debebat Lachm., quia poetae sit describere proelia non committere (id eum esse versare). Nam poetae ea, quae canunt, ipsi quodammodo efficere sibi videntur; sic v. 18.: „si fata dedissent, ut possem heroas ducere in arma manus.“ Cf. ad El. II, 34, 63. III, 3, 41. III, 9, 53. IV, 1, 57. Q. P. II, 6. p. 157. Itaque illud Italorum inventum haud sane absurdum. Quamquam non est, quod codicum auctoritatem deseramus. Nam in verbo enumerat narrandi significatio latet, quae hic apud mentem est supplenda, unde accusativus versantes pendeat. Durum autem admodum, contra, quod ut pronomine Nos arctius iungamus, omnis sententiarum nexus et ipse

orationis impetus flagitat, ad versantes referre, quod Lachm. iubet, uti III, 11, 13. contra oppugnare — „alterum nempe contra alterum."

v. 46. Recte citant, quod in proverbium abiisse videtur, Aristoph. Vespp. 1432.: Ἔρδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην. Interpretatus est Cic. Tusc. I, 18.: Quam quisque norit artem, in hac se exerceat.

v. 47. Olim praetuli ingeniosam Italorum coniecturam: laus si datur altera, vivo, quoniam reliquorum librorum scripturas ferri non posse videbam. Sive enim amorem illum unum ad constantiam puellae — quod versus insequens suadet — sive ad amatoris firmum animum refers (quae est Scaligeri sententia): non quadrabunt reliqua. Hoc enim si probas, sententia in medio pentametro exclamatione incongrua interrupta ante quartum versum non excipitur. Praeterea illud: si datur, prorsus absonum esset. Constantiam enim non datam accipimus, sed ipsi nobis paramus. Rursum si alteram interpretationem sequeris, cave ne illa simplicitas dicendi pereat, quae sola talem affectum decet. Haec enim erit sententia: pulchrum est et decorum (hoc laus significat; nam non modo mores laudari, sed etiam fortunam praeter alios docuit Heindf. ad Horat. Sat. I, 1, 3. cf. ibid. II, 7, 22. 23.), si in eodem amore perseverare conceditur, puellae scilicet fide, quae ad aliam desciscere te non cogat. Quod si tandem extricaveris, quid aptum poëta cavillatori respondeat haec sciscitanti: Nempe tu in amica inconstanti ipse constans esse non potes? Quidni obduras et amare pergis, quamvis infelix? An ipse tu in fine huius elegiae mortem potius, quam quidquam aliud passurum esse te frustra gloriaris? Multo autem magis Lachmanni rationem mireris, qui cum haec exponit: „Laus est in uno apto amore ad mortem usque perstare; laus altera, si illius unius amoris fructum percipere licet ex mutuo amore puellae — Utinam mihi omnium meo amore liceat frui. Solus est insignis prae aliis amatoribus, unus omnium" — eas voces, in quas omnis orationis impetus quodammodo incumbit, ita oblitterat, ut solus non amplius sit solus; utque, si ambagibus recisis verba eius premas, haec fere sententia evadat: Prima laus in amore perseverare, altera amore frui; ergo ego fruar cummaxime. Tum quae est illa divisio — perseverare — et frui. Unde denique in primo membro Lachm. habet id, quod tacite addidit „uno apto amore;" in altero „illo uno." At hoc est frustra torqueri. Illud autem, quod interpretatione Germanica quondam expressimus, nunc tueri nos non posse intelligimus.

Sterben in Lieb' ist schön; doch schön auch im Leben der Liebe
Sich zu erfreun, o dass ich meiner mich freue allein!

Primum enim scrupulus ille superaret, quod uni disticho tres sententiae infertae essent non satis inter se cohaerentes, quamvis syllogismum iis contineri et ordo verborum et forma enuntiati doceret. Deinde quoniam sic tantum staret sententia, si in voce frui omnis verborum vis versaretur: de gaudio amoris ne unum quidem verbum in toto hoc carminis exitu fieri sed ingi potius duritiem deplorari iure mireris. Denique vix explices, quomodo ex illo: si datur altera, vivo, quod prima statim fronte ita blandiatur, a librariis alterum hoc factum sit, multo quam illud obscurius, idque in iis codicibus, a quibus interpolationis suspicio longissime abest, Groningano et Neapolitano cum secta sua. Itaque cum neutrum sanum esse nobis quidem exploratum videatur, haud dubie id, quod sententiarum nexus effiagitabat, restituimus: „laus altera si datur uni — posse frui.“ Iam enim vide, quam apte omnia conveniant. „Pulchrum est, in amore mori, pulchrum hoc quoque, si contingat ut aemulis remotis unus fruaris amore; quod ut mihi contingat, non modo opto, sed futurum esse etiam spero. Cynthia enim leves puellas damnat. Itaque mihi quoque ad mortem usque in eodem amore perseverare propositum est.“ Nec quomodo ex ea scriptura vulgata facta sit, obscurum erit. Imperitiores enim librarii proxima, ut solent, spectantes, quum uni cum verbo frui coniungerent, de sententia securi legitimum, ut credebant, ablativum uno rescripserunt. Quibus doctiores multo et elegantiores Itali, cum non recte sedere eam vocem intelligerent, littera una leviter mutata verborumque ordine, quod metrum postulabat, inverso, eam effecerunt scripturam, quam Vaticanus II. exhibet. — Ne autem idem nos assecuturos esse quis existimet, si Propertium ipsum more antiquo uno pro uni scripsisse ponamus (quomodo I, 20, 35, nullae pro nulli, III, 11, 57. toto pro toti est): quis commisisse prudentem poetam credat, ut ea forma iuxta id potissimum verbum usus, quod pro ablativo eam accipere lecturos paene cogeret, sciens dolo malo in errorem vel invitos induceret?

v. 51. Pocula. Sic κύλικες simpliciter dicuntur pocula venenata. Meleag. n. 122. Br, Anth. Pal. p. 281. κείνων γευσάμενος κυλίκων. Altera vero dubitatio haec subit, num de mortiferis venenis (unde v. 53. pereundum fuerit et 56. funera), an de potionibus amatoriis Propertius loquatur. Nam interpretes hic omnia miscent. Ac primum quidem in v. 51. haeserunt, quia Phaedram Hippolyto pocula tradidisse nusquam a veteribus referretur. Quamquam ego sermonem

Nutricis Euripideae (v. 512. sqq.) obscurum illum quidem et de industria ancipitem, et, si quid sentio, codicum praeterea vitiis inquinatum, nisi de veris philtris interpretari nunquam sustinui. Nam si *φίλτρα θελκτήρια* (v. 514.) verba solum et voces *μεταφορικῶς* significare dicas, quo tum novissima 518. sq.:

δεῖ δ' ἐξ ἐκείνου δή τι τοῦ πεθουμένου
*σημεῖον, ἢ πλόκον τιν' *) ἢ πέπλων ἄπο*
λαβεῖν, συνάψαι τ' ἐκ δυοῖν μίαν χάριν.

Sed utut est, sive hic pocula Hippolyto mixta significantur, sive eorum memoria simul cum Phaedris Sophoclis et Euripidis periit, hoc certum est, novercam non interimere medicamentis privignum, sed ad amorem pellicere voluisse. Contra v. 53. interpres optimus Horatius (Epist. I, 2, 25. sq.): Nam „Sirenum voces et Circes pocula nosti". Haec igitur „domina meretrix" non veneno simpliciter perire amatores voluit, sed libidinibus profligatos. Nec tamen hic perire, quod toties est apud Propertium (I, 4, 12. 6, 27. 9, 34. 7, 33. II, 24, 41.), perdite amare explicaverim, sed „turpi fractum amore" mori (cf. III, 21, 33.). Haec igitur aperte sententia: Ne efficacissimis quidem veneficarum potationibus adigar ut dominam prodam. Moriar potius, dum ultra vires resisto, quam seduci me patiar. Nam contra amorem Venere irata pertinaciter obnitentibus mortem certam futuram omnis antiquitas credidit. Cf. Klausen. de Aen. et Penatt. I. p. 518. sqq. His praemissis, quam v. 54. sententiam quaerere debeamus, sponte iam apparet. Nam postquam a Scaligero pro Colchiacis — Iolciacis inventum est, interpretes ad unum omnes exposuerunt, Propertium si Medeae opera recoctus repuerasceret, iterum tamen et unice Cynthiam amaturum esse. Quo quid absurdius somniari possit, non intelligo. Sed bene est, quod libri habent. Neque enim aliud quid egit poeta, quam ut Colchiacis focis regionem omnium venenorum feracissimam significaret, Medeae vero nomine omnium magicarum artium et „efficacis istius scientiae" mulierem peritissimam. His illa excitare amores, his dividere amantes et mederi sanciis potest. Cf. enim interprett. ad El. I, 1, 24. I, 12, 10. II, 4, 7. Ovid. Met. VII, 394. Hor. Od. II, 13, 8.

v. 56. Ex hac domo. Latet, quod nemo sensit: „in huius amplexu moriar." De enallage pronominis cf. Q. P. II, 6. s: II. §. 24. p. 144.

v. 58. non amat. Multa exempla huius locutionis profert Burmannus, quorum tamen ne unum quidem ad rem per-

*) Sic optime Markl. Brunck. Valcken. Reis.

tinet. Neo debebat longius repetere. Est enim λιτότης, et recte ipse: non amat; spernit. Sic I, 2, 8.: Nudus Amor formae non amat artificem.

v. 62. Androgeona restitutum vitae ab Aesculapio, solum Propertium auctorem esse, interpretes recte annotant. Alii enim aliter. Cf. Hygin. fab. 251. Muncker ad f. 49. Heyn. ad Apollod. p. 879. Interpp. ad Pindar. Pyth. III, 83. Zenob. I, 8. Ovid. Met. II, 642. Cressis herbis autem sanatum dici, quoniam Androgeon ipse Cretensis fuisset, verissime observavit Beroaldus. Quod non commemorarem, nisi interpretum Batavorum odora vis doctius quid hic rimata esset.

v. 63. De hasta Achillea erudite, ut solet, Passeratius. Unum tamen addere liceat Paullum Silentiarium, qui sumptum fortasse ex hoc loco colorem in aliam sententiam adulteravit, Ann. Br. T. III. p. 176. ep. XV, 5. *Τήλεφον ὁ τρώσας καὶ ἀκέσσατο· μὴ σύγε κούρη Εἰς ἐμὲ δυσμενέων γίνεο πικροτέρη.*

v. 66. Corruptum esse, quod codices exhibeant, constat. Frustra enim Iacobus „Tantalea manu tradere" eodem modo dictum ait, quo infra „virgineis urnis dolia replet; ut illic urnis implet, quae implere non potest, sic hic manu carpit, quae carpere non potest." At tradere non est carpere. Ne enim de dativo omisso dicam, quo verbum tradere aegre careat; qui tradit, alteri dat. At Tantali labor in eo est, ut sibi sumat. Itaque, qui Tantalea manu quid efficere fingitur, hunc eodem modo eius personam subire oportet, quo virgineis urnis dolia repleturum Danaidum. Itaque ille quem Propertius fingit praestigiator aut Tantalea manu sumat vel carpat poma (quod verius esse etiam v. 69. sq. persuadet), aut tradat manui Tantaleae necesse est. Egregium igitur Beroaldi commentum: Tantaleae-manu, praesertim cum librariis propter antiquioris formae ignorantiam pronus esset error. Sed noster I, 11, 12.: alternae manu. II, 19, 19.: reddere pinu cornua. Cf. Broukh. ad h. l. A. Gell. IV, 16. Cort. ad Sall. Iug. 6. Burm. Anth. Lat. III. p. 577. Goerenz. ad Cic. de Fin. III, 17, 58. Duker. ad Liv. IX, 5, 6. Drakenb. a Liv. XXIV, 19, 6. Oudend. ad Caes. Bell. Gall. I, 16, 5. Voss. Aristarch. IV, 18. Ruddim. Institt. p. 104. n. 47. Oudend. ad Frontin. II, 4, 12. quos citat Schneider. de Formis L. L. p. 833. Burmannus vero crassa nimis Minerva carpere, prorsus autem invita radere Heinsius tentavit.

v. 73. In duas partes abeunt libri, quorum utros sequamur, difficilius fortasse hic dictu quam usquam. Interim Groninganum sequi tutissimum duxi. Et nostra iuventa erit Romana, ut II, 3, 33.: nostra iuventus. II, 25, 43.

32, 31.: nostrae puellae. 33, 19. 32, 48.: nostra urbs, et quod multo quam cetera durius II, 16, 44.: nostra essa. Nam corporis certe partes eorum duntaxat dici licere credas, quorum sunt corporum, non eorum etiam, qui eiusdem gentis sunt, atque illi fuerunt. Pars autem invidiosa iuv. Rom., i. e. invidia dignus iuvenis Romanus, Maecenas dicatur, ut pars militiae, pars imperii, alia, quae illustravimus Q. P. II, 6. s. II. p. 150. §. 28. et ad El. I, 6, 34. Iuvenilis enim aetas Varrone teste (ap. Censor. de D. N. 14. add. A. Gell. XI, 28.) viris ad XLVI. annum aetatis tribuebatur, ut, etiamsi Maecenatem anno 746. quo diem supremum obiit (cass. Dio. LV, 7.), seniorem iam fuisse Pedoni credamus (in Obit. Maecen. 2.), tamen circa a. U. 732. quem huic elegiae definivimus, recte iuvenis dici potuerit. Haec autem appellatio aliud quid habet, quo se doctis sit approbatura. Nam iuniorum et seniorum nomine cum Romanos ad definiendam aetatem militarem discretos esse constet (cf. Varr. et Gell. l. l. Polyb. VI, 19. Dionys. IV, 16. p. 221. d.), equitum ii, qui nondum stipendiis expletis, non modo censu ordinis illius continerentur, sed equo etiamdum belli stipendia merererentur, proprie et optimo iure equites dicti sunt. Iidem vero quoniam tempore antiquissimo omnem civium Romanorum iuventutem effecerunt (cf. Q. P. I, 2. p. 14.), iuventus vel iuvenis etiam postea remansit honorifica equitum appellatio. Testis Livius II, 20, 11.: Recipit extemplo animum pedestris acies, postquam iuventutis proceres aequato genere pugnae secum partem periculi sustinentes vidit. 28, 6.: Quia lentior videbatur pedestris pugna, equitatum in pugnam concitat: et ipse fortissimae iuvenum turmae immixtus, orat proceres iuventutis, in hostem ut secum impetum faciant. Add. III, 81, 7. IX, 14, 16. XLII, 61, 5. Hinc C. et L. Caesares principes iuventutis dictos demonstrarunt Drakenb. ad Liv. II, 10, 11. Norisius in Cenotaph. Pis. II, 3. Spanh. de Praest. Numism. XII. p. 359. Testatur Marmor Ancyranum Tab. III. a laeva v. 5.: EQUITES. AUTEM. ROMANI. VNIVERSI. PRINCIPEM. IVVENTVTIS. VTRumQVe eoRVM. PARMIS. eT. HASTIS. ARGENTEIS. DONATVM. APPELLAVERVNT. Iam igitur, quo argumento Propertius Maecenatem invidiosam Romanae iuventutis partem vocaverit, coll. v. 1. et Q. P. I, 5. p. 27 sq. apparebit. Alteri scripturae spei invidiosae Ovidii imprimis locus faveat Metam. IV, 795.: „Multorumque fuit spes invidiosa procorum", qui versus iterum recurrit ibid. IX, 10. Tum vero nostrae iuventae non erit Romanae, quod contra Broukhusium Burmannus demonstrare frustra stu-

det, sed quod nunc etiam Keilium sensisse intelligo (p. 12.) meae (de numero enim 1. person. subito mutato cf. Q. P. II, 6. a. II. §. 9. p. 121.). Nam quidquid Romana iuventus a Maecenate sperare potuerat, id iam ea aetate tot rebus bello demique egregie gestis obtinebat. Propertio autem iuveni multa erant speranda, quibus alii inviderent.

Elegia III.

Ad dispositionem cf. Q. P. II, 5. p. 86.

v. 1. meditabar recte tuitus est Lachm. (coll. Hor. Serm. II, 3, 261. Sil. Ital. IV, 178.), qui quaerebam in Scaligeri editionem aut calami aut operarum lapsu venisse persuasit. Hinc in omnia usque ad Lachmanni editionem exemplaria fluxit.

v. 4. ignoro optimis libris tutum a Passeratii et Burmanni suspicionibus recte defendit Huschk. Anall. critt. p. 153. Ignoro enim furta tua est nihili aestimo; „ita sordent ista prae hac mea puella.“ Hoc iam Broukh. vidit, quamquam inter exemplorum farraginem inconditam duo solum exhibuit, quae plane ad rem pertinerent. Plaut. Asin. I, 2, 28.: Eadem nunc, quom est melius, me quoius opera est ignoras mala, et eiusd. Capt. II, 3, 74.: Ne tu me ignores, cum extemplo meo e conspectu abscesseris. Ad sententiam similis color epigrammatis Leonid. Ann. Br. T. II. p. 190. I. *Θαῦμα γὰρ εἰ (ὁ Ζεὺς) Περίανδρον ἰδὼν οὐχ ἥρπασε γαίης τὸν καλόν κ. τ. λ.* similior etiam Palladae (l. l. III. p. 506. III.): *Νῦν καταγιγνώσκω καὶ τοῦ Διὸς ὡς ἀνεράστου, Μὴ καταβαλλομένου τῆς σοβαρᾶς ἕνεκα, Οὔτε γὰρ Εὐρώπης οὔτε Δανάης περικαλλοῦς, Οὔθ' ἁπαλῆς Λήδης ἐστ' ἀπολειπομένη*, quod Iacobsius citat Anthol. Poet. Roman. p. 165. coll. Straton. Epigr. XXXVI. p. 367. Petron. c. 126.

v. 5. Longas manus, ne ultra solitum porrectas et magnas dici Paldamo credas (de Eroticis Rom. p. 61. n. 83.): oblongae sunt et teretes (sic longa avena Hor. Sat. II, 6, 84. longae manus ap. nostr. III, 7, 60. longi digiti Catull. XLIV, 3.); procerulas Appuleius ait Florid. II. init. p. 331. Elmh., quales non infimam pulchritudinis partem esse omnes cultioris iudicii gentes consentiunt.

v. 6. Structurae genus, quod a superioribus interpretibus parum intellectum non prorsus recte Lachm. appositionem appellat, illustravimus Q. P. II, 6. a. II. §. 33. p. 142 sq. Duplex autem compendii genus, primum quod praedicato adiectivum accessionis loco additur: Incedit Iove digna, deinde quod huic iterum substantivum: soror, vel si soror sit Iovis, Iunoni par decore.

v. 7. Difficillima huius versus ratio quomodo expediri posset Q. P. II, 6. s. II. §. 16. p. 131. aliis etiam exemplis illustravimus. Malim tamen Ut cum, praesertim cum idem Lachmanno et ante eum Livineio in mentem iam venisse videam. Deinde Munychias perelegans Italorum coniectura. Sed recte se hic obduravit Broukh. ne in ordinem reciperet, refragrante optimorum librorum auctoritate. Neque ego nunc de cultu Minervae Dulichii instituto docte anquirendum censeo, cum ipsum nomen eius insulae iam antiquis geographis in disceptationem venerit, nedum nobis de eius ἀρχαιολογίᾳ certi quidquam affirmare liceat. Sed Ulixi regnum et patriam, quod Dulichium Romani certe poetae constanter perhibent, tutela Minervae defraudari religio est.

v. 9. heroine, quod in omnibus libris mss. est, pro genitivo habitum editores vulgo heroinae exaraverunt. Nec Lachmannus prius quam in editione Berolin. poetae veram formam reddidit. Sed genitivus heroinae non est Propertianus, Lapithae vere pro Lapithidos nec Graecus nec Latinus. Praeterea Ischomachae, quam alii Hippodmaiam vel Hippodamen, alii Deidamiam, Schol. vero ad Stat. Thebaid. I, 106. Hippocatiam appellat, huius autem Hippodamiae mater ne nomine quidem nota est, ut ex materno genere filiam designari ineptum foret. Contra Lapithae aut coniunctim accipiendum (quod librarius Vaticani II. videtur voluisse, qui Lapithum scripsit), aut ad patrem Acastum (Hygin. fab. 33.) sive Atracem, aut ad auctorem totius Lapitharum gentis Lapithem, Apollinis ex Stilba filium referendum, de quo vid. Diod. II, 71. Schol. Apoll. Rhod. I, 41.

v. 11. Libri scripti aut sais, aut satis, aut, quod metri causa inventum credo, sanctis. Idem Aldinarum editores effecerunt addito post Mercurio-que; Turnebus Menteliani scripturae patrocinatus, ut sententiae ne sic quidem integrae subveniret, pro primo (v. 12.) ingeniosissime Brimo. In eandem coniecturam Scaliger inciderat, qui Brimus nomine etiam Statium (Silv. II, 3, 38.) ditare voluit, ubi libri de Pane: „Omnia questus — Immitem Bromium, stagna invida et invida tela.“ Sed iam Beroaldus Sais de Minerva Saitide interpretatus est. Contra pugnabant et alii et Burmannus, cum propter nominis insolentiam (Neitham enim illam, non Saidem appellari), tum quia Proserpinam, non Minervam cum Mercurio rem habuisse traderetur. At Sais revera ea dea audit Arnob. c. 9. IV. p. 170. Herald. Schol. Aesch. Sept. in Theb. 169 sq. Pausan. IX, 12. Schol. Aristid. Panath. T. I. p. 95. Vid. Creuzer. de Symbolic. I. p. 309. Nec Burmannus id quod voluit effecit, ut Propertium cum an-

tiquis fabulis consociaret. His enim tantum abest ut Proserpina Mercurio morem gessisse tradatur, ut summa vi obnixa deum a proposito absterruerit. Cf. Etym. M. v. *Βριμώ*. p. 213, 49. Hesych. v. *βρίμη*. Tzetz. ad Lycophr. 698. p. 744. Müller. ad v. 1176. (p. 945.) Arnob. c. gent. IV, 14. Cic. N. D. III, 22. Quin ab ipsa illa ira excandescente (*ἀπὸ τοῦ ἐμβριμεῖσθαι*) nomen id traxisse deam tradunt Etym. Hesych. Tzetz. ll. cc. Nec aliter Clemens Alex. Admonit. ad Gentes p. 11. ed. Paris. Arnob. V. p. 170., quos citat Markland. ad Stat. Silv. l. l., quamvis hi Cererem ita appellatam propter concubitum Iovi negatum referant. De Boebeide vero illi *οὐδὲ γρῦ*; ne hinc Turnebum aut Scaligerum argumenta duxisse credas. Utut est, Propertium hic fabulas vulgatis contrarias secutum esse constat. Recte autem Minervae Aegyptiacae et Proserpinae cognatam fuisse naturam Iacobus monet. Eandem equidem dixerim. Qua in re plurima argumenta studiosis suppeditat Creuzer. l. l. I. p. 309. coll. Plutarch. de facie in orbe Lun. p. 815. p. 797. 731. Procl. ad Plat. Timaeum p. 51 sq., qui Characem secutus est (Creuzer. ibid. IV. p. 238 sqq.). Adde quae Herodot. II. c. 62. de cultu eius nominis nocturno et paene ferali edit, quaeque de sepulcris regiis in eius fano conditis c. 169. narrat. Mysteriorum vero Saitidis (c. 170. 171.) imaginem Eleusinia credideris. Quodsi poeta fabulas Aegyptiorum superstitionibus infectas secutus est, quales a poetis Alexandrinis propagatas esse probabiliter conieceris, illic fortasse Proserpinam Saidem dictam iuxta Boebeidem lacum morem gessisse Mercurio invenit. Saitis enim, quod Iacobus coniecit, gentile nomen, versus non admittit. Longa enim altera est syllaba. Cf. Buttm. Gr. Gr. ampl. §. 149, 55. p. 430. coll. 49. p. 425. 57. p. 434. Lobeck. Access. ad Buttm. l. l. p. 432. III. Contra ut in nomine Sais primam quoque productam habeamus, proportio vocis Nais persuadet. Itaque non cum Aldinis Mercurioque Sais, sed Mercurio et scripsimus, unde, si in antiquissimo libro omissam & in versu particulam postea additam esse ponamus (sic: sais), varias librorum discrepantias optime illustrari censeo. Sin in tantis tenebris hariolari quid nobis quoque liceat: Nais rescribere velim, ut ipsius Boebeidis paludis Nympha intelligatur. An illa fuit sive dea sive herois ea, cuius mentionem nomine omisso Hesiod. facit? ap. Strabon. IX, 5.

Ἡ οἵη Διδύμους ἱεροὺς ναίουσα κολωνοὺς
Δωτίῳ ἐν πεδίῳ πολυβότρυος ἀντ' Ἀμύροιο
Νίψατο Βοιβιάδος λίμνης πόδα παρθένος ἁδμής.

Elegia III.

De dispositione vide Q. P. II, 5. p. 86. et amplius ibid. p. 103.

v. 1. nullam vere correxit Heinsius.

v. 3. Broukh. transpositione verborum Vix p. i. u. r. m. solitis Propertii numeris accommodare voluit. Cf. enim Q. P. II, 6. s. IV. p. 6. At hanc etiam metri figuram sua exempla habere ibid. docuimus.

v. 5. Comparare subit Archiloch. ap. Stob. CIX, 578. Ann. Br. 16. T. I. p. 43.:

— — μηδεὶς ἔσ' ὑμῶν εἰσορῶν θαυμαζέτω,
μηδ' ἐὰν δελφῖσι θῆρες ἀνταμείψωνται νομὸν
ἐνάλιον, καί σφιν θαλάσσης ἠχήεντα κύματα
φιλίτερ' ἠπείρου γένηται, τοῖσι δ' ἡδὺ ἦν ὄρος.

v. 15. si qua recte Iacobus tuetur. Neque enim cum puella coniungendum, quod Vulpius fecit, sed nisi idem, simillimum tamen atque sicubi, si quando, ut est illud Virgilii (Aen. I, 18.): si qua fata sinant. „Oratio ita procedit: Cepit me Cynthia, non (quia est) pulchra, nec si forte ornata incedit, sed quod saltat et quum cantat.“ *Iacob.* Cf. de structura saepius a Propertio hoc in genere variata Q. P. II, 6. s. II. §. 15. 16. Aperta autem libri Perreiani interpolatio: si quando Araba, cui tamen nunc Keilium patrocinari intelligo (p. 25.), nulla alia causa, nisi quod videre se negat, quomodo si qua in Iacobi sententiam explicari liceat.

v. 17. posito. seposito Kuinoelius interpretatur falso. Nam quem locum ille citat Ovid. A. A. III, 350., is plane contrarium probat:

Quis dubitat, quin scire velim saltare puellam
Et moveat posito brachia iussa mero.

Quamquam enim Burmannus ineptius etiam ad A. A. I, 231. provocat, ipse tamen Ovidius et sui et Propertii interpres Fast. II, 740.:

— nurum regis fusis per colla coronis
Inveniunt posito pervigilare mero.

Et auctor Copae, de cuius vero nomine alias dicam, v. 37.:

Pone merum et talos: pereat qui crastina curet.

Sententia aperta.

v. 21. cum coniunctio est, non praepositio. Corinnae enim dativus est, ne dubites. Nam neque aliter recte procederet oratio, et genitivum Corinnes sermo Propertianus posceret. V. Q. P. II, 6. s. III. p. 164. Compendium dicendi ne a prosae quidem orationis scriptoribus alienum illustravimus ibid. s. II. §. 28. p. 150. El. I, 1, 22. I, 9, 11.

I, 13, 25. Commune est utrique linguae. Hinc Homericum illud (Il. XVII, 51.): *κόμαι Χαρίτεσσιν ὁμοῖαι.* Cf. Wellauer. ad Aeschyl. Choeph. 174. Schaef. ad Dionys. de C. V. p. 170. E Latinis nescio an insolentissimum eius generis ausus Quintil. XII, 7, 3.: pestem intestinam propulsare cum propugnatoribus patriae comparandum est. Add. Iustin. IV, 3.: facinus nulli tyranno comparandum. Tac. Ann. I, 13.: L. Aruntius haud multum discrepans a Galli oratione. Cf. Spalding. ad Quintil. l. l. Grönov. ad Liv. epit. XLVII. p. 634. Drakenb. Idem Observv. IV, 8. p. 606. Platn. Vorst. ad Iustin. I, 7. II, 14, 10. II, 15, 20. Schütz. ad Cic. de Orat. I, 44. ibid. c. 6. Heusinger. ad Offic. I, 127.

v. 22. Iniuria hoc loco Beroaldum coniecturae insignis laude fraudaverunt Burm. Broukh., qui vel perperam a Scaligero illi tribui eam contendunt. Nec renuunt Lachm. Iacob., quin Erinnes Volsci inventum esse tradant. Sed cum in ea Volsci editione quae Romae ab Euchario Silber. impressa a. 1482. prodiit, aperte legatur: Carmina quae quivis, Beroaldus primus habet: Carmina quae erynes, quod Volscus deinde (a. 1488.) non modo in ordine carminis expressit, sed falsam scribendi rationem, vel typothetae errore, vel illius saeculi inconstantia natam — nam recte tenuisse sententiam Beroaldum ipsius annotatio docet — in commentariis paullo etiam inflexam (Carmina quae herijnes) repetiit, ut sentias „carmina“ eum ad superiorem versum rettulisse, quae autem pronomen relativum habuisse. Quare cave hic te Burmanno committas, qui prorsus contraria narrat.

v. 24. Ardidus omnes libri aut ipsum exhibent, aut fuisse in antiquiore exemplari erroribus suis significant; nec satis causae est, cur adiectivum *ἀναλόγως* prorsus et optime formatum damnemus. Ut enim a timendo timidus, a fervendo fervidus, a frigendo frigidus, ut placidus, tumidus, rabidus fit, sic ab ardendo ardidus. Macrobii autem auctoritatem, qui (de differentiis Graeci et Latini verbi p. 748. Zeun.) sic scriptum habet versum:

Candidus augustae sternuit omen amor —

huius autem auctoritatem si tanti faceret Lachmannus, ut Candidus in ordinem reciperet, debebat etiam augustae. Atqui hoc absurdum. Nunc in altero verbo confidere ei, in altero memoriam eius suspectam habere, non est consequens. Nec nos movit, quod in fragmento incerti grammatici apud Eichenf. et Endlicher. T. I. p. 173. c. 41. eodem modo in epitome illa Macrobii versum hunc scriptum legimus. Nam hoc quoque excerptum esse e Macrobii libro constat. Cf. enim l. l. p. 145. et editores T. II. Praef. p. IX. Ad sen-

tentiam vero optime Burmannus Theocrit. contulit Id. VII, 96.: *Σιμιχίδᾳ μὲν ἔρωτες ἐπέπταρον.*

v. 30. Romano-loco Scaliger, quem secutus est Broukh. Quod quid sit, non intelligo. Absurdius etiam Burmannus: Romano Iovi „quem si quis de Augusto velit intelligere," non se refragaturum esse ait. Recte puduit Lachmannum Propertii lenonis. Sed sanissimus est locus, nisi forte concinniorem verborum nexum existimes, quem Lachmannus versibus sic transpositis 31. 30. 29. 32. effecit. At aliud est mendum apertum delere, aliud elegantiorem reddere, quae tamen probabilis erat, orationem.

v. 39. sq. Olim praeferebam, quod interpretatione vernacula expressi: Achilles Vel Priamus: belli cett. Nam priore enuntiati *κώλῳ* causam versus brevioris contineri credebam. Nunc errasse me perspexi. Hoc enim sententiis ab omni parte expensis poetam voluisse apparuit: „Puellae meae pulchritudo ita me vicit, ut veram formae vim nunc demum intelligam, eamque omni certamine dignam causam fore sentiam. Neque igitur amplius, ut antea, miror propter Helenam bellum Troianum motum esse, nec Menelaum remittere raptam, nec Parim reddere voluisse." Huius igitur sententiae causa alia non est, nisi quam antea posuimus: pulchritudinis vis a poeta experientia cognita. Quodsi sequentia pro argumento mutatae opinionis accipias, primum duplicem habebis causam enuntiati in medio positi: tum vero mira haec foret ratiocinatio: „Helenam iustam fuisse causam belli nunc intelligo: nam ita et Priamus et Achilles censuerunt, quippe qui pro ea mortem obire non vererentur." Quid? eorundem ducum Troianorum et Graecorum auctoritas, quam antea miratus spreverat, eademne auctoritas nunc tantum valuit, ut sententiam mutaret? An antea Priamum et Achillem non noverat, de bello Troiano fando tantum audiverat? *Μῆνιν* non legerat? Immo cum legisset, nihilo tamen minus miratus est, cur nec Priamus nec Achilles pro puella capitis pericula detrectassent. Nunc demum, postquam quid forma valeret intellexit, causam diu quaesitam invenit. Haec igitur totius loci voluntas: Usu doctus non amplius miror tam levem belli causam. Pulchra enim facies digna mihi videtur non solum Menelai et Paridis, qui ipsi amaverint, contentionibus, sed etiam Achillis morte, atque adeo Priami senis laboribus. Gradationem vides, quae ut recte procedat, cave verba „causa probanda fuit" pro consequenti habeas, neve vocem digna cum enuntiato relativo attributum esse subiecti facies credas. Sed facies quidem subiectum, digna cum verbis insequentibus praedicatum est. Itaque nunc ita verterim:

Werth war ein schönes Gesicht, dass dafür Achilles dahinstarb,
Würdiger Grund zum Krieg war es dem Priamus selbst.

Quodsi eandem fere sententiam effici posse existimes, si servato nominativo Priamus, ab voce causa novam incipias enuntiationem, vereor tamen ne nuda illa accessio eaque ἀσυνδέτως addita magnopere frigeat. Scilicet et aequa partium distributio male turbetur et bellum post mortem Priami et Achillis, communis sententia post specialem posita esset, debilior post fortiorem.

v. 42. Vulgo et in bonis libris in ante, errore tamen manifesto. Nam obsoletam et paene rusticam praepositionis formam, quae in vulgarem Italorum sermonem post saecula transiit (*inanzi*), iam Gronovius (Obss. I, 15. p. 98. Platn.) merito eiecit. Lachmannus tamen sententia mutata reducebat: Hic dominam exemplo ponat in ANTE meam, ut ante sit antea, in vero per ἀναστροφήν ad exemplo pertineat. Durissima ratio, et quam exemplum ex Ovidio prolatum: „Argolica quod in ante Phoronide fecit" minime audacia assequitur. Nec vero Propertii sermo Ovidianae levitatis norma exigendus. Iacobus, quod mireris, Lachmanni iniuriam tacitus tulit. Tu vero ne dubita reponere: in arte; i. e. dum artem exercet. Sic III, 5, 9.:

Corpora disponens mentem non vidit in arte.

Pro exemplo autem N. Heinsius voluit exemplum; et revera ille appositionis usus dativo frequentior. Quamquam et Propertius utroque genere utitur (cf. II, 15, 27. et IV, 1, 109.) et alii. Cic. L. Agr. 27.: Habeat me ipsum documento. Tac. Ann. XV, 27.: Multa Romanis secunda, quaedam Parthis evenisse, documento adversus superbiam.

v. 43 sq. De figuris rhetoricis, quae his versibus apparent, et de mutata accentus sede coniunctim egimus Q. P. II, 6. s. IV. p. 174. sqq. Quo autem versus decimi novissimi pertineant quove argumento cum prioribus contineantur, explicatum invenies ibid. II, 5. pp. 86. 103.

v. 45. aut, quod optimi libri tuentur, ferri non posse primus Lachmannus sensit. Nam praeter periodum minutatim concisam et distorta veluti orationis membra, nonne insanientis est, primum orare deos, ut his mediocribus flammis uri se patiantur, deinde si quid se invito contra evenerit, acriores sibi imprecari? Quid enim qui ita interpretantur dicerent, si poeta recisis ambagibus haec nude sic pronuntiasset: „Ne mihi dii graviores cruciatus impendant: sin impenderint, graviores velim sint, quam antea." Fatui hoc fuerit, non poetae. Itaque Lachm. ad sententiam optime: hei; sed melius, quod Puccii librarius dedit, ah.

Fontem erroris vides. Nam in an mutatum epiphonema mox in particulam *συνώνυμον* transiit. Ceterum Iacobus alterum amorem falso interpretatur puerorum. Ab hoc enim furore quidquam sibi metuisse poetam, nusquam legimus. Immo multo levius, si modo inciderit, malum id habiturum esse se ipse declarat El. II, 4, 17. sqq.

v. 47. detractat an detrectat legas, perinde videtur. Utrumque enim passim et usu promiscuo in libris manu exaratis comparere annotarunt Dissen. ad Tibull. I, 6, 37. Drakenb. ad Liv. XXXIV, 15, 9. Cort. ad Sallust. Iug. 53. extr. Interpp. ad Ovid. Met. V, 246.

v. 50. Dehinc — post haec. De pleonasmo diximus Q. P. II, 6. s. II. §. 29. p. 158. In his vero particulis, quae tempus praeteritum significant, paene solemnis est in utraque lingua. Aristoph. Ranu. 1028. *εἶτα μετὰ τοῦτο.* Philemon. ap. Stob. Flor. XCVII, 19. p. 520. sq. *ἔπειτα μετὰ ταῦτα.* Herodot. III, 36. *οὐ πολλῷ μετέπειτα χρόνῳ ὕστερον.* Add. Fischer. Animadvv. ad Weller. III. pp. 26. 63. Ad usum Latinum cf. Tibull. I, 5, 73.: Mox deinde. Terent. Andr. III, 2, 3.: post deinde. Sanct. Minerv. III, 14. p. 745. Mencken. Observv. p. 234. Wunderlich. et Dissen. ad Tibull. I, 5, 65. Interpp. ad Nepot. Eumen. c. 5. et qui immensam exemplorum copiam collegit, Hand. de Particulis T. II. p. 242.

v. 51. Multum laboraverunt interpretes, ut hunc Propertii locum cum vulgaribus fabulis consociarent. Frustra. Nam cum omnis sententiarum nexus tum v. 53. aperte cogit, ut Melampus ipse, non Bias frater, amore Peronis captus Nelei gratia boves Iphicli surripuerit, pro quibus meritis pretium furti puellam uxorem domum ipse referret. Alioquin ineptissimum foret exemplum ad amoris vim significandam. Ex deperditis igitur fontibus hic, ut toties, hausisse Propertium sequitur. Cf. Q. P. II, 4. p. 70. Ceterum de enthymemate in clausula posito, unde carminis trunci species nascitur, Q. P. II, 6. p. 127. diximus.

Elegia IV.

De argumento et dispositione carminis egimus Q. P. II, 5. p. 104.

v. 4. dubio-ira pede. Audacissima metonymia, de qua vid. Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 153.

v. 5 sq. Singula recte interpretati, quid summa vellet, non explicaverunt VV. DD. Cultus autem elegantiam et mollem incessum Cynthiae se gratificatum esse significat, scilicet ut

his deliciis fastidium puellae vinceret. Ceterum recte adhibent Pollucis illud (On. III, 4.) *μετὰ ῥυθμοῦ βαίνειν* et Coluth. Rapt. Hel. 227.: *Ὥιχετο φειδομένοισιν ἐπ' ἴχνεσιν ἴχνος ἐρείσας Μὴ πόδες ἱμερόεντες ὑποχραίνοιντο κονίης*, et Petron. 126.: incessus tute compositus et ne vestigia quidem extra mensuram aberrantia, coll. Catull. XLII, 8. Hoc illud est, quod Seneca in luxuriem saeculi invectus viris exprobrat: non ambulamus, sed incedimus.

v. 7. Non hic herba valet. Cf. I, 5, 28. Cui non in mentem veniat Theocritei idyllii Niciae medico inscripti? Totus enim hic locus in amoris et morbi comparatione versatur. Nec tamen in mentem venit interpretibus. Quamquam non iniuria alterum Theocriti locum (id. II, 15.) Burmannus contulit, uhi, ut hoc loco, Medeae et Perimedae artes coniunctae commemorantur. Cf. praeterea ad El. II, 1, 54. In nominis autem Cytaeis scriptione prorsus obtemperandum esse censuimus librorum mss. auctoritati. Nam neque Cytais, nec Cytaeis, nec denique Cyteis sua caret proportione. Etenim si *Κύτη* vel *Κύτα* nomen oppidi est, *Κυταΐς* inde fit, sicuti *Θηβαΐς* a *Θήβη*, *Ἀθηναΐς* ab *Ἀθῆναι*, vel secundum Ionicam dialectum *Κυνῆΐς* quod in Orphicis habetur, Argon. 819. 1004. Apollon. Argon. II, 401.; sin nomen regionis *Κυταία* (nam tres omnino has formas Stephanus habet Byzantius), *Κυταΐς* inde ducitur, ut *Ἀχαιΐς* ab *Ἀχαία*, *Πλαταιΐς* a *Πλαταῖαι* (Apollon. II, 899.). Quamquam cum in his quoque nominibus altera forma *Πλαταΐς* et *Ἀχαΐς* plurimis scriptoribus Graecis placuerit (cf. Lobeck. ad Phryn. p. 40. sqq. Buttm. Gr. Gr. §. 119. 57. B. et comment. ad El. I, 1, 24.), tutius fortasse quis crediderit, aut Cytais, aut Ionica positione Cyteis scribere. Nocturnam autem Cytaeidem quamvis ad sententiam recte explicent interpretes, quia scilicet „sacra magica noctu fieri solita sint," tamen quo iure ipsa Medea nocturna diceretur, non exposuerunt. Haec enim locutio, cui par alterum exemplum invenire mihi nondum contigit, ad eum sine dubio usum referenda est, quo poetae pro adverbiis temporis adiectiva praedicato licentius addere solent, ideoque non solum res, quae noctu vel vesperi vel mane fiunt, sed etiam eos, qui aliquid illis temporibus agunt, nocturnos vel vespertinos vel matutinos dicere videntur; sic Horat. Sat. I, 3, 117.: Nec qui nocturnus divum sacra legerit. Virg. Ge. III, 538.: Nec gregibus nocturnus obambulat. Quamquam multum interesse inter hunc adiectivi usum et *ἐπίθετον* illud quodammodo perpetuum Medeae probe intelligimus. Similius dictum credas Lucret. VI, 1218.: nec noctia saecla ferarum Exi-

bant silvis. Prorsus autem appositum Hor. Epod. V, 20.: nocturna strix; nam noctuarum instar per tenebras agitare solet illud veneficarum genus; et nostri El. IV, 5, 14.: nocturnus lupus, quamvis dubia illic significatione. Quo de genere egerunt Ruddimann. Institt. T. II. p. 10. et 373. Krüger. Gr. Lat. §. 298. not. Heindf. ad Horat. Sat. I, 3, 116. 6, 128. Schmid. ad Hor. Epist. I, 17, 50. I, 6, 20. Similia vid. comment. ad El. I, 21, 4.

v. 8. Perimedeae manus. Egregia haec Italorum codd. quorundam scriptura, quam primum in ordinem receptam Beroaldo gratulamur. Codd. enim nostri omnes per Medeae: inepte; nam Cytaeidem modo commemoraverat Prop. Ceterorum coniecturas referre non iuvat. Nam manum Perimedae — turbam istam veneficarum Perimedae arti addictam recte interpretatus est Lachmannus. Nec nos movet Broukh. dubitatio, qui quomodo gramina cocta dicerentur, non intellexit. At gramen prorsus ut Graecum φάρμακον de quovis medicamento dicitur (ut El. II, 1, 52.), vel de succo, quale est apud Ovidium Met. VII, 152.: hunc (draconem) sparsit (Iason) Lethaei gramine succi.

v. 9. Locus communis. Asclepiades Anth. Pal. V. ep. 162. p. 110. I. p. 128. Iacobs. Ἡ λαμυρή μ' ἔτρωσε Φιλαίνιον· εἰ δὲ τὸ τραῦμα Μὴ σαφὲς, ἀλλ' ὁ πόνος δύσεται εἰς ὄνυχα. Senec. Hippolyt. 281. de amore: Non habet latam data plaga frontem, Sed vorat tacitus penitus medullas. Cf. El. II, 12. 11. — tamen v. breviori per tandem falso interpretantur. Haec enim coniunctio primario enuntiati verbo addita, qualicunque attributo, sive participio, sive adiectivo, sive enuntiato relativo concessivam notionem tribuit, vel vice versa, perinde quasi quamvis antecesserit. Itaque hic sententia: „quamvis ictus non cernamus, tamen mala veniunt; quod quomodo fieri possit, obscurum est.“ Quintil. II, 15, 14.: qui eandem sententiam, non iisdem tamen verbis explicant. II, 11, 6.: non in causas tamen laborem suum, sed in locos intendunt.“ Ubi plena esset oratio: quanquam intendunt — tamen non in causas. Ovidius Fast. I, 495.: Nec fera tempestas toto tamen horret in anno. ibid. v. 523.: Victa tamen vinces. Propertius El. III, 7, 55.: Flens tamen extremis dedit haec mandata querelis. Sic sera tamen III, 15, 35. II, 5, 5.: Inveniam tamen e multis fallacibus unam, Quae fieri nostro carmine nota velit, i. e. quae fide hoc praemium mereri velit. Cf. ad El. III, 15, 32. Ceterum nemo attractionem animadvertit, insolentiorem eo, quod et relativi enuntiati specie et adiectivo caeca absconditur. Et tamen interroga-

tivam particulam unde esse, coniunctivus veniant prodit. Nam cum proprie dicendum esset: obscurum est, qua via mala veniant, — hinc factum obscura via est, qua mala veniant. Hoc autem ad singula *συνώνυμον* est ei, quod Prop. expressit. Nam pro obscuro caecum ponitur, et pronominis vice unde fungitur. Similiter Horat. Od. I, 6, 1.: Scriberis Vario-quam rem miles te duce gesserit et quae Krüger collegit Gramm. Lat. §. 669. sqq. §. 670. 3, 12. Sed prorsus ad nostram rem facit, nisi etiam insolentius dictum, Lucret. N. R. V, 613.: Nec ratio solis simplex aut recta patescit, Quo pacto aestivis e partibus Aegicoretis Brumales adeat flexus. Pro eo: Nec simpliciter patet, qua ratione sol-adeat cett.

v. 15. Comparant Theocrit. Idyll. II, 90. sq. *καὶ ἐς τίνος οὐκ ἐπέρησα; Ἢ ποίας ἔλιπον γραίας δόμον, ἄτις ἐπᾷδεν;* Ad vocem praemia cf. comm. ad El. IV, 5, 29.

v. 17. Lachmannus quosdam infimae notae libros secutus ed. Lips. puellam scripserat, scilicet quod v. 22. Altera sequeretur. Sed facile non a poetis modo, sed etiam in oratione pedestri numeri ita commutantur, ut a singulari ad pluralem et vice versa transitus fiat, siquidem coniunctim singulari numero universum rerum vel personarum genus significatur. Sic Cic. Nat. Deor. I, 38.: Hoc idem fieri in deo — ex quo esse beati et aeterni intelligantur. Senec. Provid. 2.: Miraris tu, si deus ille bonorum amantissimus-fortunam illis, cum qua exerceantur, assignat! Ego vero non miror, si quando impetum capiunt spectandi magnos viros cett. Gaudentius Ser. VIII. p. 86.: Cave solum, ut aliter non delinquas, i. e., ut a fornicationibus fugias; — haec autem ita demum poteritis, si ebrietatem devitetis. Cf. Davis. ad Cic. de N. D. l. l., ubi ex Graecis idem plurima exempla collegit. Insolentior etiam ratio, quum in eodem enuntiato idem fit, ut Ovid. Fast. VI, 77.: si titulum mensis, Romane, dedistis, quod iniuria expulit Merkel. Neque enim expeditius ibid. II, 128.: hoc dedimus nos tibi nomen eques; atque adeo, cui versui locum nunc non invenimus: Iam loca iussa tenent — Arcas eques; aut quod falso in numerum pluralem interpretati sunt, Met. V, 298.: ales erant. Similia cf. comment. ad Prop. El. IV, 6, 75 sq.

v. 18. Gaudeat in puero. De hoc praepositionis usu Propertio familiari cf. Q. P. II, 6. p. 134.

v. 19. Amor navigationi comparatur; infelix amator naufrago. Cf. ad El. II, 12, 7. Horat. Od. I, 5, 9 sqq. Epigramm. *ἀδέσποτ.* Anthol. Palat. V, 11. p. 89. Hic vero etiam amata puella vel deliciae navigio, quo genere in foedissi-

ma similia abusi sunt Meleag. Anth. Pal. V, 204. p. 118. T. I. p. 142. Iacobs. epigr. 19. Anth. Gr. I. p. 9. Asclepiades vel Hedylus Anth. Pal. V, 161. p. 110. T. I. p. 128. Iacobs., qui nequitiae fundum in Empedocle esse censet. Hic enim primum τοὺς λιμένας Ἀφροδίτης de natura muliebri usurpavit. Animadvv. ad Anth. Gr. I. p. 39. et 63.

Elegia V.

v. 1. I. H. Vossius ferri interpretatur circumvagari. Rectius Burmannus pro differri dictum censet coll. Ter. Eun. III, 1, 39. Suet. Caes. 20. Hoc verum esse v. 2. docet. Cf. El. I, 4, 21. I, 16, 47. II, 24, 7. ferri autem eum ipsum dici, cuius nomen feratur, ne mireris, cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 157.

v. 4. Aquilo, quem omnes libri tuentur, immanes tempestates interpretibus movit. Suavissimus autem hic Vulpius, qui „poeta", inquit, „mentis suae nebulas, quia scilicet nubes depellere soleat Aquilo, hoc vento dissipatum iri dicit, ut iam Cynthiae vitia Lynceis oculis pervidere possit, eamque pro meritis fastidire: vel, quia frigus inducit Aquilo, puellae suae frigus in amore minari." Haec vero tam dura hominis ilia non potuerunt quin ipsum Burmannum facetum redderent, cui nebulas certe densissimas et frigus intensum cerebro Vulpii induxisse videtur Aquilo hic Propertianus." Quid autem tali interpretatione clarius corruptissimum hunc locum legi doceat. Nec absurdum erat, quod Burmannus tentavit: alio. Sed longe illum equis albis praevectus palmam haud dubie tulit Lachmannus, qui facillima atque adeo verissima coniectura reposuit: aliquo. De amore enim navigationi comparato modo diximus ad El. II, 4, 19. In his autem par est undarum et ventorum imperium. Quin immo horum etiam ut maior inconstantia, ita in naves arbitrium superbius. Hinc vicissitudinem quum vitae in universum tum amoris humanorumque studiorum omnium ventis comparari iam pervulgatum est. Quo nomine recte Lachmannus contulit El. III, 2, 8. (i. e. II, 12, 8.) et 18, 27. (i. e. 25, 18.). Idem verissime ad significationem adverbii aliquo Brutum in Cicer. Epist. XI, 1. testem citavit: Dandus est locus fortunae, cedendum ex Italia, migrandum Rhodum aut aliquo terrarum arbitror. Nam quod pro alius quis-aliquis Latine dici contra Ernestium (Clav. Cicer. s. v. et ad Tac. Ann. I, 4.), Wolfium (ibid.), Iahn. ad Ovid. Trist. V, 6, 17., C. Fr. Hermannum (Ephemm. scholl. sect. II. 1828. N. 88.), Loersium (ad Ovid. Heroid. II, 121.), Ruhnken. (ad Vellei.

1, 17, 7. ad Ovid. Heroid. p. 74.), Spaldingium (ad Quintil. IV, 3, 14.), Orellium (ad Cic. pro Cael. §. 55.), Goerenzium (ad Cic. Acad. II, 10.), unus Haasius nuper negavit (ad Gramm. Lat. Reisig. p. 338. not. 351.), argutis magis quam probabilibus interpretationibus adversas opiniones vir alioquin sagacissimus destruere videtur. Certe cum Cic. Brut. c. 90. §. 310.: „Commentabar declamitans saepe cum M. Pisone et cum Q. Pompeio aut cum aliquo quotidie" — hoc igitur loco et huic similibus cum „aut omnino aliquo" addi apud animum posse recte dicat: non sensit, in illo „omnino", quod furtim invexit, latere pronominis alius significationem. Nam si solveris omnino, oppositum habebis hocce: certis his viris, quos Cicero appellat. Hos autem ipsos cum per particulam aut excipiat ille, restat, ut sint omnes viri alii praeter dictos. Horum autem omnium aliorum unus est ille „aliquis", i. e. alius quis atque M. Piso vel Q. Pompeius; et sic in ceteris.

v. 17. Ad huius loci affectus illustrandos, cum a dubitatione ad minas (3—16.), a minis ad preces (17. 18.), a precibus rursus ad minas oratio flectatur, cf. quae de disponendi arte diximus Q. P. II, 5. p. 89. extr. p. 90. Iunonis dulcia iura quae sint, dubitantem Passeratium falsa docet Broukhusius, nec emendarunt inferiores interpretes. Neque enim, quod omnes mulieres, etiam prostitutissimae, velut Quartilla ista Petroniana, per Iunonem iurare solebant, etiam Propertio idem licuit; nec quod per numen Iunonis illi iurarunt, hinc quae iura Iunonis sint, per quae Propertius amicam obtestatur, apparet. Tu vero intellige coniugalia iura, quae III, 20, 26. sacra marita appellat. Nam de inauspicatis Propertii et Cynthiae nuptiis vid. Q. P. I, 6. p. 35. extr.

v. 21. periuro-corpore. Mira hypallage (de qua vid. Q. P. II, 6. p. 143.), nec tamen sensu antiquorum hominum aliena, quibus corpus mortalium summa, anima tenuis umbra videretur. Nec nunc admoneo Homerici versus: *ψυχὰς Ἄιδι προΐαψεν ἡρώων· αὐτοὺς δὲ ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν.* Solum Callimachi Catulliani memineris velim, qui de coma Berenices v. 32.: an quod amantes non longe a caro corpore abesse velint. Ceterum vix cum Huschkio (Anall. crit. p. 173 sq.) Propertium hic et El. III, 8, 1 sqq. Menandri fabulam *τὴν περικειρομένην* imitatione expressisse dixerim. In tali enim loco, omnibus poetis ut natura rei fert communi, doctrina sordet. Rectius Paullum Silentiarium, cuius omnis poesis declamatoria est et *ἐπιδεικτική*, Propertium reddidisse credas. Cf. Ann. Br. T. III. p. 72. ep. IV, 2.

ἀπρὶξ δραξαμένη βόστρυχον αὖ ἐρύσαι — ἔτλης; et deinde *σκύλμα κόμης.*

v. 28. verba levis. Sic nostri omnes. Unde in quosdam libros forma levis a librariis usum Graecum ignorantibus venerit, Dresd. cod. docet. Broukhusium repetitionem eam „exosculantem" iure ridet Lachm.

Elegia VI.

Aestuantes huius elegiae affectus et transitus praeruptiores dubitationem criticis moverunt, an hic vel illic saeculorum iniuria mancus esset et turbatus versuum ordo. De versu autem 25. iam in elocutione egimus Q. P. II, 6. §. 13. p. 129. Omissa enim consecutiva particula igitur vel similis; item de trepidis gestientis animi affectibus II, 5. p. 89. Nec tamen absonum videatur totius dispositionis figuram proponere, quo rectius nexu sententiarum perspecto interpretari singulos locos liceat. Lyricum paene totum carmen est, nisi quod in fine deliberativi (37. 38.) et suasorii generis (39. 40.) aliquid admixtum est. Ac prima quidem pars (A.), quae a v. 1—22. pertinet, facillima intellectu est. Tripartita enim eius divisio (*στρ.* 1—8. *ἀντιστρ.* 9—14. *ἐπῳδ.* 15—22.) anxium poetam et mala augurantem ex comparatione similium causarum describit, quae necessario se maneant, quum aperta Cynthiae flagitia et ipsius animus natura iam suspicacior consociari nequaquam possint. His turbis antiquae simplicitatis tempora quieta et castitatis specimina breviter opponit (B. v. 23. 24.). Nec tamen iuvare, quod haec olim etiam Romae fuerint, neque enim templa pudicitiae a maioribus in honorem et exemplum puellarum dedicata contra ingruentem luxuriem quidquam valuisse. Obscoenas tabellas iam in deliciis esse. Has plus valere, quam deorum (v. 25—36.) religiones. Vides igitur primae partis argumentum repetitum, sed coniunctim et in saeculi potius mores, quam in Cynthiam versum; simulque causam corruptionis additam (A'. v. 27—32.). Neque accusabis; expatiari enim interdum longius poetae elegiaco licet praesertim cum causa episodii, imaginum mentio v. 9. facta appareat. Interim pertexti secundae partis repetitione (B'. v. 33. 34.) questus continuantur et clauduntur (v. 35. 36. A''), ubi tamen apertum mendum librariorum culpa carmini inflictum nexum sententiarum male olim turbabat; vid. enim comment. ad v. 35. Iam vero meliorum temporum memoriam cum sorte poetae comparatam ad sedandos affectus nihil valere apparet. Itaque exitus quoque (C. 37—42.) animum intra timorem atque spem adhuc pendulum ostendit.

Quamquam multum eam conditionem a primae partis anxietate differre quis non videat? Nam cum custodias nihil contra invitam invaturas poeta intelligat (a. 37. 38.) pudorem optimum lecti custodem Cynthiae ita commendat (b. 39. 40.), ut sperare iam certius et confidere videatur. Rursus autem hanc fidem sic amore perpetuo promisso firmat (c. 41. 42.), ut nisi Cynthiae gratiam tanto animi candore iam expugnaverit, at constantia ipse se sua qualicunque fortunae eventui parem futurum ostendat.

v. 1. Platonis quod fertur epigramma (Ann. Br. p. 170. Anthol. Gr. p. 103. n. 7. Anth. Pal. p. 141.) expressit:

Ἡ σοβαρὸν γελάσασα καθ' Ἑλλάδος, ἡ τὸν ἐραστῶν
Ἑσμὸν ἑνὶ προθύροις λαῖς ἔχουσα νέων.

v. 3. Menandreae Thaidos. Cf. El. IV, 5, 43.

v. 8. ne desint ex libris corruptionis manifestis Broukh. dedit, cum tamen optime staret vulgata. Irrepsit autem illud, quod nolnisse ipsum credo, in editionem Iacobi. nec autem, quod probi libri omnes tuentur, explicativum est, quale et fere est in affirmatione.

v. 9. nomina quod libri mss. optimi, nostri vero omnes tuentur, in ordinem reposuit Lachm.; de nominibus enim forte per sermonem commemoratis explicat. Nec tamen alterum, quod Itali invenisse videntur, numina inficetum. Nam deorum imagines quin hac voce significari possint, propter proximum pictae facies Lachmannus dubitare non debebat. De more autem certorum hominum vultus deorum imaginibus exprimendi, qui a regibus primum usurpatus, deinde etiam inter privatos obtinuit, cf. Pausan. V, 24, 3. Lamprid. Commod. 9. Stat. Silv. II, 7, 124. V, 1, 231. Viscont. Mus. P. Cl. T. II. tabb. 50. 51. T. IV. tab. 8. Iconogr. T. II. p. 58. pl. 40, 3, 4. ibid. II. p. 43. Winckelm. Opp. V. p. 51. C. O. Müller. de Archaeol. §. 159, 5. §. 162, 2. 3. §. 200, 2. Gronov. Diatrib. in Stat. Silv. c. 6. Nam quos locos Broukh. hic citat, ii ad alium morem pertinent, antiquiorem et ab hoc nostro paullo diversum, quo artifices deorum statuas sacro usui vel publico destinatas ad mulierum puerorumve amatorum similitudinem exigerent, qualis Apellis fertur Anadyomene fuisse, Phrynae simulacrum, aliaque quae Plinius et Arnobius referunt locis a Broukh. citatis.

v. 12. et cum qua dormit amica simul. Sic libri melioris notae omnes; cum quae correxit Ian. Dousa. Nec dubitarem in alio scriptore recipere. Sed Propertius quanta facilitate a secunda persona ad tertiam transeat, et vice versa, docuimus Quaestt. II, 6. s. II. §. 5. p. 115. Sensum igitur recte assecuti sunt Itali, qui metro pessumdato tamen dor-

mis correxerunt. Sic igitur accipe: me laedit soror, me puella, cum qua amica simul dormire solet. Omissum enim ante pronomen relativum subiectum, usu et omnibus poetis communi et Propertio imprimis familiari (cf. v. 40.); de quo item diximus l. c. §. 19. p. 138. Amicam autem sive Cynthiam (amicam Propertii) sive communi appellatione dictam accipias (σὺν ᾗ φίλη τις καθεύδει): recto talo stabit sententia.

v. 15. est in fine versus delendum esse vel invitis codicibus Lachm. ed. Lips. censuit. Postea tamen admisit. Neque ego in tam lubrico loco aliud quam religiose libris scriptis obsequendum esse credo. Ad horum enim fidem si omnes quotquot sunt poetarum loci exacti fuerint, tum demum, quid antiquae aures in eo genere probaverint, quid respuerint, recte aestimari posse credo.

v. 20. Primus, quantum sciam, Krügerus structuram contra vulgares grammaticae normas factam sensit (Gr. Lat. §. 299.); proprium enim erat: „Romule, nutrite" scribere. Recte autem contulit Liv. I, 24.: audi tu, populus Albanus. Ovid. Heroid. XIV, 73.: Surge, age, Belide, de tot modo fratribus unus. Contrarium genus illustravimus ad El. II, 15, 2. 8. — duro. Sic libri, quos nobis conferre licuit, omnes. Recte; ad idem enim exemplar IV, 4, 52.: dura papilla lupae dictum, non durae. durae si fides est Burmanno, in uno Vaticano V., cuius tamen apud me nulla est auctoritas. De Menteliano vero et Groningano miris modis sibi non constat Lachmannus. Nam cum in ed. Lips. tacitus et velut eorum testimonio fretus durae scripserit, in editione Iacobi durae Mentelianum *solum* habere annotavit. Nam de excerptis Modii nihil notare Heinsium nisi in notis p. 684., quarum minor fides sit quam exempli Perreiani; Broukhusium Groningano ascribere, cui nihil usquam credi debere. At in editione Berolinensi ipse duro, ut exhibuimus, Groningani nota insignitum ponit. Contra Mentelianum in Heinsiano exemplari non durae sed dura habere ipsi videmus.

v. 23. Ulixis. Lachm. ed. Lips. item libris refragantibus: Ulixi. Tu vero vid. Conr. Schneider. de Formis L. L. p. 163 sqq. lectum pro coniuge vulgo crassa Minerva interpretantur. Eodem iure, sed absurdius etiam II, 15, 2.: „Lectule, deliciis facte beate meis" in Cynthiam dictum credas. Sed lecto gaudiorum tacitorum conscio sensus et affectus poetice iidem tribuuntur, qui ipsis amantibus. Sic Martialis X, 38.: O quae proelia, quas utrinque pugnas Felix lectulus et lucerna vidit. Hinc lectus pudicus II,

32, 55. et fidus torus dicitur III, 12, 6. Ceterum cf. Q. P. II, 6. p. 153 sq.

v. 25. Ad sententiam cf. quae in argumento diximus et quae ad v. 35. sumus exposituri.

v. 26. quidlibet. Heinsiani tres: cuilibet, quod ex antecedente cuivis ortum patet. Nam durior in pronomine attractio, nec gratus sonus. Contra neutrum sing. pronominis post quodvis subiectum in praedicato ponere non veretur Propertius. Sic IV, 7, 1.: Sunt aliquid Manes. II, 9, 1.: Iste quod est, ego saepe fui. Cf. Ovid. Amorr. III, 11, 49.: Quidquid eris, mea semper eris, et similius cum contemptione Heroid. VII, 168.: Dum tua sim Dido, quodlibet esse ferar. Amorr. I, 10, 7.: quidquid magno de Iove fecit amor. Amorr. I, 12, 3.: Omina sunt aliquid. Met. VI, 542.: Si numina divum sunt aliquid. Durissimum autem, si cuilibet masculini generis dativum ex dativo nuptae pendere credideris.

v. 27 sqq. Quae manus depinxit, —— nequitiae suae noluit esse rudis. Per figuram illam interpretari liceat, de qua diximus Q. P. II, 6. p. 153 sq. Sed tanto hic facilior metonymia, quanto magis manum pro artifice dicere usu communi probatum erat; quo de genere egerunt Drakenb. ad Sil. Ital. IV, 653. Burm. ad Petron. c. 83. Similia vid. comm. ad El. III, 21, 30.

v. 34. paries-pictus. Non picturas tectorias, sed tabellas parietibus inclusas significari, et v. 27. comparatio docet, et Welckerus plurimis exemplis probavit in doctissima operis Letronniani censura Ephemm. Hall. litter. a. 1836. Oct. p. 176—186. Crimen pro imagine criminum dictum ne mireris, cf. Q. P. II, 6. p. 157.

v. 35. Aut, quod Neapolitanus habet, non in merito, restituendum, aut corrigendum quod multo magis placet: „Sed nunc immerito velavit aranea cett. Facillime enim ex versibus proximis sic sententia suppleatur: Olim quidem templa pudicitiae posuerunt. Nullo eventu. Quidvis enim maritae audent, ex quo pictura mores corrupit. Haec olim aliter erant, cum parietes nullo crimine picti, templa in honore essent. Nunc omnia contra. Nam obscoenae tabulae ubique; dii deserti. Prorsus idem ἀντίθετον habes III, 13, 47.:

At nunc desertis cessant sacraria lucis.

Nunc vero pro non, ut codices sunt, nulla paene mutatio. Haec enim in libris ita prorsus miscentur, ut quid praeferendum sit, non auctoritate sed sententiarum nexu recte aestimes. Cf. enim comment. ad El. I, 11, 21. Drakenb. ad Liv. III, 61,

8. V, 9, 5. 54, 5. VI, 12, 4. VII, 40, 8. IX, 35, 4. X, 14, 12. 9, 11. Ceterum omnia haec argumenta elevasse sibi videtur Keil. (p. 41.) nova hac lege inventa. „At enim nullus in his „sed" particulae locus, qua non utimur ad alteram sententiam alteri opponendam, sed ut corrigamus quodammodo (sic) id quod diximus." Cui equidem non prius aut obloquar aut concedam, donec quid velit accuratius ostenderit. Nam priore edicti sui parte cum omnem vim adversativam eius particulae, cuius ea vis cummaxime est propria, de medio sustulisse videatur, aliud dixisse eum aliud voluisse dicere apparet. Altera vero parte istud „quodammodo" posticam quasi quandam aperit, quae grammaticam regulam minime deceat. Neque exemplis a Keilio congestis multum res iuvatur. Nam cum primum nota in vulgus proferat, deinde, dum ad vivum resecare omnia studet, eadem qua supra in singulis exemplis interpretandis licentia grassatur, eademque obscuritate oratio laborat. Nam pugnare inter se utrumque decreti illius membrum, manifestum est.

v. 37. quae limina ponam. Ne Propertium architectum facerent, criticorum filii alii aliter, Lachmannus: quae ad limina coniecit. Sed nulla est aedificatio, nisi pontículi illius, quod Graeci ζεῦγμα appellant, idque facillimi generis, de quo, si tanti est, cf. Q. P. II. 6. s. II. §. 16.

v. 41. Mutato pronominis primae personae numero offensus Volscus deducet correxit, Lachm. diducet. At plane Propertianum esse, quod ex libris mss. dedimus, nemo negabit, qui Q. P. II, 6. s. II. §. 9. comparaverit.

Elegia VII.

De dispositione carminis v. Q. P. II, 5. p. 86. extr.; de tempore quo scriptum sit, III, 3. p. 224. sqq. item de lege Iulia et quae eam secuta est Papia Poppaea I, 6. pp. 32. 34.

v. 1. Gavisa est. Vulgo corrigunt es. Sed vid. Q. P. II, 6. §. 5. p. 116. et ad El. I, 3, 27.

v. 2. flemus. Praesens pro perfecto, more Propertiano. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 8. p. 120. Neque igitur ad contractionem confugiendum (sicut Haasius quoque fecit ad Reisig. Gr. L. p. 227. n. 271.) illis temporibus diu obsoletam. Recte autem flemus, ni. Nam in verbo flendi metonymiam latere docuimus Q. P. II, 6. p. 156. Coniunctionem vero ni pro ne quam antiquo usu probatam testantur Serv. ad Virg. Aen. III, 686. Donat. ad Ter. Eun. II, 3, 36. III, 3, 2. saepius etiam in codicibus lecturos nos esse crediderim, nisi a librariis nesciis antiqui usus passim esset ob-

litterata. Itaque iis tantum locis relicta est, ubi pro nisi positam esse isti opinarentur. Restat tamen etiamnunc omnibus codd. tuta Plin. N. H. XXXII, 10. Plaut. Menaechm. I, 2, 1.

v. 5. I. H. Vossius interpretatus est, quasi magnus praedicatum esset, omisso verbo substantivo, puto, quia nefas credebat, Augusti potentiam Iovi tam aperte anteponi. Sed ut intelligas, quid eius aetatis adulatio potuerit, vid. Q. P. I, 5. p. 29.

v. 6. Devictae gentes. Locum sanissimum Huschkius quamvis ingeniosa coniectura (devictae gentis nil — valet), frustra tamen tentavit Epist. crit. p. 45. De metonymia enim illa cf. Q. P. II, 6. p. 156. Ex aliis auctoribus cf. Tacit. Ann. I, 8.: cum occisus Caesar aliis pessimum, aliis pulcherrimum facinus videretur. Ovid. ex Pont. IV, 14, 47.:

Molliter a vobis mea sors excepta, Tomitae
Tam mites Grāios indicat esse viros.

nec aliter expediendum ibid. II, 3, 87.: Inter confessum dubie dubieque negantem i. e. inter confitendum et negandum, et quod nemo intellexit Ovid. Met. I, 654.: tu non inventa reperta luctus eras, i. e. luctus levior erat, te non inventam esse, quam is est, quod es reperta. Prorsus enim eodem modo, quamvis citra participii usum VIII, 493.: mortis mihi displicet auctor; ubi mater, quae auctor erat mortis, non ipsam se sibi displicere ait, quod esset absurdum, sed hoc sibi displicere, se esse auctorem mortis. Alia nunc intelligo suppeditari a Krüger. Gr. L. p. 662. Audacissimum tamen in hoc genere quippe cum alia praeterea mutationis specie iunctum illud Virgilii est Aen. XI, 268.: devictam Asiam subsedit adulter. Agamemnonem enim intelligit. Devicta autem Asia pro victoria est de Asia reportata; haec vero, notiore iam metonymia, pro victore. Sic etiam Ovid. Trist. I, 9, 10.: Nullus ad amissas ibit amicus opes. Add. comm. ad El. III, 20, 25. Ceterum versus insequentis plagiator improbus Ovidius non latuit interpretes, qui Epist. ex Ponto II, 8, 65.: Nam caput e nostra citius cervice recedit cett.

v. 8. faces. Sunt qui nuptiales taedas perditas, i. e. inutili dispendio frustra consumptas interpretentur. Quale frigus non tantum miror, quod ceteris omnibus Broukhusio, Vulpio, Barthio, Kuinoelio placuit, quantum quod uni I. H. Vossio. Verum sensit Burmannus, quamvis, ut solet, paullo inconcinnior nec satis sibi constans de amoribus vel de amatis puellis faces dici a poetis scribat. Tu vero intellige flammas amoris ingenuas, quas matrimonio perdere vereatur poeta. Sic I, 13, 26.: Nam tibi non tepi-

das subdidit illa faces, et I, 18, 21.: Nam me non ullae poterunt corrumpere taedae, ubi vid. comment. Quod simile ceteroquin notissimum et ab omnibus poetis usurpatum si exemplis aliis indigere cui videatur, Lachmannum adeat ad h. l.

v. 9. Aut libri scripti ad unum omnes. In Iacobi editione, nulla librorum discrepantia annotata anne, Douzae inventum, operarum credo vitio obtinuit. Etenim iam Kuinoel. suum Propertio restituit.

v. 11. caneret tibi Cynthia somnos Tibia. Pro Cynthia Neapolitanus cum secta sua tibia, quod et propter ingratum sonum et quia origo erroris manifesta erat, Lachmannus iure respuit. faceret de coniectura Heinsii Broukh. recepit. Multo autem languidius, „quales caneret t. cantus", Avancii, ni fallor, commentum, quod tamen πνὺξ καὶ λὰξ Astius defendit Obss. p. 25 sq., assentatorem Kuinoelium nactus. At optime iam sententiam illustravit Scaliger, quamvis in singulis vocibus frustra offendens. Nam qualis, quod tamquam a Beroaldo invectum valde absurdum censet, idem esse quod quales, i. e. accusativum pluralem, praetervidisse eum mireris. Cetera rectissime sunt: „Tibiam intelligit nuptialem qua novam nuptam mariti domum deducebant, noctu. Tunc enim deducebatur nupta, cum iam concubia nox esset. Itaque dicit εἰρωνικῶς cum mea tibia induceret tibi somnos. Atqui contra vult. Ea tibia enim ipsi potius adimeret, cum audiret novae nuptae amicum Propertium sibi ademtum." Quare ne Huschkii quidem coniecturam pro Cynthia-Lydia legentis, quia eum modulum (Οὐλύμπου νόμον) lamentationibus accommodatum imprimis fuisse veteres tradant (cf. Interpp. ad Eurip. Iph. Aul. 573.), equidem admittam, et nimis eum ego cum Hemsterhusio fastidiosum esse censeo, cui distichon, quale in ordine exhibuimus, non sapiat. „Tu caneret praegnanti potestate cape, canendo faceret et conciliaret, cuius generis exemplorum ingens apud utriusque linguae scriptores est copia." Haec Hemsterhusius. De accusativo eo diximus ad El. II, 1, 9. II, 20, 8. Simillimus tamen huic loco Virg. Ecl. IV, 46. ubi de fusis Parcarum: talia saecla currite i. e. currendo efficite. Tib. IV, 1, 51.: Decurrere saecla. Aen. I, 176.: rapere flammam i. e. rapiendo vel celeriter movendo efficere flammam. ibid. II, 619.: eripere fugam. Quintilian. XII, 10, 38.: verborum gratia, quam in ipsis non habemus, extrinsecus condienda est; i. e. condimentis adhibitis efficicienda. Ovid. Trist. I, 1, 108.: evigilare libros. Noster III, 22, 35.: curvare

cornua, i. e. cornua quae nondum fuerunt, efficere eaque curva. Sin somnos cognoscere vis quales tibia illa Cynthiae canebat, cf. El. I, 14, 20 sqq. Tibull. I, 2, 75. Catull. L, 10. — Ὕπνους ἀγρύπνους senties. Ceterum in eadem re iisdem fere verbis usus Ovidius faciliora tamen ut solet intellectu reddidit, quamvis ni fallor non exigua austerae gratiae parte detracta Heroid. XII, 140.:

Tibiaque effundit socialia carmina vobis,
At mihi funerea flebiliora tuba.

Intelliges, quid intersit. Nec cum Santenio in Propertio quoque pro funesta, funerea reponere audebis.

v. 13. patriis triumphis. Parthis ingeniose Ruhnkenius. Alterum tamen rectius; nam lex illa de maritandis ordinibus propterea etiam rogata est, ne exhausto bellis civium numero, sola advenarum turba in legionibus mereret (Dio Cass. LIV, 16. LVI, 10. XLIII, 25.). Egone, quaerit, tam mollis ultimaeque nequitiae deditus (I, 6, 26.) non laudi, non natus idoneus armis (ibid. 29.), egone autem milites gignam, patriae victorias reportaturos, quique dignos maioribus triumphos agant? Ne miles quidem de nostro sanguine erit, nedum fortis aut triumphator. Hinc simul illustratur

v. 15. nemini intellectus, praeter unum Hemsterhusium, qui solus veram interpretationis viam indicavit. Hinc coniecturae plurimae natae. Heinsius: Quod mea si tenerae. Scaliger: Quod si Romanae. Lachm.: Quodsi cura meae comitari castra. Iacob: Quodsi in verba meae comitarer. Sed sanissimus locus. Nam quod Italorum quidam antiquiores comitarem, Puccius cum recentioribus comitarer exhibent: hoc aperta est interpretatio; illud vero, quod non minus quam nostrum aptum sensum praebet (cf. Q. P. II, 6. p. 142.), nunc non recipiam, quia insolentiorem verbi formam nisi efflagitante numero expetisse Propertium vix crediderim. Nexus autem sententiarum idem, qui in loco modo allato I, 6, 29 sq.:

Non ego sum laudi, non natus idoneus armis,
Hanc me militiam fata subire volunt.

Sic igitur interpretare: Quamquam si castra, quae puellae meae sequuntur h. e. dulcis illa amoris militia, vera militia, verumque bellum esset: summus miles par mihi non esset futurus. Nam „hic“ (ut ipse ait II, 22, 34.) „ego Pelides, hic ferus Hector ego.“ Sententia minime ambigua. Nam castra pro militia in universum dici pervulgatius est, quam quod exemplis indigeat. Ac Propertium, cui amorem bello comparare antiquum est (cf. Lachm. ad El. I, 3, 16.), etiam castra sua amatoria habere non mirabere.

Neque ego nunc ad proelia amoris (II, 1, 45. III, 5, 2. Tibull. II, 3, 63.) provoco, quem κνδοιμὸν ἔρωτος Hermesian. appellat ap. Athen. XIII. p. 598. F. Bach. frgm. Hermes. V, 83. neque ad Tibulli I, 1, 75., ubi eadem in eadem re ἀντίθεσις: Hic ego dux milesque bonus, vos signa tubaeque Ite procul —: castra ea amoris Propertiana vid. El. IV, 1, 135 sqq.:

At tu finge elegos, fallax opus: haec tua castra,
Scribat ut exemplo cetera turba tuo.
Militiam Veneris blandis patiere sub armis
Et Veneris pueris utilis hostis eris. —

Huius autem iocosae militiae castrorumque Cupidinis morem et disciplinam si penitus cognoscere velis, Ovidium lege Amorr. I, 9.: Militat omnis amans et habet sua castra Cupido, et quae tota ea elegia exponuntur. Nexus igitur totius loci, quem Lachm. versu potissimum 17. desiderabat, hic est: Cui bono erit, si ego uxorem duxero, quum id non sim praestiturus, qua de causa lex lata est. Neque enim ego militem reipublicae ullum procreabo. Quamquam in his meis castris tantus sum miles, ut mihi vel heroum fortitudo sordeat. Hinc enim, i. e. ab amoribus nomen tuli, quod ad extremi orbis populos penetravit. Apage igitur illud triste matrimonii iugum. Tecum ut antea, vivam. Plus gloriae et honoris inde referam, quam si magnae sobolis pater audiam. Iam vero singula ut expediamus: quodsi, quod per quanquam si interpretati sumus, saepissime contrariis orationis partibus coniungendis destinatum a Propertio esse docuimus Q. P. II, 6. s. II. §. 14. p. 129. Sic ap. Ovid. Met. I, 593., ubi antecesserat: pete umbras nemorum, haec sequuntur: quodsi sola times latebras intrare ferarum cett. Neque igitur ab altera scriptura Etsi auxilium petere opus est, quam e nostris libris sola Regiensis tuetur, ex Colbert. I. Regio utroque Leid. II. Burmannus profert, quibus accedit Vallerianus a Bernhardyo inspectus. Nam quod Burmannus in eo numero etiam Askewianum refert, is διττογραφίαν hanc habet: Quod etsi. Illud autem si admiseris, facilius etiam interpretatio cedat. Tum enim post etsi virgula facta reliquus versus protasin enuntiati conditionalis efficit, cuius ἀπόδοσις pentametro continetur. De omissa enim particula cf. II, 13, 49. Hic autem, ut omitteretur, eam accessisse causam suspiceris, quod post Etsi repetita coniunctio si ingratum sonitura fuisset. Simillimum certe structurae genus ap. Tibull. II, 4. extr.:

Si modo me placido videat Nemesis mea vultu,
Mille alias herbas misceat illa: bibam.

Iam vera castra recte fictae huic belli imagini opponuntur, eodem modo quo apud Iuvenal. Sat. VI, 251. vera arma umbratili exercitio. Verum enim non modo falso, sed ei, quod animo solum fingimus, contrarium esse docuerunt Ruhnken. ad Rutil. Lup. II. p. 92. quosque ille citat Gronov. Observv. IV, 7. Markland. ad Stat. Silv. V, 5, 39. Ernest. Clav. Cic. v. Veritas. Sic Aquila Romanus (c. 42.) veram causam ficto declamatoris argumento opponit, ubi vid. eund. Ruhnken. p. 186. Add. Heindf. ad Horat. Sat. I, 3, 97. — Nervosa autem admodum oratio pro eo: si vera erant castra, quae comitantur puellae. De summa enim sententiae in attributo posita egimus Q. P. II, 6. §. 23. p. 142. et amplius ad El. I, 8, 21. Add. comment. El. II, 16, 16. Restat ut de plurali dicam „meae puellae", cum unam potius puellam eamque Cynthiam significandam fuisse obiicere possis. At primum inter plures puellas ludere atque adeo regnare solitum esse poetam, etiamsi tunc certe unam duntaxat regali toro suo dignatus esset, quis neget? Sic enim El. II, 34. ubi unam dominam Cynthiam colere se ab initio toties profitetur, tamen v. 55 sqq. haec habet: „Aspice me, cui parva domi fortuna relicta est. Nullus et antique Marte triumphus avi, Ut regnem mixtas inter conviva puellas." Has igitur suas puellas eum dicere, consentaneum. Praeterea simile illud ipsum pluralem sibi poscebat, cum una puella nondum castra efficiat. Fac igitur, pluralem numerum figurae illi concesserit Propertius, unam puellam Cynthiam significaverit. Sic saepius Propertium locutum esse docuimus Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 151. coll. El. IV, 9, 34. IV, 11, 30. Sic Virgil. XI, 784.: superos Aruns sic voce precatur: Summe deum, Apollo. cf. ibid. III, 488. VI, 322. VII, 96—98. 359. Wagner. ad Virg. Aen. 1, 3. Ecl. IV, 49. Declamator post Red. in Senat. 3, 7. deorum templa inflammata, ubi de una Nympharum aede agitur. Add. Cic. pro Sext. §. 84. pro Coel. §. 78. Orat. post red. ad Quirit. §. 14. in Pison. §. 23. Quo in genere per se invidiam non inesse patet. Ne igitur cum Wolfio Orat. post red. in Senat. §. 4. pluralem principes tangas, quamvis de uno Pompeio sermo sit.

v. 20. patrio sanguine. Barthius Livineium secutus: subole, quae patriae debetur, quod Latinum non est. Passeratius: eris mihi carior, quam parentes, liberi, propinqui omnes; quod parum ad rem pertinet. I. H. Vossius dubia interpretatione: *theurer denn Vatergeschlecht.* Burmannus Partho coniicit;. absurde. Quis enim dubitet amicam a Propertio plus amatam quam sanguinem Par-

thorum. Hic vero agitur certamen inter amorem et iussa legis Iuliae. Haec enim Romanos cives ingenuam prolem edere (cf. Q. P. I, 6. p. 36. III, 3. p. 224.), patriumque sanguinem filiorum nepotumque serie augere et in saecula propagare voluit. Hoc igitur ait Propertius: non mihi tanti est paterna domus et genus, ut ad augenda ea te deseram.

Elegia VIII.

De nexu partium huius carminis paullo intricatiore et mutatis per sermocinationis figuram personis subobscuro egimus Q. P. II, 6. s. II. §§. 5. 6. pp. 115. 117.

v. 7. De irrisione severae sapientiae, quae his sententiolis figurisque rhetoricis significatur, vid. Quaestt. l. l. s. I. §. 2. s. II. §. 13. pp. 109. 126.

v. 10. steterunt. A Scaligero est; neque ullo modo steterant, quamvis in omnibus libris sit, iuxta proximum fuit ferri potest. Causa autem erroris manifesta.

v. 11. Verba sunt poetae cum indignatione respondentis ad prudentia ista et mitia amici consilia.

vel. Lachmannus vae coni., quia vel pro et positum „deterioris aevi" sit. Nec nos dicimus vel idem esse quod et, sed disiunctivarum particularum omnium ea, quae proxime accedat copulativam. Nam cum aut *non posse* simul esse duas res significet, et vero simpliciter *esse simul:* vel in medio positum, non *debere* quidem *simul esse*, sed *posse* ita cogitari indicat. Hinc a copulandi particulis exiguo saepe discrimine differt. Sic Propertius hac ipsa elegia v. 39.: inferior multo cum sim vel matre vel armis, et apertius Cicero Div. III, 10.: cuius opes, ingenium, liberi, affines, propinqui mihi magno vel ornamento vel praesidio esse possint. Famil. X, 4.: In officio tuendo habeo causas plurimas, vel — vel — vel. Eadem significatio manet, cum semel ponitur ut Virg. Aen. VII, 769.: pariter pietate vel armis egregius. Unde facile eo deflectitur usus, ut cum fortius verbum in fine poni soleat, leviter se corrigere is qui loquitur videatur. Hoc ut plurima acute perspexit Krüger. Gramm. Lat. §. 543. p. 729. ann. 2. et Iacobus hoc loco valere, recte admonet. Similiter in interrogationibus rectendis Propertius enclitica -ve utitur III, 1, 5.: Dicite quo pariter carmen tenuastis in antro, Quove pede ingressi, quamve bibistis aquam. Neque enim aut unum aut alterum se quaerere significat, sed omnia pariter.

v. 13. Ergo tam multos. — Hic prae ceteris Gronin-

gano reliquorum librorum iam mihi sordet. Nam in tanta percontationis vehementia quis tenue illud et debile iam statim ab initio positum ferat, cuius proprius locus iuxta tulerim erat. Sedatam illud expositionem, non ὑπερβολήν decet, quae in his verbis inest. Multi enim hi anni, ne nescias, tres erant universi. Cf. Q. P. I, 3. p. 16.

v. 13. Qui turbatum hic a librariis crediderunt, hi decepti sunt particulae ergo significatione. Neque enim hic ulla in eo consequentiae vis inest, ne admirationis quidem, ut Handius vult (de Particulis II. p. 449, 16.), Lachmanni interpunctionem secutus, qui in editione Lips. post domum percontationis signum posuerat. Sed propria vocabulae voluntas est, qua cum Graeco ἔργον cognata affirmationem continet, plane ut nostrum *wirklich*, et stirpe et usu proximum. Huc exemplorum, quae Hand. l. l. plurima contulit, maxime pertinent: Plaut. Mostell. I, 3, 18. Mil. Glor. II, 1, 63. His add. Asin. II, 2, 49.: Ergo mirabar, quod dudum scapulae gestabant mihi. Ovid. Amorr. I, 12, 17.: „Ergo ago vos rebus duplices pro nomine sensi: Auspicii numerus non erat ipse bonus.“ Sic enim illa verba distinguenda. Antecedentibus enim versibus poeta dixerat, non esse mirandum, si quid sibi triste libelli attulerint. Omnia enim in iis mali ominis fuisse: ita vel numerum plagularum. Praeterea cf. comment. ad El. III, 3, 29. Temerarius autem, quem stultum dici reliqui interpretes opinabantur, audacem esse recte Lachm. admonuit. Ille vero sic quaerentem poetam facit: „Ergo ego nimis audax, qui amorem tuum poscam, cum tamen tam multos annos imperium tuum patienter tulerim?“ Immo audacem se fuisse non negat poeta, sed contendit, quippe qui tali Charybdi se commiserit.

v. 17. Hic quoque abruptum quodammodo carminis filum aperte Lachm. ed. Lips., modestius Iacobus significat, nec in editione Berolinensi criticus summus maiore, ut solet, initiali novum carmen hic ordiri ausus est. Nec mortis voluntariae desiderium quidquam alieni habet, cum poeta malle se mori, quam amore spreto vivere versu 4. (quamvis negante Lachmanno) palam professus sit.

v. 25. Puellae suae mortem minitari poetam interpretes subridicule existimarunt non intellecta ἀποστροφῆς vi, qua nunc in adversarium conversus loquitur. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 5. p. 115. Nam v. 2. tu amicum significat, v. 14. te puellam, v. 17. ipse se alloquitur (18. tuo). Quid mirum quod iam quarto personam mutat.

v. 30. in tectis. Codd. Italorum quidem docte interpolati: in Teucros. Arripuit lubens Burmannus. In thecis.

Guyetî coniectura est, quae Broukh. placuit. Sed recte in tectis. Tecta enim cum vel ferarum lustra et spelun-cae dicantur (Virg. Aen. V, 216. VI, 8.), quidni tentoria? Unde optime Lachmannus contulit Homer. Iliad. XXIV, 471. ubi de eodem Achilli tabernaculo: *γέρων δ' ἰθὺς κίε οἶ-κον, τῇ ῥ' Ἀχιλεὺς ἵζεσκε.*

v. 31. fugas; tractos. fuga Groninganus cum aliis, quod praeferendum ducerem, nisi altero fugas post tertiam elationem acrius versus percuteretur. Hoc vero ut in universum magis Propertianum (cf. El. II, 10, 11.), ita huius loci evidentiae et argumento fortissimo valde accommodatum. Deinde fractos vulgo receperunt pro tractos nescio cui obscuro Hieronymi Berchemii libro obsecuti. Sed optime nostrum, quod „distractos palantes" interpretatum Passeratium Burmannus iniuria in ordinem cogit. Nam sic Tacit. Agric. 36.: Batavi — tractis, qui in aequo obstiterant, erigere in colles aciem coeperunt, ubi non emendandum, sed tractus in speciem fugae per agmina deinceps continuatae interpretandum est. Ad eandem similitudinem aestus tractus dicitur Sil. It. III, 55.: Mox remeat gurges tractoque relabitur aestu. Ubi non defuerunt, qui fracto corrigere mallent (ut Heinsius l. c. et ad Val. Fl. VII, 583. Ovid. Met. XI, 729.). Nec raro ea verba in libris confunduntur. Cf. Drakenb. ad Liv. III, 49, 5. XXIII, 35, 1. XXXIX, 51, 2. Alios emendandi conatus sciens praetermitto eorumque curae mando, quibus numquam satis elegans poeta videtur. Nobis satis nitet, si vitiis verba carent, nec orationis contextus ab ulla parte laborat.

v. 33. 34. Homericum est (Il. 6, 27.) observante Huschkio: *ἐν κονίῃσι μέγας μεγαλωστὶ ταννσθείς.*

v. 38. Fortem illum Hectora. Erat, in quo I. H. Vossius offensus corrigeret ille. Sed pronomen hic *δεικτικῶς* positum, quale v. 29.: Ille-Achilles. El. III, 1, 33.: Nec non ille tui casus memorator Homerus.

v. 39. matre. Sic eximie Laurentii Vallae codex. De ablativo enim in personis rariore cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 18. p. 137. Sic Ovid. Met. IX, 333.: coniuge felix. ibid. VII, 512.: crescat tua civibus, opto, Res. II, 372.: silvamque sororibus auctam. Iuvenal. XIII, 246.: frequens exsulibus, ut alia praetermittam, ubi audaciori etiam usu personae notio ita est obliterata, ut in ablativo q. d. instrumentali positae rerum vice fungi videantur, de quibus vid. ad El. III, 22, 11.

v. 40. De pleonasmo v. Q. P. II, 6. s. II. §. 29. p. 158. Neque igitur opus est cum Fonteinio (Bibl. Crit. Am-

stel. II, 2. p. 15. teste Santenio in epistoll. Hoeufftii ineditis) Tulle pro iure reponere.

Elegia IX.

De dispositione vid. Q. P. II, 5. p. 91.

v. 1. fors et. Retinui, quod codd. praebent a Charisio II. p. 165. et Prisciano (XV. T. I. p. 627. Krehl.) et Virgilii exemplo satis tutum Aen. XI, 50. V, 232. II, 139. VI, 537. XII, 183.

v. 7. De attractione vid. Q. P. II, 6. p. 138. Proximum huic Ovid. Met. IX, 544.: Superata fateri cogor. Nam quod vulgo huc referunt Virg. Aen. II, 377.: sensit delapsus in hostes, id aliam eamque faciliorem explicationem admittere apparebit coll. comment. ad El. IV, 7, 36. Alia exempla, quae praetermissa a grammaticis addere iuvabat, nunc occupata video a Krüger. Gramm. Lat. p. 777. n. 3. In fine versus Ulixem scribendum esse docuimus Q. P. II, 6. s. III. p. 164.

v. 8. Nihil mutandum. Nam expectando facta anus coniungendum artius, remansit vero absolute dictum esse recte Lachm. censuit. Est enim idem quod perduravit, vel quod Prop. III, 12, 37. significat: casta domi persederat. Miror tamen, quod idem Lachm. in fine doctae expositionis rursus dubitat, an remanere „eo sensu nude poni“ non possit. Quamquam enim domi suppleri ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, quod interpretibus placere solet, nobiscum iure negabit, hic tamen cum aliena coniugia distulisse paullo ante Penelope dicta esset, ubi remanserit satis apparet. Ubi enim, nisi domi suae? Hinc remanere dicitur quisquis constans est et fidelis, etiamsi nec locus additur ubi remaneat, nec is cui maneat. Utrumque enim facile ex proximis intelligitur. Ovid. Trist. I, 9, 23.:

Sed tamen in duris remanentem rebus amicum
Quamlibet inviso Caesar in hoste probat.

Nam in duris rebus non locum sed conditionem significat, quae hic in attributo est: facta anus.

v. 12. fluviis. Heinsius flavis, quod certatim omnes arripuerunt. Tu vero cf. Q. P. II, 6. p. 163. Ne tamen languere attributum censeas, quantam antiqui vim in purgando perennis aquae undis tribuerint, memineris velim. Quod autem participium praeter dativum etiam praepositio in cum accusativo iuncta sequitur, cave ne eundem eius praepositionis usum esse Broukhusio credas, qualis in formulis in potestatem esse, in mentem esse cett. Hac enim sententia

si in Simoenta dictum esset, ipsa verba secum pugnarent. Quomodo enim qui in flumine (Simoente) positus est, idem simul ad flumen (i. e. vada) vel iuxta positus esse possit? Est potius praegnans praepositionis vis, qua motionis quodammodo via et finis breviter et cum evidentia indicatur. Ita appositum corpus flumini puta, ut versus undas porrectum fortasse etiam ex parte in undas pertineret. Comparare licet Ovid. Met. VIII, 145.: pendebat in auras, quod immane quantum discrepet ab altero: in auris. Sed tu cf. quae congessimus ad El. II, 17, 6. Q. P. II, 6. s. II. §. 17. p. 133. Add. El. IV, 5, 47.

v. 13. Ob oculos versatum esse Propertio Homericum (Il. 6, 23.): Ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἕλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν χεύατο κὰκ κεφαλῆς, χαρίεν δ' ἤσχυνε πρόσωπον Huschkius persuadet Epist. crit. p. 13.

v. 16. viro codd. probi omnes. toro, quod Scaliger e margine libri sui invexit, a conditione mortui Achillis alienum est. Viduo viro post tibi figura Propertio usitatissima, qua nomen ad utrumque versum pertinens mutata forma repetitur in pentametro et quodammodo renovatur. Cf. Q. P. II, 6. s. IV. p. 173 sq. Ceterum is error librariorum frequentior est quam credas. Sic Vallerianus unus El. I, 6, 18. pro infido — viro — toro. Cf. praeterea El. III, 6, 30.

v. 18. etiam — et. Frustra sunt, qui pleonasmum credunt. Vide Hand. de Particulis II. p. 521 sqq., qui altero etiam necti enuntiata, altero et sententiae vim in voce arma positam augeri docebit.

v. 21. duxistis recte; nam ubi vicissim ridetur et verba mala fiunt, plures adsint necesse est. Ceterum v. El. IV, 8, 17 sqq.

v. 23. ipse. Apud Iacobum ante est, operarum vitio, ut videtur.

v. 24. I. H. Vossius viro velut per πρόληψιν additum praedicato interpretatur. Tu vero artius coniunge isto viro, ut contemptio indicetur adversarii, quem non nominat; sic v. 48.: Ille vir.

v. 25. Haec Lachmannus habere negat quo referatur. Itaque Et coni., ut ante eum nescio qui vir doctus Quae. At pronomen demonstrativum ita saepissime addi substantivo docuimus Q. P. II, 6. p. 144. §. 24. s. fin.; ut severiores cogitandi normas secutus genitivo casu ex eo pendere illud malis. Perinde igitur est, ac si dicat: huiusne rei, vel in huncine eventum vota suscepi, ut salva te facta alius frueretur? Et indignantis est talis percontatio, velut loco huius simillimo IV, 3, 11.: Haecne marita fides, hae pactae sunt mihi

noctes? Add. II, 24, 17.: Hoc erat imprimis quod me gaudere iubebas? et Meleag. Anth. Pal. V. ep. 184. p. 115. T. I. p. 136. Iacobs. ταῦτ' ἦν, ταῦτ' ἐπίορκε; — Cf. praeterea comment. ad El. IV, 11, 36. II, 34, 83. II, 13, 53.

v. 26. Commodum se offert Aclepiadis locus (Anth. Pal. p. 110. c. V. ep. 162. T. I. p. 128. Iacobs.) non integer tamen a librarii erroribus, quem sic restituimus: εἰς γὰρ ἑταίραν Νυσταζων ἐπέβην ἠδὲ θυγὼν Ἄιδα. Vulgo enim sine sensu legitur ἡ δ' ἔθυγόν τ' Ἄιδα.

v. 30. mea si staret navis in O. I. H. Vossius: *Oder wenn stockte mein Schiff in des Oceans Fluth.* Cogitabat sine dubio de ea verbi stare significatione, quam illustrabimus ad El. IV, 11, 4. Sed nihil hoc ad rem. Neque enim poeta aliud agit, quam ut suam praesentis amici conditionem cum longinqua militum vel mercatorum absentia comparet. Stare igitur, ut Virg. Aen. VI, 697.: Stant sale Tyrrheno classes. Liv. XLII, 48.: Ibi stetit classis — et quos locos Burmannus citat Virg. Aen. III, 277. Flor. II, 2. Caes. Bell. Civil. II, 25, 6. Verbum proprium de navibus, ut Graecum σαλεύειν, ἐν σάλῳ στῆναι. Quid vero sit mea navis, illustravimus Q. P. II, 6. s. II. §. 20. p. 139 sq.

v. 38. pueri. Passeratius recte Cupidines intelligit. Frustra dubitat Burmannus, qui servos, ut mortem sibi atque — immane dictu — etiam Cynthiae inferant, excitare opinatur poetam. Contra quem Huschk. (Ep. crit. p. 6.) aptissime profert Posidippi epigramma (Ann. Br. II. p. 46.), cuius aperta hic imitatio subest:

Ναὶ, ναὶ βάλλετ' Ἔρωτες, ἐγὼ σκοπὸς εἶς ἅμα πολλοῖς
Κεῖμαι· μὴ φείσησθ' ἄφρονες· ἦν γὰρ ἐμὲ
Νικήσητ', ὀνομαστοὶ ἐν ἀθανάτοισιν ἔσεσθε.

Sic Cupidinum turbam, quos sola puerorum appellatione designat, cum poeta deproeliari atque adeo vinctum eum trahere videmus El. II, 29. Puer autem fere semper Cupido. Cf. I, 6, 23.: puer iste. III, 10, 28.: ille puèr. I, 7, 15. I, 19, 5. I, 9, 21. II, 29, 3. IV, 1, 138. Quod autem sanguis — palma paullo insolentius dicitur, cf. Q. P. II, 6. s. II. p. 156.

v. 41—52. Pannus ordine praepostero hic assutus, quem ad El. XIII. referendum esse docuimus Q. P. III, 2. p. 218. coll. ibid. II, 5. pp. 91. 98. Primus sensit Wakkerus (Amoen. Litt. XII. p. 76.); Lachmannus non posse post absolutum iam carmen hunc exitum tolerari certissimis argumentis evicit.

* * *

v. 41. In mentem venit Aclepiadis ep. 161. V. p. 111. Anth. Pal. T. I. p. 130. Iacobs. *Νύξ, σὲ γὰρ οὐκ ἄλλην μαρτύρομαι οἷά μ' ὑβρίζει.*

v. 45. nostro ponet vestigia lecto. In turpitudinem explicant, quasi poeta de vestigiis e certamine venereo relictis loquatur. Sed vestigia pedes significare, vestigia ponere vero nihil esse nisi ingredi vel adire et hic ceteri interpretes obliti sunt, et Burmannus ad El. II, 16, 27. ita praetervidit, ut paullo altius eius formulae originem repetere haud videatur supervacuum. Vestigia enim quod pro pedibus poni diximus: haec significatio familiaris imprimis Virgilio; Aen. V, 566.: vestigia primi Alba pedis. VII, 689.: vestigia nuda sinistri Instituere pedis. add. XI, 573. Imitatus est Sil. Ital. III, 235.: vestigia nuda. Sed iam Catull. LXIV, 162.: Candida permulcens liquidis vestigia lymphi coll. LXVI, 69. Sic Columell. VII, 20. commendat „vestigiorum articulis — amplissimis canem." Plin. N. H. VII, 17.: a vestigio ad verticem. id. XI, 45. carnosum vestigium. Admodum autem frequens hic vocis usus post movendi verba, ubi paene in gressus notionem transit (quo et ipso interdum pedes significari notum est), qualia plurima sunt, quae ex Virgilio attulimus exempla, quibus adde Aen. IX, 798.: retro vestigia Turnus Improperata refert. III, 669.: vestigia torsit. Sil. Ital. VII, 463.: vestigia concita sacrae plantae fert. ibid. XV, 614.: suspensa ferens vestigia, ubi vid. Drakenb. Plin. Paneg. 22.: suspensum et instabile vestigium capere, ubi v. Schwarz. p. 55. Ovid. Fast. I, 425 sq.: vestigia furtim Suspenso digitis fert taciturna gradu. Prop. El. I, 5, 5.: Et miser ignotos vestigia ferre per ignes — cupis, et II, 16, 27.: agitare vestigia, ubi v. comm. Quibus locis omnibus de signis pedum solo impressis sermonem esse non posse patet. Neque aliter trahere vestigia dicitur: Sil. Ital. I, 555. et Prop. I, 3, 9.: Ebria cum traherem multo vestigia Baccho. Unde nec firmare nec tenere vestigia (vid. Claudian. Raptu Proserp. I, 19.: „Ebria Maeonius firmat vestigia thyrsus" coll. Virg. Aen. III, 659. et V, 331.: „vestigia presso haud tenuit titubata") de notis relictis intelligi posse apparet. Multo vero minus Iuvenal: XIV, 272. qui de funambulo: „ancipiti vestigia figere planta" dicit. Hinc satis certo confici existimo, ne hac quidem formula, tritissima iam optimis auctoribus: ponere vestigia aliud quid proprie significari quam ponere pedes, vel ingredi. Quod quamvis locos adesse non negem, ubi contrariam rationem sequi liceat (velut Horat. Ep. I, 19, 21.),

putidum certe esset Hor. Sat. II, 6, 101. ubi de muribus: cum ponit uterque In locuplete domo vestigia, vel adeo Cicer. Fin. V, 2.: quacunque ingredimur, in aliquam historiam vestigium ponimus. Neque igitur hunc locum nostrum multo aliter dictum sentio, quam El. I, 18, 12.: non altera nostro Limine formosos intulit ulla pedes coll. Catull. LXVIII, 70.

v. 48. Simile, quamvis minus durum, in simili causa Meleager aemulo imprecatur Anth. Pal. ep. 165. V. p. 111. T. I. p. 129. ὁ δ' ἐν κόλποισιν ἐκείνης Ῥιπτασθεὶς κείσθω δεύτερος Ἐνδυμίων. Cf. Iacobs. Animadvv. ad Anthol. Br. I, 1. p. 113.

v. 50. media. Iacob. ci. misera. Sed mater Iocasta inter morituros filios media progressa ipsa se interemit:

ἐν δὲ τοῖσι φιλτάτοις
θανοῦσα κεῖται περιβαλοῦσ' ἀμφοῖν χέρας.

Ne tamen ideo etiam Cynthiam interemptam velle poetam interpretibus crede. Recte enim cecidisse illos media matre, se cum rivali media puella pugnaturum ait, quae progressa inter certantes Iocastae instar frustra arma solvere studeat. Sic enim Antigone apud Senec. Phoeniss. III. v. 405.:

Nudum inter enses pectus infectos tene,
Aut solve bellum, mater, aut prima excipe —

cui Iocasta:

Ibo, ibo et armis obvium opponam caput,
Stabo inter arma; petere qui fratrem volet,
Petat ante matrem cett.

et quae deinde aguntur toto Act. IV. Cf. Stat. Thebaid. v. 325 sq.

Elegia X.

Tempus huius carminis scriptioni definivimus Q. P. I, 3. p. 16. et III, 2. p. 217. De argumento vid. ibid. I, 5. p. 28.

v. 1. Sed. Ne carmen capite detruncatum esse Lachmanno credas, cf. Q. P. III, 2. p. 220. Nam apud animum talia antea reputasse poetam illa particula significat: Hucusque equidem cecini puellarum amores; sed tempus cett. Beroaldus, non intellecta eius coniunctionis vi et usu primus correxit: Iam. Lachmanno autem, qui adeo hic criticos ceteros fastidit, ut ipsa eorum verba refutationis loco posuisse sibi videatur, hoc unum respondemus, nos quamquam non prorsus „ἰσοδύναμον τῷ sed", ut Vulpius ait, particulam at esse credamus, idem tamen hoc sed ab initio positum scimus, quo quis varias quas animo volverat cogitationes interrumperet.

Sic Ter. Phorm. Act. V, 5, 5. Antipho: Sed Phormio' st. quid ais? Alia et nostro simillima contulimus Q. P. II, 6. p. 130. §. 14. Ad allegoriam vero hanc cf. comment. ad El. III, 1, 4.

v. 2. Carmina non solum cursui, sed etiam curribus et equis comparantur. Hinc Callimach. frgm. 456. Ernest. — ἴσχε δὲ δρόμον μαργῶντος ἵππου. Add. ex Graecis Pindar. Ol. XIII, 69. VII, 401. VII, 24. Nem. I, 10. quos confert Bernhardy. ad Dionys. Perieg. 651. Imitati sunt Latini poetae, inter quos proxime nostro Iuvenal. I, 19.: „Cur tamen hoc potius libeat decurrere campo, Per quem magnus equos Auruncae flexit alumnus?“ Cf. praeterea Virg. Georg. II. extr. Ovid. Amorr. III, 13, 18. Fast. II, 360. III, 1, 11. Nemes. Cyneg. 9.; Propertium ipsum III, 1, 9. III, 9, 57. III, 3, 18. IV, 1, 70. Hinc trita iam allegoria vestigia in oratione poetica reliquisse videtur, quale III, 3, 21.:

Cur tua praescripto sevecta est pagina gyro —

quod optime illustrat Stat. Silv. IV, 7. init.

Iamdiu lato spatiata campo
Fortis heroos Erato labores
Differ atque ingens opus in minores
Contrahe gyros.

Hinc meta, finis carminis El. IV, 2, 58. Haemonium igitur nulla alia de causa ait, nisi quod hi generosissimi. Cf. Valcken. in Oratt. Hemsterh. et Valcken. p. 238. Plat. Menon. init. Hipp. Mai. p. 284. A.; iam enim oraculo laudati ap. Tzetz. Chil. IX, 291. Non opus igitur est Heinsii coniectura: Aonio.

v. 3. fortes ad proelia. De insolentiore hoc praepositionis usu v. Q. P. II, 6. s. II. §. 17. p. 134. Praeter Propertium inter aequales maxime Ovidium sic locutum esse memini; Trist. V, 8, 28.: molle cor ad timidas preces. Ep. ex Ponto IV, 8, 75.: nec ad citharam nec ad arcum segnis Apollo. Fast. II, 688.: Tarquinius fortis ad arma. Met. XII, 167.: invictum ad vulnera corpus. Tacit. Annal. I, 40.: Se divo Augusto ortam, nec degenerem ad pericula. Similius tamen Virg. Ge. III, 50.: fortes ad aratra iuvenci, et Livius VII, 40.: fortes ad sanguinem civilem. Tibull. I, 9, 46.: Nam poteram ad laqueos cautior esse tuos. Broukh. vero hic omnia miscet.

v. 11. Vulgo sic distinguunt: Surge anima ex hum. i. carmine: sumite vires P. cett. Cur alteram rationem praeferendam duceremus, indicavimus ad El. II, 8, 31. Iam: „Melius sit anime nec unquam aliter poetae Latini“ Broukh. Recinunt iuvenesque senesque. At nisi reliqui, Propertius

tamen hoc ipso loco. Nam poetis prorsus promiscuum esse utriusque vocis usum lexica satis docent. — Quod autem carmine optimorum librorum auctoritate tutum Iacobus Propertio reddidit: non egebat excusatione ablativi Propertiani. Hic enim ablativus (qui Graeci accusativi ratione ponitur) omnibus quicunque Latine scripserunt communis est.

v. 13—16. De his versibus v. Q. P. III, 2. p. 217. Mirus autem error Iacobsii, qui in Anthol. p. 173. Euphratem ipsum pone tergum nullos Parthos conspicere interpretatur. Sed recte iam Beroaldus „astutam Parthorum fugam" significari intellexit, qua conversi a tergo tela in persecuturos coniicerent, gentile artificium et Romanis maxime perniciosum. Cf. El. IV, 3, 66. III, 9, 54. Iustin. XLI, 2. Senec. Oed. 118. Thyest. 384. interpp. ad e. l. et ad Virg. Georg. III, 51. Oppian. Cyneg. III, 401. Lucan. III, 265. Alioquin non tueri debebat dicere, quod attenti est animi et speculantis, sed vel conspicere vel simpliciter: videre.

v. 19. castra sequar. Perdunt verum orationis sanguinem, qui interpretantur: „carmine prosequar, narrabo, celebrabo." Sed revera, ut ille qui animo rotundum percurrit — polum (Hor. Od. I, 28, 5 sq.), sic poetae factis quae celebrant, interesse atque adeo ipsi efficere ea sibi videntur. Sic III, 9, 53.:

Prosequar et currus utroque a littore ovantes,

et multo ante eum Pindarus Ol. VI, 22. et evidentius et altioris spiritus plenus currum victoris quem celebrat conscendere se fingit: Ὦ Φίντις, ἀλλὰ ζεῦξον ἤδη μοι σθένος ἡμιόνων ᾇ τάχος, ὄφρα κελεύθῳ τᾷ ἐν καθαρᾷ βάσομεν ὄχχον, ἵκωμαί τε πρὸς ἀνδρῶν καὶ γένος. Cf. Q. P. II, 6. p. 157. Insulsum autem prorsus et febriculosum Burmanni inventum, pigri Batavorum coeli foetus: Haec ego castra loquar.

v. 23. inopes laudis conscendere carmen. Dicendi genus prorsus Propertianum, ne forte coniectura tentandum esse censeas. Sic enim metaphoris noster uti in deliciis habet, ut vera simulatis, propria (carmen) translatis misceat. Q. P. II, 6. s. II. §. 27. p. 147 sq. comment. ad El. IV, 6, 7. Nec accuratius intuentibus, quod simile hic sub verbo conscendere lateat, obscurum erit. Nam altius aliquid hic significari, quam quo humilis poetae animus assurgat, apertissima docet vers. 21. et 22. comparatio. Iam vero conscendere de montibus et alias et a Propertio (I, 6, 3.) dici certum est. In montibus autem Musarum delubra, quibus poetae sacrificant (comment. ad El. III, 1, 3. IV, 6, 1. ibiq. comm.). De his collibus delatam elegiam „pa-

gina sua" (III, 1, 17. ubi vid. comm.) ait. Hic contra ad sacrificium ascendere velle, nec tamen iam posse se fingit. Nam montis nomine poesis ipsa intelligitur, sicut alibi lucorum nemorumque (III, 1, 2. ibiq. comm.). Quo igitur gravius et altius carminum genus, eo magis excelsi montis simile ea decet, cum minora genera humili casae et pauperibus sacris comparentur (velut statim v. 24.). Nam alia genera et aliam Musam habent et fontem lucumque alium (El. III, 1, 2. 6. ibiq. comm.). Itaque hic laudis carmen omne genus laudativum et epicum significat (de genitivo enim vid. Q. P. II, 6. p. 154. extr.), non id solum carmen, quod Propertius unus hic et certus poeta componere aggreditur. Alioquin metaphora stare non posset. Quodsi sic quoque aenigmatice dictum censeas, non equidem negarem, nisi trita iam haec metaphora, etiam leviter unoque verbo indicata faciliorem antiquis hominibus intellectum praebuisset. Sic Prop. IV, 10, 3 sq.:

Magnum iter ascendo, sed dat mihi gloria vires:
Non iuvat ex facili lecta corona iugo.

Et exemplum eius elegantiae Graeci praeiverunt, simili compendio metaphorae usi. Optime Huschkius Ann. crit. p. 159. Alexandr. Aetol. confert ap. Ath. XV. p. 699. C.

Εὐδὼς ἐκ νεότητος ἀεὶ ξείνοισιν ὁμιλεῖν
Ξεῖνος· Μιμνέρμου δ' εἷς ἔπος ἄκρον ἰὼν κ. τ. λ.

Sed omnium simillimus, ut paene interpretatus eum esse Prop. videatur, quem contulit Iacobus Hesiodi locus Ἔργ. 657. *ἔνθα με τὸ πρῶτον λιγυρῆς ἐπέβησαν ἀοιδῆς.* Quantum vero in hoc loco VV. DD. laboraverint, coniecturae satis docent Heinsii, qui pro carmen — culmen, Marklandi, qui currum maluit, Broukhusii, qui longius progressus contendere curru tentavit; quibus maiora ausus Eldick. lautis ostendere cultum proposuit, quod aeque languet atque Clercquii lauto contendere cultu, Oudendorpius denique quem in tali invento solus Burmannus laudibus extollere potuit: tauris conscindere collum.

v. 24. vilia tura — adulterata nimis sordide interpretantur. Contra tus ipsum donum vilissimum (cf. El. II, 19, 13.). Hinc Iuvenalis (IX, 137.) ture minuto facere se ait, cui cf. Horat. Od. III, 23, 17 — fin. Ovid. ex Ponto IV, 8, 39. loci ad sententiam simillimi, nisi quod hic translata, quae illic propria sunt. Alciphr. ep. XXXV. *ὡς ἕκαστος δυνάμεως ἢ περιουσίας εἶχε, συνεισενέγκατο, ὁ μὲν κριὸν — ὁ πένης πόπανον, ὁ δὲ ἔτι πενέστερος λιβανωτοῦ χόνδρος κ. τ. λ.*

v. 25. 26. Ascraeos fontes esse, ex quibus Hesiodus

hauserit, docuimus Dissertat. de aliquot S. Prop. locis, cett. Halberst. 1836. p. 6. Non Musae, inquit, carmine magnifico, eoque epico (quomodo Theogoniae et Ἠοιῶν auctor heroum facta cecinit), sed solus Amor usque adeo me artem poeticam docuit (cf. El. II, 1, 3. I, 7, 7. I, 9, 7.). Etenim Passeratii interpretatio, a reliquis editoribus temere accepta, qua Ascraeo fonte, quem eundem esse vult Hippocrenae, magna, Permessi parva carmina indicare voluerit poeta, nullis certis nititur argumentis. Namque apud Hesiodum ipsum (Theog. 5.) Permessus fons iuxta Holmeum et Hippocrenen Musis sacratus commemoratur, unde „venientes sub divino Helicone upilionem pulchra carmina docuerunt“ (ibid. v. 22.). Sed haec differentia, quod apud Hesiodum l. l. Musae ipsae λοεσσάμεναι τέρενα χρόα Περμησσοῖο, hic Amor. — Recte; nam etiam El. II, 1, 3.: „Non haec Calliope, non haec mihi cantat Apollo — Ingenium nobis ipsa puella facit.“ Idem autem Hesiodi locus docet, non modo haurientibus Heliconis fontes, sed etiam lavantibus divinum istum furorem immitti creditum esse. Similiter autem nostro, quamvis alia metaphora usus, Meleager ep. 1. (Ann. Br. I, 1.) Νοσσίδος — δέλτοις κηρὸν ἔπηξεν Ἔρως.

Elegia XI.

De dispositione carminis, quod maioris elegiae laciniam falso putant, vid. Q. P. II, 5. p. 87. Non inepte vero ad verss. extr. Sapphonis frgm. comparant ap. Plutarch. II. p. 146. A. Stob. IV. p. 52. Brunck. Ann. I. p. 57. frgm. 73. Bergk. Κατθάνοισα δὲ κείσῃ, οὐδ' ἔτι τις μναμοσύνα σέθεν ἔσσετ' οὐδέποτ' εἰς ὕστερον· οὐ γὰρ πεδέχεις βρόδων τῶν ἐκ Πιερίας, ἀλλ' ἀφάνης κἠν Ἀίδα δόμοις φοιτάσεις πεδ' ἀμαύρων νεκύων ἐκπεποταμένα. Ad v. 4. extremi funeris cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 29. p. 158.

Elegia XII.

De argumento cf. Q. P. II, 4. p. 64., de dispositione ibid. II, 5. p. 103.

v. 1. Idem argumentum Graecis poetis in deliciis erat. Unde plurima in suum usum Propertium convertisse patet. Sic statim ab initio recte comparant Eubul. ap. Athen. XIII. p. 562.: Τίς ἦν ὁ γράψας πρῶτος ἀνθρώπων ἄρα Ἢ κηροπλαστήσας Ἔρωθ' ὑπόπτερον;

v. 5. Non ita pridem alatum Amorem fictum esse docet Schol. Aristoph. Avv. 574. νεωτερικὸν τὸ τὴν Νίκην καὶ τὸν Ἔρωτα ἐπτερῶσθαι. Unde Heindorf. Homericos

ἐκ τῶν ἀποθετῶν versus a Platone ideo ὑβριστικοὺς appellari censet, quia Ἔρωτα ipsum ποτηνὸν faciant ad Platon. Phaedr. 70. p. 252. B.; nec multo prius inventum esse, ut parvulus fingeretur, cum antiquiora signa iuvenem paene puerum exhiberent, docte disseruit C. O. Müller. de Archaeol. p. 528. §. 391, 1. 2.

v. 6. humano corde. Heinsius humana sorte frigide. Absurde autem Barthius: humano corde finxit i. e. cordate et sapienter. Kuinoel. Astium secutus (Observv. in Prop. p. 33.) deum humano corde coniungit coll. Xen. Sympos. VIII, 1. ψυχῇ δὲ ἀνθρώπου ἰσουμένου ἔρωτος. Sed interpretibus istis antiquum est, facillimum et in medio positum praetervidere. Nam v. 15.: Evolat heu nostro de pectore numquam, unice veram Stephani μετάφρασιν docet:

Ὡς βροτέῃσι πέτεσθ' ἐν κραδίῃσι θεόν.

Volare cum solo ablativo iunctum, si tanti est, invenies Virg. Aen. VII, 808.: Ille volat campis. Ovid. Heroid. VI, 65.: volat ille mari. Neque ea allegoria primus Propert. usus est. Immo ad verba paene expressisse videtur Moschi Id. I, 16.: Καὶ πτερόεις ὡς ὄρνις ἐφίπταται ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλους Ἀνέρας ἠδὲ γυναῖκας, ἐπὶ σπλάγχνοις δὲ κάθηται. Nam quod in suo corde praeter morem manere, pennasque perdidisse videatur Puer ille, hoc miratus poeta conqueritur.

v. 7. Ab allegoria ad metaphoram transit aliam, qua navigationis simile latere facile sentias. Cf. ad El. II, 4, 19. II, 5, 5. 25, 7. Huc maxime facit Meleag. A. P. V, 190. p. 116. T. I. p. 138. Iacobs.

Κῦμα τὸ πικρὸν Ἔρωτες, ἀκοίμητον δὲ πνέοντες
Ζῆλοι καὶ κώμων χειμέριοι πέλαγοι.

v. 10. ex humero utroque iacet. iacit scribendum esse Iacobus (ad Lucilii Aetn. v. 456.) non persuasit. Nam structura praepositionum praegnans, qua Propertium alibi dicendi compendia multo, quam hoc est, audaciora effecisse docuimus Q. P. II, 6. s. II. §. 17. p. 133., hic et significatione verbi iacere maxime iuvatur, quod quasi perfectum passivum verbi ponere vel pendere est (qui usus in Graeco κεῖσθαι vulgo est acceptus), et eo quod cognata verba, quale pendere, dependere, legitimam habent eam praepositionem. Sic Virg. Aen. VI, 306.: Sordidus ex humeris nodo dependet amictus. Itaque iacet ex humeris breviter dictum pro eo: ex humeris suspensus iacet (in tergo). Ex humero autem utroque dixit, non quo duas pharetras Amor gereret, sed quia pharetra cum amento, quo ex hu-

meris aptatur, tamquam unum est. Sic gladio cingi iam vulgare. Neque igitur Meleagri locum (ep. 17. Ann. Br. — Anth. Pal. p. 580.) nostro non dissimilem tentandum esse concedam: *Εἰ μὴ τόξον Ἔρως, μηδὲ πτερὰ μηδὲ φαρέτραν μηδὲ περιβλήτους εἶχε Πόθων ἀκίδας*, ubi erant qui coniicerent *πυριφλέκτους*. Sic etiam Prop. El. IV, 6, 40. Apollo sagittas hoc onus ex humeris meis appellat non ex humero. — Gnosia cum Lachmanno quam Gnosia scribere malui, non propter codices, quorum in hoc genere exigua est auctoritas, sed quia sic emendandum esse in Terentiano Mauro p. 2402. Conr. Schneider. persuasit (De Elementis L. L. p. 236. coll. p. 491. Priscian. p. 564. cett.).

v. 14. Dilatavit hoc argumentum more suo imitator Paull. Silentiarius Anth. Pal. V, 268. p. 131. T. I. p. 166. Iacobs. Ann. Br. III. p. 77. ep. 30.

Μηκέτι τις πτήξειε πόθου βέλος· ἐοδόκην γὰρ
Εἰς ἐμὲ λάβρος Ἔρως ἐξεκένωσεν ὅλην.
Μὴ πτερύγων τρομέοι τις ἐπήλυσιν· ἐξότε γάρ μοι
Λαὸξ ἐπιβὰς στέρνοις πικρὸν ἔπηξε πόδα,
Ἀστεμφὴς, ἀδόνητος ἐνέζεται, οὐδὲ μετέστι,
Εἰς ἐμὲ συζυγίην κειράμενος πτερύγων.

v. 15. Pro heu libri *e*, sed N. Hb. cum apice, quod semper in illis epiphonematis signum est. Cf. ad El. I, 19, 22. Nec tamen ideo priscum illud *e*, quod e carmine fratrum Arvalium notum in compositis: eheu, ecastor, edepol, etiam postea semper mansit, cum Iacobo Propertio obtrudam. Nam ne in Plautum quidem (Poenul. II. v. 28.) nisi coniectura venit. Ad argumentum cf. Meleag. Anth. Pal. V. ep. 212. p. 119. T. I. p. 145. Iacobs. Ann. Br. I, 53. p. 16.:

Ὦ πανοί μοι καί ποτ' ἐφίπτασθαι μὲν Ἔρωτες
Οἶδα'· ἀποπτῆναι δ' οὐδ' ὅσον ἰσχύετε.

v. 17. siccis medullis. Nam ebibere amantium sanguinem Amor fingitur Theocr. Idyll. II, 55 sq. *Αἶ αἶ Ἔρως ἀνιαρὲ, τί μευ μέλαν ἐκ χροὸς αἷμα Ἔμφυς ὣς λιμνᾶτις ἅπαν ἐκ βδέλλα πέπωκας.* Quamquam si tostas igni vel veneno medullas, ideoque aridas dixeris, non equidem impediam. Utriusque enim similitudinis ex utraque lingua poetae satis exemplorum suppeditant.

v. 18. Neque hic exemplis caret Propertius. Nam Archias Anth. Pal. V, 179. p. 113. T. I. p. 134. Iacobs.:

Ἀλλ' ἴθι δυσνίκητε· λαβὼν δ' ἐπὶ κοῦφα πέδιλα
Ἐκπέτασον ταχινὰς εἰς ἑτέρους πτέρυγας —

et quod iam ante nos contulerunt eiusdem Archiae epigr. 2. Brunck. Ann. II. p. 92.:

— εἰς σκοπὸν ἄσυχος εἶδὲ
Ἄλλον· ἐγὼ γὰρ ἔχω τραύματος οὐδὲ τόπον.

v. 23. Qui — canat. Recte ex optimis libris restituit Lachmannus, cum iam vulgo Quae — canit esset receptum. Quod unde in quosdam libros venerit, facile est ad perspiciendum. Scilicet non intellexerunt librarii v. 23. per parenthesin interiectum esse, more Propertio maxime familiari. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 13. p. 128. extr.

Elegia XIII.

De argumenti dispositione egimus Q. P. II, 5. p. 91. et accuratius ibid. p. 98.

v. 1. armatur Itura. Libri mss. non modo nostri, sed quotquot a criticis inspecti sunt, universi: Etrusca. Cf. Q. P. III, 5. p. 242. et armatur meliores certe omnes, quod Groningani quoque compendium confirmat. Nam armantur ab iis venisse videtur, qui spicula et Etrusca coniungunt. Unus Beroaldus in antiquo Pici Mirandulani ducis libro armantur Susa legisse se ait. Cuius codicis quae sit auctoritas, nostrum non est diiudicare. Hoc tamen velim ut edocear, quomodo librarii ab noto illo nomine Susa ad alterum Etrusca, quod praeterea ne sensum quidem praebet, aberrare potuerint. Non ego tam credulus. Quare illud Susa, quod tantopere criticis placuit, per me quidem valeat. Quaerenda potius vox, quae et rariore usu et litterarum similitudine librarios fallere potuerit. Nec, hercle, longius quaerenda. Nam multo tempore ante nos iam Pontanus invenit, vir non modo sagacissimus, et in refingendis veterum scriptis paullo audacior; sed, ut illo saeculo, doctrinae admirandae. Huius coniecturam egregiam: Itura unice verum in ordinem recipere nullus dubitavi. Primus enim Ituraeos sagittandi arte clarissimos fuisse omnis antiquitas clamat. Cf. Cic. Phil. II, 44. Auct. bell. Afric. 20. Lucan. VII, 230. 514. Vib. Sequester p. 400.: Ityraei. Cellar. Geogr. ant. T. II. p. 529. Reland. Palaest. I. c. 22. Notit. Dignitatum Orient. p. 69. ed. Boecking. Com. Limit. Aegypt. c. 25. n. 67. p. 309. Notit. Occ. c. 24. §. 1. v. 4. Quibus locis Boecking. citat Arrian. κατ' Ἀλανῶν (p. 104. Blancard.). Strab. XVI. p. 755. (p. 1096. ed. Almelov.) Plin. V, 23. sect. 19. Mannert. VI, 1. p. 417. Georgii I. p. 202. Hinc apte ad nostram rem Virg. Georg. II, 448. Ituraei arcus κατ' ἐξοχὴν pro optimis dicuntur. Achaemenias vero sagittas Ituraeis tribui, nemini mirum esse potest, qui, quoties a veteribus Orientis gentes inter se confundan-

tur, reputaverit. Sic Persae pro Medis et Assyriis, Assyrii pro Syris et Phoenicibus dicuntur. Cf. interpp. ad Virg. Georg. II, 465. Heins. ad Claud. in Rufin. I, 208. ad Rapt. Proserp. II, 96. Rupert. ad Sil. Ital. XI, 41. Quaest. Prop. II, 4. p. 73. Quid multa? Non solum apud Lucanum l. c. Ituraei, Medi Arabesque uno agmine pugnantes referuntur, sed docte Servius et ad captum poetae sui accommodate: Ituraeos autem dicit Parthicos. Brevior vero nominis forma, qua Ituraeorum regio significatur, vere Propertiana est. Cf. Q. P. II, 6. s. III. p. 163. Et recte est declinata a propria eius nominis stirpe, quod Hebraeis יטור sonat; nec Ituraei recta originatione ab alia terra dici potuerunt, nisi ab Itura.

v. 9 sqq. Ad argumentum horum versuum cf. Q. P. I, 6. p. 34. Cave enim, non tantum pro non solum dictum putes et honestas formas i. e. nobiles puellas (Q. P. II, 6. p. 150. circa med.) expetere poetam, sed contrarium prorsus. Continetur enim hac formula λιτότητος species, pro qua frequentius etiam „non tam" dictum invenias. Nam antecedens enuntiati membrum cum extenuari quidem, sed aliqua tamen ex parte affirmari videatur, saepissime urbana sensus inversione eo ipso fortius etiam negatur. Sic Horat. Sat. II, 5, 80.: iuventus, Non tantum Veneris, quantum studiosa culinae. Nec dissimile Virg. Georg. IV, 101.: „nec tantum dulcia, quantum Et liquida et durum Bacchi domitura saporem"; sed ipse Propertius, quamvis variata particula II, 3, 9.: Nec me tam facies cepit — quantum quod — cett. Sed hoc ipso loco negandi vis eo fortius eminet, quod omissum in altero ambitus membro quantum et pronomen Me a principio enuntiati collocatum contraria hic ex adverso opposita significant. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 13. p. 129.

v. 11. Me iuvet codd. melioris notae omnes. Et tamen ante Lachmann. fere legere placuit: iuvat. Sed recte ille: „quia sequitur: Haec ubi contigerint; nempe quae nondum contigerant."

v. 17. mors. Heinsii nox inde a Broukh. omnes editiones occupavit. Irrisum ea causa illum ab Hemsterhusio, quod non sensit Burmannus, tanto magis ridiculum. Lachmannus, ut toties, hic quoque noctem a Propertio primus reppulit. Egregiorum haec omnia plena orationis luminum, quae ut vere Propertiana, ita ab interpretibus relicta. Primum enim novum, quod longa imagine pro longa imaginum serie dixit, in quo non tam mirum, quod singularis pro plurali positus est (nemo enim in multa imagine offenderet), quam quod metiendi adiectivum pro numerandi.

Cf. tamen ad El. IV, 1, 23. Deinde tuba ipsa querela dicitur, quae querelam cieat, eo metonymiae genere, de quo egimus Q. P. II, 6. s. II. p. 150 sq. Item mors mea nixa toro, pro ego mortuus; ibid. p. 149. extr. Comment. ad El. III, 13, 63. Denique v. 23. ordo odoriferis lancibus; ablativus ubi genitivum malis, quo de usu diximus l. c. §. 18. p. 135.

v. 25. Hunc versum interpretati sumus Q. P. III, 2. p. 213 sq. Versum quomodo exhibuimus unus ex nostris emendator Perreianus dedit, quod sive antiquis libris servatum sive coniectura restitutum est, verum haud dubie. Nam Puccii scriptura interpolationis manifesta. Contra optimorum librorum error unde originem habuerit, haud obscurum est. Altero enim sat mutato semel, quod proclive erat, in sit, verbum substantivum ante si sponte excidit. Ceterum codex Gebhardi Palatinus papyraceus, qui habet sat mea sat magna si, an ingenuae scripturae vestigia casu servaverit, dubitare possis. Nobis enim verisimilius videtur, iterato errore, ut interdum fit, priorem ex parte emendatum esse.

v. 32. Manes. Cf. ad El. IV, 7, 12. IV, 11, 20. extr.

v. 34. umbra, ne erres, appositio est vocis laurus. Cf. ad El. I, 18, 21.

v. 35. arida Itali. Quod praeferrem, si tutior esset auctoritas. Nunc tristes et deformes mortui reliquias compto illi et eleganti quondam Venerei hominis cultui oppositas puta.

v. 38. fuerant. De tempore diximus ad El. I, 11, 29. Quod autem ad hoc verbum ex antecedente notescet — nota apud animum supplendum esse interpretes aiunt: recte illud quidem, sed rationem, qua id fieri liceret, addere obliti sunt. Verba enim inchoativa tam facile derivantur, ut composita paene ea potius vel contracta ex adiectivis atque ex veteri verbo esco videantur. Hanc enim priscam verbi substantivi formam fuisse, futuri temporis significationi proximam, non solum veterum testimoniis certum est, sed confirmatur etiam vulgari recentiorum Italorum idiomate, qui mitigata, ut solent, in *essere* pronuntiatione breviorem alteram formam prorsus expulerunt. Cf. Cic. de Legg. II, 24. III, 3. Lucret. I, 612. Plaut. Amphitr. I, 1, 14. Paull. Diac. v. escit p. 77. Müller. Leg. XII. Tabb. ap. Fest. Q. IX, 12. pp. 12. 126. Müll. id. s. v. superescit. Qu. XIV, 8, 112. v. 30. p. 302. Müller. ibiq. Ennius et Accius. Paull. Diac. v. obescit p. 113. Müller. Cf. quae idem optimus S. Pompeii interpres disseruit in Hugonis Horreo Iur. Civ. T. VI. p. 420. et in Supplemento Annotat. Festi p. 386. Struv. de Declinatione et Coniug. Lat. p. 62. Krüger. Gramm. Lat. p. 85.

Itaque, sive revera notescunt e nota escunt contractum est, sive poetae antiquae originationis adhuc memori ita videbatur, certo tamen erat idem quod nota erunt, unde recte *κατὰ σύνεσιν* versu breviori ad fuerant adiectivum notā apud mentem licebat intelligere.

v. 39. 40. Hos versus nervosa brevitate conspicuos nemo, quantum sciam, plane intellexit. Hoc ait: „Tu quoque aliquando morieris — nec unquam velim hoc obliviscare — sed opto, ut diu etiam in vivis sis, neve nisi anus ad inferos et sepulcra venias; illic ego semper tui memor ero.“ Sic demum omnia recte quadrabunt. Primum enim ut mori Cynthia meminerit, non frustra est adhortatio; timet enim ne levis puella amici oblita aliorum amore peccet. Est prorsus eadem sententia, quae per totum carmen I, 19. obtinens vv. potissimum 21 sqq. apparet:

Quam vereor ne te contempto, Cynthia, busto
Abstrahat heu nostro pulvere iniquus amor!
Cogat et invitam lacrimas siccare cadentes.

Et hoc ipso loco vss. proximis apertius, quod modo indicavit, *causa addita* declarat: Interea cave sis nos aspernata sepultos. Vers. autem 40. duas res simul breviter coniungit; primum sero ut moriatur puella, quod fere solent in mortis futurae commemoratione adiicere, ut malum omen absit. Sic item El. I, 19, 17.:

te longae remorentur fata senectae.

Hor. Od. I, 2, 43.: Serus in coelum redeas. Ovid. Trist. V, 2, 51.: Sic ad pacta tibi sidera serus eas; deinde memorem se etiam mortuum amicae futurum esse ait, prorsus ut El. I, 19, 5 sq.: Non adeo leviter nostris puer haesit ocellis, Ut meus oblito pulvis amore vacet, et quae inde sequuntur usque ad v. 16. Iam vero singula si examinemus, primum cavendum est, ne Tu quoque cum veni coniungatur, quod si in ceteris nostram interpretationem sequaris, absurdum fuerit, sin minus, id quod Lachm. perspexit, eandem in protasi atque in apodosi efficeret sententiam. Sed Tu quoque ad si quando venies pertinet. Iter porro de extremo itinere recte dici, interpretes coll. Hor. Carm. II, 17, 11. I, 29, 16. Catull. III, 10. Prop. II, 27, 16. III, 7, 2. III, 18, 22. docuerunt. In v. autem 40. hoc maxime VV. DD. fefellit, quod more suo Propertius non in verbo veni, sed in attributis cana et memores summam enuntiati vim inesse voluit; horum enim adiectivorum pondere pressum illud verbum venire paene evanescit, praesertim cum iam in protasi positum sit, nec fere aliam nisi verbi substantivi voluntatem retinet, quo de genere accuratius egimus Q. P. II, 6.

s. II. §. 23. p. 142. 143. et ad El. II, 1, 2. II, 2, 6. 16, 16. Sic igitur accipe: si moriendum erit: et cana ut iam facta sis velim, et memores tui lapides hos scito. Unum, quo hic locus ceteris ut difficilior ita efficacior videtur, hoc est quod duo simul adiectiva, quorum utrumque iam per se praedicatum expleret, uno ambitu comprehenduntur. Quamquam non dissimilis ratio est El. II, 2, 6., ubi vid. comment. Quod vero lapides ipsi memores dicuntur, hoc iterum Propertianum. Nam perpetuam Manium et ossium, inferorum et sepulcri confusionem cum alias (IV, 7, 12.) tum ad El. IV, 11, 20. explicuimus. Huc et v. 42. pertinet et El. I, 9, 6. coll. v. 11. ubi meus pulvis et imago tamquam synonyma se excipiunt. Recurrit eadem ratio versibus, qui huic elegiae assuti leguntur, 57. et 58. Atqui quod ossa patiuntur et cinis, idem vel sepulcro et monumento tribui, poetica plane et Propertiana est fictio. His enim muta et sensu carentia sensum et intellectum habere videntur. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 154. c. 5. p. 78. Huschkius vero, qui (Ann. critt. p. 129.) lapides memores simpliciter μνήματα i. e. monimenta interpretatur, Latino exemplo hunc usum probare debebat. Neque vero Lachmannus fecit, dum Valer. Flacc. IV, 314.: „sic et memori noscere sepulcro“ excitat. Nam illic non lapis memor dicitur, sed sepulcrum, quod iam per se monumenti significationem continet; praeterea vero ibidem omnis sententiarum nexus docet, memor dici ideo, „quod nomine inscripto memoriam mortui conservet.“ At hic omnia contra. Pleraque interpretandi vel emendandi experimenta, ne longus sim, omitto. Hoc solum commemoro, ex Heinsii coniectura plurimis cara pro cana placuisse, Lachmannum Hoc iter cum veni coniunxisse, Iacobum denique sublato parenthesis signo, memento hoc iter apodosin enuntiati conditionalis habuisse.

v. 42. ad verum. De praepositione vid. Q. P. II, 6. p. 134. In interpretando vero hoc versu Kuinoel. delirare sanis videtur. Nam dum duo scrinia simul compilat, contraria inde furta rettulisse se non sensit. Sic enim ille: „conscia terra i. e. quae me sepultum inclusum habet, ego sepultus, cinis. Conscia enim saepe poetice dicuntur, quae aliquid in se continent et inclusum habent.“ At de significatione adiectivo conscius falso a VV. DD. tributa satis egimus ad El. I, 12, 2. Hoc vero immane, quod eandem terram, quam modo inclusum habere Propertium dicit, uno eodemque ambitu et tempore, ipsum esse Propertium pronuntiat. Sed conscia terra, ne dubites, cinis conscius est de quo El. I, 19, 6.: Non — meus oblito

pulvis amore vacet; et Cornelia El. IV, 11, 74.: Haec cura et cineri spirat inusta meo, Sic Cynthia cinis dicitur El. II, 11. extr., sic Propertius II, 1. extr. muta favilla. Cf. praeterea ad III, 7, 9.

v. 43. De panno hic infeliciter assuto cf. Q. P. II, 5. p. 99. III, 2. p. 218 sq.

v. 46. De raciocinatione imperfecta v. Q. P. II, 6. s. II. §. 13. p. 126.

v. 47. Codicum optimus quisque (nam de Menteliano et excerptis Modii error est Burmanni): Quis tam longaevae. Inter varios emendandi conatus, elegantia se maxime commendat Marklandi inventum ad Stat. Silv. III, 4, 103., quo et molestus ille miles Gallicus v. breviori tollitur:

Qui si tam longae minuisset fata senectae
Saucius Iliacis miles cett.

Sed longius a codd. vestigiis recedit, et illud longaevae doctius est, quam quod librariorum foetum credam. Iacobus et post eum Lachm. ed. Berolinensi laboranti sensui interpunctione subveniebat, virgula post cinis, interrogationis signo post aggeribus posito. Sed ne sic quidem sententia integra. Itaque Lachmanni prius inventum in tantum probamus, ut pro Cinis — Cui reponentes, reliquis verbis antiquam scripturam servandam esse censeamus. De coniunctione enim si in protasi enuntiationum conditionalium omissa cf. Q. P. II, 6. s. II. p. 129. §. 13. ad El. II, 7, 15. Hor. Sat. I, 3, 15. ibid. II, 3, 292. II, 7, 69. Epist. I, 1, 87. I, 6, 31. Dissen. ad Tibull. I, 6, 51. Wunderlich. ibid. 37. Schmid. ad Horat. Epist. I, 6, 29. II, 2, 201. Drakenb. ad Liv. XXI, 10, 6. Bauer. ad Sanct. Minerv. II. p. 326 sq. Bentl. ad Hor. Sat. II, 6, 48. coll. II, 3, 292. Heindorf. ad Horat. Sat. I, 1, 45. Gronov. Observv. IV, 20. p. 315. Heusing. ad Vechner. Hellenol. p. 147. Matth. ad Cic. pro Rosc. Amer. 20. §. 55. Ruhnk. ad Ter. Andr. I, 5, 3. Manut. ad Cic. Verr. VI, 63. Littera *s* autem, quae relativo qui librariorum errore e cui nato (cf. Huschk. Ep. crit. p. 52. ad v. 53.) adhaesit, eorum conatui originem debere videtur, qui structuram non intellectam addito si explere vellent.

v. 48. Gallicus. Sic omnes codd., nisi quod unus Voss. Chloricus, Borrichanus vero et Heinsian. Gallus in. Corruptum locum sentio; nec tamen hucusque persanatum credo, siquidem ipsa coniecturarum turba nulli interpretum alterius inventum placuisse testatur. Nam Behotius Apophoret. I, 4.: Bellicus, Heins. Graicus et Troius, Hemsterh. Troicus, Ayrmann. Iam vetus, Toupius: Garrulus, Eldyck. Classicus vel Gallidus, Burmann. Do-

ricus vel Dardanus, Lachm. Ilius, alii aliter coniecerunt, prout versu heroico qui si aut cui si praetulissent. Interim ne tot infelices conatus novo augeam, reconditam aliquam nostris temporibus doctrinam eo nomine latere credere malim, quam cum Scaligero Gallicum militem in universum temerarium et stolide fortem interpretari. Putidum hoc, et sive temporis rationes, sive συνεκδοχῆς figuram inauditam, sive rem ipsam consideraveris, ab omni parte laborat. Nec multo melius Douza F. Gallicum Phrygem interpretatus est i. e. Gallograecum. Unum restat, quod Beroaldus primus suspicatus est, mox etiam Puccius: Gallicum dictum de Gallo flumine, unde Cybelae sacerdotes nomen invenerunt. Hunc enim Plin. N. H. V, 42. s. fin. vastum amnem appellat. Addatur VI, 1. XXXI, 5. Ovid. Fast. IV, 364. Ποταμογαλληνοὺς accolas Steph. Byz. s. v. p. 199. Pined. Unde si forte regio nominata est agro Troiano finitima, sive a quopiam poetarum cyclicorum pugna inter militem inde oriundum et Nestorem commissa narrabatur, sive poetae Alexandrini tale quid rettulerant, etiam Propertium haustam ex deperdito fonte fabulam hic attigisse, non absurde divinaveris. Certe Callimachum nescio quo loco de flumine illo rettulisse auctor est Plin. l. l. VI, 1.

v. 49. Vulgo humati. Sed recte ex libris Lachm. humari restituit; quomodo enim quis humati et sepulti corpus videat?

v. 53. Libri omnes mss. et impressorum vetustissimi: Testis qui. cui certissima Huschkii coniectura, qui aprum istum importunum amatorem testem in ius vocari Cynthiamque amoris officia docere recte vetuit, et cum a prioribus criticis variis telis frustra petitus esset, tandem καιρίᾳ πληγῇ peremit. Adonim scribendum esse docuimus Q. P. II, 6. s. III. p. 165.

v. 55. Illis — paludibus. De ablativo vid. Q. P. II, 6. §. 18. p. 135. de enallage vero pronominis (illius regionis paludibus), quod frustra in illic correxerunt, ibid. §. 24. p. 144. ad II, 9, 25. IV, 11, 36.: de zeugmate denique (formosum — diceris), quod item non liberum mansit a criticorum suspicionibus, ibid. §. 11. p. 123. Hic vero eo magis excusatur, quod Propertius more suo, quia oratio maiorem quodammodo spiritum sumit, ad secundam personam per ἀποστροφὴν ascendit. Multa hoc genus insolentiora etiam popularis comoediae sermo sibi indulsit, velut Plaut. Rud. IV, 4, 30.: Quid? tu idem mihi vis fieri, quod herus consuevit tibi (int. facere). Ter. Heaut. I, 4, 101.: Verum neque illum tu satis noveras, neque te ille; et omisso subiecto

Ter. Hec. IV, 2, 20.: ne cui meae languitas aetatis obstet, mortemve (quis) expectet. Plaut. Rud. V, 2, 23 sq. Gr. Ecquid meministi in vidulo, qui perit, quid infuerit tibi? La. Quid refert (int. meminisse, quid infuerit in v.) qui periit? Hec. II, 3, 5.: Animum induxerunt, socrus omnes esse iniquas; haud pol me quidem (supple animum inducant, esse iniquam).

v. 57. 58. Manes — ossa. Cf. ad v. 40. et IV, 11, 20.

Elegia XIV.

v. 1. Atrida. De forma nominis v. Q. P. II, 6. s. III. p. 164 sq. In fine vers. est deleri iubet Lachm., quod tamen optimorum codd. auctoritate defenditur. Tu vero cf. ad II, 6, 15.

v. 5. Electre. Sic v. c. Perr. Quem unum hic pluris feci quam reliquos libros omnes. Neque enim sic rescribere dubitarem etiamsi universi dissentirent. Longum enim *a* in Graecis primae declinationis Priscianum Latinis poetis frustra vindicare Conr. Schneider docet de Formis L. L. p. 28. ideoque Stat. Theb. V, 44. pro Nemea (coll. Martial. libr. spect. XXVII, 3. Stat. Sylv. I, 3, 6.) Nemee reponi iubet. Itaque Propertius Ionica positione usus est in Nesaee, Lampetie, Andromede, et quod proximum nostro Hypermnestre (cf. Q. P. II, 6. s. III. p. 164.). Sed librariis in notiore Electrae nomine notiorem etiam formam reponere pronum erat. Quamquam non ita recentem eum errorem esse cod. Groning. testatur, cuius librarius iam in suo exemplari emendationem illam qualemcunque invenit: Non Electra suum salvum, scilicet qua metro labanti subveniretur. Nec me movet, quod Electrā etiamnunc Ov. Fast. IV, 177. legitur. Nam nisi bonos codices secutus illic quoque Electre restituere malis, ultimam debili sequentis Troiae positione fulciri censeas licet. Cf. Schneider. de Elementt. p. 690. et sic Cic. Arat. 270.: Electra Steropeque. Ceterum mirum, quod hic duo optimi libri Groning. et Neap. in eodem errore conspirant. In utrumque enim ex v. 7. vidit venisse videtur. Reliqui omnes id quod scripsimus, aut exhibent, aut fuisse in antiquiore exemplari indicant.

v. 12. Proverbium illustravimus ad El. II, 23, 2.

v. 19. Taedet paene, coniectandi impotentes criticos quovis versu refutare. In optimis enim libris contemnite erat, quod quia non satis obscurum videretur interpretibus, Sardorum quorundam venialium, i. e. Passeratii et Scaligeri codicum auctoritatem suspectam secuti contendite reposuerunt. Sed iure furcis expulit Lachm.

v. 26. Meo sub nomine. Recte vindicat Lachmannus Propertio. Quamquam eadem hac formula diversa significari indicavimus Q. P. III, 2. p. 221. Aliter enim Ovid. Trist. II, 551.: Idque tuo nuper scriptum sub nomine, Caesar, Et tibi sacratum sors mea rupit opus. Illic enim nomen eius significatur, cui opus dedicatum est; hic eius, qui dedicavit. Vid. exempla a Burmanno ad Ovid. l. l. congesta.

v. 27. tuas aedes libri scripti omnes; et occurrit ea vox plurali numero de templo in lege Q. Papirii apud Declamat. pro Domo c. 49., ubi dictum ambiguum a P. Clodio in privatae domus significationem acceptum esse narratur. Emendatio tuam aedem a Scaligero est.

v. 29. mea navis. I. H. Vossius coni. mihi navis; explicandum sic, non emendandum esse docuimus Q. P. II, 6. s. II. §. 20. p. 139. et ad El. II, 9, 30. In interpungendis huius distichi verbis Iacobum secuti sumus, cuius interpretatione nihil verius inveniri posse aio. Sistat tamen unius Groningani auctoritate recipere dubitaverim, cum in verbo sidat et oppositio servatae navis et perditae multo fortior sit, et percunctatio brevioris versus novissimis carminis verbis explicari videatur. Hoc enim vult Propertius: „Iam plenis Amoris velis a littore scruposo, ubi tam diu haesi, ad te ut ad tutum portum et stationem confugio. An tu vis, ut navis in medio cursu medioque mari aura faveris tui sidente nimioque doloris onere mersa pereat? Nam moriturum me illico scito, si mihi etiamnunc mutata fueris.“ Suavissima metaphora, in qua nec onustum frigeat, nec sidat *καχόζηλον* videatur. Praeterea cf. ad El. II, 12, 7. 25, 23. Ex variis emendandi experimentis unum Paldami animi causa afferre libet, qui pro Servata — Serva ne coni. aut incredibili errore, aut sententia plus quam absurda. Et tamen invenit, cui placeret, Weberum.

Elegia XV.

v. 1. felicem. De hiatu hoc, quem bis ausus est ponere Propertius, quae Q. P. II, 6. s. IV. p. 179. diximus. Durius utique hoc genus, et quod nisi apud antiquiores non invenerim. In Lucilio vero satis frequens. Sic Lucil. frgm. ap. Terent. Scaur. de Orthogr. p. 2255. Dous. IX, 1.: Hoc faciemus et uno eodém, ut dicimu', pacto. id. ap. Non. v. prelium p. 365. Dous. XXX, 6.: Virginis hoc pretiúm atque hunc reddamus honorem. ap. Porphyr. ad Horat. Sat. I, 3, 124. Dous. inc. 24.: Nondum etiám haec omnia habebit. Non. s. v. Popinones p. 161. Dous. I, 20.: Infamém inho-

nestam turpem odisse popinam. Itaque quamvis exempla quae vulgo hic solent afferri Virg. Aen. II, 656. et Lucan. V, 527. non satis tuta esse a codicibus Conr. Schneidero concedam (de Elementt. L. L. I. p. 160.), hoc tamen ipso loco, ubi tanta exclamationis mora simul et πενθημιμεροῦς percussione producta syllaba nititur, contra libros nihil mutaverim. Candidam noctem vulgo felicem simpliciter, sed crassa Minerva interpretantur. Sic etiam Schiller. in Ann. Iahn. a. 1834. Vol. XII. fasc. 4. p. 370. Sed plus est noctem candidam dicere, quam alias res quascunque. Tam faustam sibi hanc noctem fuisse poeta ait, ut ipsae tenebrae sibi illuxerint. Sic egregie IV, 9, 41. de Hercule, cui soli inferorum noctes obscurae non erant: uni, ait, Stygias luxisse tenebras, ubi v. comment. Ad sententiam cf. Meleag. Anth. Pal. V. ep. 166. p. 111. T. I. p. 130. Iacobs. Ὦ νύξ, ὦ φιλάγρυπνος ἐμοὶ πόθος Ἡλιοδώρας.

v. 2. Lectule — facte — beate. Legitimam hanc vocativi rationem esse significavimus Q. P. II, 6. s. II. §. 19. p. 158. Nam cum subiectum participii in vocativo positum esset, ut praedicatum sequeretur normae grammaticae vulgares praecipiebant; et sic Catull. 75, 1.: Rufe, credite amice, et ex Graecis Soph. Phil. 760.: ἰὼ δύστηνε σύ, δύστηνε δῆτα διὰ πόνων φανείς, ubi v. Buttm. Quamquam contra commissum a Plinio N. H. VII, 31. qui Salve, ait, primus omnium parens patriae appellate, primus in toga triumphum linguaeque lauream merite; et a Statio Theb. VII, 777.: nudus iaciture sepulcro. A quo genere diversa attractionis ratio, cum in integris enuntiatis, praesertim cum imperativo modo et in interrogationibus, praedicatum pro nominativo vocativum sibi sumit, quale statim v. 8.: Siccine lente iaces. III, 22, 30.: Nec fugis Ausonias Phoebe fugate dapes. Tib. I, 7, 53.: Sic venias hodierne. Virg. Aen. II, 282.: quibus Hector ab oris Expectate venis. IX, 485.: Heu, terra ignota canibus date praeda — iaces! Pers. Sat. III, 28.: an deceat pulmonem rumpere ventis, Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis, Censoremque tuum vel quod trabeate salutas. id. IV, 47.: viso si palles improbe nummo. Val. Flacc. IV, 476.: Tu Phoebi comes et nostro dilecte parenti? int. es. Ex Graeco usu huc pertinet Theocrit. 17, 66.: ὄλβιε, χῶρε, γένοιο, ubi v. Kiessling. Tertium genus longe rarissimum, ubi cum idem nomen bis ponendum esset, primum vocativo, deinde nominativo casu, solus vocativus praevaluit, quale est Horatianum illud, Matutine pater, seu Iane libentius audis pro eo: M. p., vel Iane, si libentius audis Ianus, ad Callimachi

exemplar dictum frgm. 312. Bentl. *ἀντὶ γὰρ ἐκλήθης Ἴμβρασε Παρθενίου* pro eo: *Ἴμβρασε· ἐκλήθης γὰρ Ἴμβρασος ἀντὶ Παρθενίου.* — Non tam diu in hac expositione commorati essemus, nisi ab omnibus paene, qui de hac attractione egerunt, utriusque linguae vel grammaticis vel interpretibus, tria illa genera nullo discrimine essent mixta. Nam ne Krügerus quidem, qui more suo hunc quoque locum subtilior quam ceteri tractavit, tertium genus satis accurate explicuit (Gr. Lat. §. 299. p. 396 sq.).

v. 3. et 9. narramus — mutamus. Nec coniecturis tentandae hae formae, nec pro contractis perfectis habendae. Sunt enim praesentia more Propertiano pro veris perfectis posita. Qua de re vid. Q. P. II, 6. s. II. §. 8. p. 120.

v. 7. lassos, quod G. cum aliis tenet, molliculo Italorum sermoni deberi certum est. Et alterum rectius opponi patefaciendo iam Passeratius sensit. Praeterea lassum membris, lapsum oculis melius convenit. Cf. Nic. Heinsius ad Ovid. Amorr. III, 5, 1. Trist. III, 3, 44. Et sic labentes ocelli apud nostrum sunt El. I, 10, 7.

v. 8. lente. v. ad v. 2.

v. 11. in caeco motu. De praepositionis in voluntate cf. Q. P. II, 6. p. 134. Ad sententiam conferatur fidus, ut solet, Propertii sui interpres Paullus Silentiarius Ann. Br. III. p. 72. Anthol. Gr. T. IV. p. 42. n. 6.

Ῥίψωμεν χαρίεσσα τὰ φάρεα· γυμνὰ δὲ γυμνοῖς
Ἐμπελάσῃ γυίοις γυῖα περιπλοκάδην.

v. 22. haec ex Neapol. aliisq. cum Iacobo praetuli: „nam non modo ad mammas, sed ad ventrem etiam rugosum refertur, qui corpus nudare nolle puellas admonet.“ Recte; nec in re turpicula plura exponere iuvat.

v. 24. reditura dies. Delicatiores hic docti Batavi aures non tulerunt bis in fine proximorum versuum positum dies. Quanto nos minus ferimus inconcinna coniectura suavissimum *ἀντίθετον* perdi? Nam quies ille maluit, quod rettulisse iis, qui poetae dicta non tantum doctrina quantum pulchri sensu expendere didicerunt, pro refutatione erit. Multo sane venustius, quod animi causa v. 26. pro ulla dies Lachm. tentavit: Idalie. Et tamen Propertianum magis placet. Nam recte diei solvendi vis tribuitur et potestas; cf. ad El. II, 20, 18. I, 13, 25. Contra Idalie tales catenas ut solvere posset, frustra aliquando optavit. Cf. Hom. Od. Υ. 299. Sin numine opus est, Vulcanus, qui fecerit, solvat optime.

v. 25 sq. Dilatavit hoc argumentum Paullus Silent. Ann. Br. III. p. 80. ep. 30. Anthol. Pal. p. 135., unde v. 5 sqq. maxime huc pertinent:

Εἴη μοι μελέεσσι τὰ Λήμνιος ἤρμοσεν ἄκμων
Δεσμὰ καὶ Ἡφαίστου πᾶσα δολοφραφίη.
Μοῦνον ἐγὼ χαρίεσσα τεὸν δέμας ἀγκὰς ἑλίξας
Θελγομὴν ἐπὶ σοῖς ἄψεσι βαλλόμενος.

Unde non iniuria et nostrum et Tibull. IV, 5, 15 sq. cum diis Homericis sentire se significasse credas Od. l. c. v. 335—342.

v. 28. De metonymia cf. Q. P. II, 6. p. 155.

v. 30. Sic Socrates Hermesianacte teste ap. Athen. XIII. p. 599. A. frgm. 5. v. 95. Bach. *οὐδέ τι τέχμαρ εὗρε.*

v. 32. nigros equos. „Solis equi albi et nivei, Ovid. Amorr. II, 1, 28. contra Noctis nigri. Tibull. III, 4, 17. II, 1, 87. Sensus ergo: Sol prius et Nox equos suos inter se commutabunt.“ Haec Kuinoelius vestigia secutus, qua Burmannus praecesserat. Vides quid doctrina Venerum expers possit. Contra equis et currui coelestium tribuitur ipsorum siderum natura: Solis igitur equis candor et fulgor. Hinc Aurorae equis colorati Indi dicuntur El. III, 13, 16. Hinc Luna ministrat equis III, 16, 15. coll. Ov. Her. XVIII, 59. eademque (II, 34, 52.) equis fraternis laborare dicitur, cum sole abscondito deficit. Sic denique nigri h. l. equi Solis finguntur, si ipse sol niger lumen suum tenebris mutaverit. Prorsus autem eadem figura III, 5, 34.: Solis et atratis luxerit orbis equis, quod absurdius etiam interpretantur.

v. 35. dolores. Sic scribendum esse docuimus Q. P. II, 4. p. 65.

v. 41. cuperent ab Italis oblitteratum recte Lachm. optimorum librorum consensu restituit. deducere vero quod Groning. praebet, multum habere quo se commendet, non negem. Suavi enim amantium tranquillitati accommodatius videri quam decurrere, Iacobus recte observat. Et tamen alterum, quod doctius quam ad captum librariorum ignorantium, consentiens codicum haud deteriorum auctoritas vindicat. Exempla enim eius locutionis plurima collegit diligens Passeratius.

v. 43. De metro huius vs. cf. Q. P. II, 6. s. IV. p. 180.

v. 44. verteret. Scaliger satis eleganter verreret coni. Illud tamen recte Lachm. tuetur coll. Od. α'. 161. Virg. Georg. IV, 525. quibus locis add. Virg. Aen. I, 100 sq.: Simois — Scuta virum galeasque et fortia corpora volvit coll. VIII, 559. — nostra durius dictum credas. Sed cf. ad El. II, 1. extr.

v. 45. propriis oppugnata triumphis artius coniungenda esse certum est. Nam si triumphis dativum cre-

das ex v. solvere pendentem, efficacissimum contrarium et quod paene ὀξύμωρον dixeris, pereat. Et tamen illud hac in re aptissimum. Sic Horat. Epod. XVI, 2.: Suis et ipsa Roma viribus ruit. Liv. Praef. 4.: iam pridem praevalentis populi vires se ipsae conficiunt; et noster III, 13, 60.: Frangitur ipsa suis Roma superba bonis. Nec tamen inde sequitur, non spectasse Propertium captarum urbium imagines, quae passis crinibus in ferculis triumphalibus gererentur (cf. Ovid. Trist. IV, 2, 43. A. A. I, 224.). Immo rectius etiam. Nam simile solum in pudorem civium ictum, non rem vere gestam hic referri a poeta constat. Nam re vera Romae imaginem funestam a quoquam civilium bellorum victore in triumpho ductam esse, incredibile facinus est, nec unquam traditur. Praeterea non haberes, quo circum oppugnata referres. Nam de externis bellis hic non agi certum est.

v. 47. Haec. Me, quod Heinsio probatum solus ex melioribus libris M. tuetur, librarii oculis ad initium vocis merito delapsis, ne ferri quidem potest. Nam se cum puella sua intelligere poetam v. 48. docet.

v. 49. Dum lucet. Egregie, sed nove dictum non tulerunt critici. Et tamen lucem pro vita dici ita pervulgatum est, ut exempla adscribere taedeat; et tamen ipse Propertius optimus sui interpres lucem facere ceteris poterat v. 23 sq.

Dum nos fata sinunt, oculos satiemus amore
Nox tibi longa venit, nec reditura dies.

et apertius etiam Catull. V, 5.: Nobis cum semel occidit brevis lux Nox est perpetua una dormienda.

v. 51. Tralatitium inter poetas et paene hereditarium simile, quod primus praeivit Homerus. Il. ζ'. 146. certatim elegiaci expresserunt. Sic Simonid. ap. Stob. XCVIII, 29. Gaisf. Mimnerm. ap. eund. XCVIII, 13, p. 128. proxime nostro ad vitam laete ferendam exhortatus:

Ἡμεῖς δ' οἷά τε φύλλα φύει πολυάνθεμος ὥρη
Ἔαρος, ὅτ' ἄψ αὐγὴ καῦξεται ἠελίου·
Τοῖς ἴκελοι πήχυιον ἐπὶ χρόνον ἄνθεσιν ἥβης
Τερπόμεθα.

v. 53. magnum speramus. Sic cum I. H. Vossio codd. secuti ad unum omnes. Quamquam enim magnum spirare Latinum esse ut quod optime criticis concedimus, speramus tamen, quod ad futurum spectat propter vers. sq., accommodatius etiam est quam illud. Latinum autem non esse, quis audeat dicere?

v. 54. De ordine verborum grammatico diximus Q. P. II, 6. p. 122. includere autem finire interpretantur coll. Sil. Ital. XIII, 686.; laude inclusimus aevum, cui add.

Senec. Epist. 12. ibique Gronov.; et fata pariter de vita atque de morte dici constat. Attamen habent, quo illi loci a nostro differant, nec, si Propertium bene novi, hic aliter includere fata dictum est, quam El. III, 13, 63.: „Sola Parim Phrygiae fatum componere — dixit.“ Nam ut mors mea pro mortuo me (II, 13, 22.), sic etiam fata mea (I, 17, 11. ub. v. comm.) metonymia ea, quam explicavimus Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 149. s. fin. Itaque haec est sententia: Crastina dies nos mortuos Orcino thesauro tradet. Sic propriam suam potestatem verbo includere reddi, magis etiam apparebit, si regna inferna et sepulcra passim a poetis confundi reputaveris. Cf. ad El. IV, 11, 2. Hinc ianua leti dictum Lucret. I, 1105. Ovid. Met. I, 662. Virg. Aen. II, 661. atque adeo Trist. III, 2, 30.: interitus fores. Sic demum recte intelliges locum Horatii Od. I, 24, 17. orucem interpretum: Non lenis precibus fata recludere — Mercurius.

Elegia XVI.

v. 8. Tritum veteribus simile, et quod in urbanam allegoriam excoluit is, qui Laidis meretricis bustum exornavit (Pausan. VIII, 6, 2.): *Τάφος Λαΐδος, ᾧ δὴ λέαινα ἐπίθημά ἐστι χρυσὸν ἔχουσα ἐν τοῖς προτέροις ποσί.* Propius enim etiam ea metaphora accedit ad verbi carpere significationem, quam locus Plautinus (Bacchid. II, 3, 7.), quem recte ceteroquin Passeratius confert: Adibo hunc, quem quidem ego hodie faciam hic arietem Phryxi, itaque tondebo auro usque ad vivam cutem. *Πρόβατον χρυσόμαλλον* inde ductam divitis stolidi denominationem proverbialem Burmannus docet.

v. 16. indigna merce p. perit. Lachm. coni. indignum! Recte enim intellexit, non id poetam dicere, licere quidem puellam merce perire, nedum indigna; sed id ipsum indignum esse, quod merce pereat quacunque. At praetervidit, eundem sensum etiam sic effici, modo recte poetae verba interpretemur. Duae enim hic conflatae sunt structurae grammaticae, quarum utraque Propertio pariter est accepta. Primum enim hoc tamquam proprium Propertianae breviloquentiae observavimus, quod sententiae summam in appositis saepe praedicati collocat. Q. P. II, 6. s. II. p. 142 sq. et comment. ad El. II, 19, 31. I, 8, 21. III, 5, 2. IV, 11, 4. II, 7, 15. Hinc si subiectum enuntiationis proprie infinitivus cum accusativo esse debebat, qui praedicati loco adiectivum aliquod subiunctum haberet, constrictis quodammodo orationis

membris ex infinitivo verbum finitum fit, adiectivum vero illud adverbii plerumque forma tamquam accessorium additur. Quod genus illustravimus Q. P. I. c. p. 143. et amplius ad El. II, 34, 31. Hinc Ovidius Heroidd. V, 144. loco cetera etiam nostri simillimo: Turpiter ingenuum munera corpus emunt, pro hoc: Turpe, ingenuum corpus muneribus emi. Neque quisquam offendisset, si Prop. hic pro eo: Indignum est merce puellam perire, sic scripsisset: Indigne puella merce perit. Iam vero, quoniam poetae veteres evidentiam fere magis quam proprietatem sectati, adverbium ei nomini in quo maxime adverbii vis apparet, adiectivi sub forma addere solent (qua de re ut in universum, sic hoc potissimum de loco egimus Q. P. II, 6. s. II. §. 25. p. 145.): nata est locutio, quae optime illustratur Graece exemplo huic proximo Soph. Electr. v. 1216.: τίς οὖν ἂν ἀξίαν γε σοῦ πεφηνότος μεταβάλοιτ' ἂν ὧδε σιγὰν λόγων; i. e. πῶς ἂν ἄξιον εἴη, τινὰ ὧδε μεταβ. κ.τ.λ. Ne vero contra cogitandi normas offendere eam dictionem opineris, recte omnino habebit, si reputaveris, indignum non hic adiectivum illud esse, quo certa mercium species indigna a reliquo genere digno segregetur, sed tale ἐπίθετον, cuius notio iam in ipso substantivo quodammodo latens accuratius etiam significator. Semper enim indigna merx, qua puella talis pereat. Sic igitur vertere possis verba: puella merce perit indigna (re), qua puella pereat. Quo nomine facile aestimes, quantum hi loci quibus similis est post adiectivum indignus ellipsis, vel conveniant cum nostro vel differant. Ov. Fast. II, 780.: Comparat indigno vimque metumque toro. Lucret. I, 1102.: fatum quod saepe nocentes praeterit, examinatque indignos inque merenteis. Hor. Sat. II, 2, 103.: Cur eget indignus quisquam te divite. Cic. Tusc. IV, 20.: Misericordiam utilem esse dicunt ad calamitates hominum indignorum sublevandas. Ovid. Trist. I, 3, 18.: Imbre per indignas saepe cadente genas. Add. Met. IV, 138. Cf. ad El. I, 9, 23. I, 21, 4. II, 4, 7.

v. 17. Cf. comm. ad El. I, 14, 12.

v. 21. venales ad munus. Dativum paene credas. Sed est „munere proposito.“ Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 17. p. 134. et ad El. I, 10, 3.

v. 25. testor te. Detestor interpretatur Lipsius (Var. Lect. III, 7.), quod Latinum non est. Iacobus alterum quia cum v. 17. artius coniungit, ita ut verba vulgo — amica fuit parenthesin efficiant. At quis eum rictum orationis ferat, qui subsultantibus verbis et metre turpiter reluctante omnem compositionem perdant? Neque vero verba:

„testor te“ uncinis includenti Lachmanno fidem habeam. Proba enim sententia, modo sic interpreteris: Non te testem appello tui unius peccati, sèd communis formosarum mulierum levitatis, i. e. non tantum indignarer, si sola tu hoc commisisses scelus, quantum quod iam nulli puellae confidere licet. Vulgo et semper uno enuntiato iuncta ne te offendant, v. Q. P. II, 6. s. II. §. 29. extr. p. 158.

v. 27. Vossius vertit barbare: *Wie der Barbar herschwingt mit geschüttelter Lende den Fusstritt.* De re multo foediore agi, interpretes ante eum senserunt. Nec tamen ipsi in explicando consenserunt. Nam ut varias coniecturas taceam, duplex interpretationis via patere videtur, altera si vestigia sic dicta censeamus, ut in simili causa non raro posita invenimus, El. II, 29, 35.:

Apparent non ulla toro vestigia presso,
Signa voluptatis, nec tacuisse duos,

ubi vid. comment. Ovid. Amorr. I, 8, 97.: Ille viri toto videat vestigia lecto. Tibull. I, 10, 57.: Semper sint externa tuo vestigia lecto. Tum igitur ad vestigia ex versu breviori apud animum addendum erit mea, quod Latine fieri posse Broukh. non iniuria censet, licet aptius debuerit exemplum afferre, quam illud erat ex Aeneide repetitum (XI, 534.): „has tristis Latonia voces ore dabat“, ubi ex nominativo tristis accusativum tristes suppleri vult. Magis huc faciunt Iuvenal. XIV, 17.: animas servorum et corpora nostra Materia constare putat paribusque elementis. Horat. Epist. I, 1, 41.: Virtus est vitium fugere et sapientia prima Stultitia caruisse, ubi vid. Schmid. cf. Reisig. ad Oed. Col. 583. p. 278. Enarrat. p. CLXIII. Neque Propertii orationem similibus certe exemplis prorsus destitutam esse docuimus Q. P. II, 6. s. IV. p. 173. coll. s. II. §. 10. extr. p. 123. Deinde agitare vestigia fuerit sequi vestigia, occupare locum, quem antea poeta tenuerat, ad quam agitandi significationem referre possis Senec. Hippolyt. 965., ubi agitare vias, et Sil. Ital. II, 94.: Dictaeos agitare saltus. Excussi vero lumbi dicantur exhausti nimio Veneris usu. Omnem autem locum translate potius quam proprie accipias. Neque enim semel et nunc primum recentia lecti vestigia premi a praetore poeta queritur, sed quod assiduo per septem iam noctes iste eodem lecto fruitus sit, quem modo ipse suum regnum credidisset. Hanc interpretandi rationem a Broukhusio ni fallor primum institutam, ego olim ideo potissimum probabam, quia minus ea turpem sententiam efficeret, quam altera quae restat. At nunc ferri non posse intelligo. Primum enim quamvis attri-

butum breviori versu apud animum addi, Latinum esse constet, Propertius tamen rarissime ea licentia usus est, cf. Q. P. II, 6. pp. 123. 173., neque in tam tenui pronomine mea, quod reliquorum verborum pondere non satis emineat, cuique facile in priori versu sedes concedi potuerit, probabilis ea ratio. Deinde agitare vestigia aliquanto differt ab illis quae supra posuimus exemplis, ubi venandi vel certe explorandi vis potissimum apparet, v. Burm. ad Ovid. Met. V, 606., ab hoc loco prorsus aliena. Denique excussos lumbos exhaustos dici excusarem quidem, si cetera aliter explicari locum non permitterent; at exemplis probatum non est. Contra excuti de membris corporis cum contentione et vehementia motis proprie et vulgo dicitur, sic brachia excussa Ovid. Metam. V, 596. lacertus excussus Heroid. IV, 43. Stat. Theb. X, 740. Senec. de Benef. II, 6. et sic fere in iaculando, torquendo, nitendo. Hinc iam sponte subeat Catulliana „quassa lecti argutatio atque inambulatio“ (VI, 10.) coll. Horat. Epod. XII, 12. Iuvenal. VI, 22. Neque igitur vestigia signa voluptatis interpretor, sed pedes, qua de significatione uberius egimus ad El. II, 9, 45. Unde versum illum: Nec domina nlla meo ponet vestigia lecto tantum abesse senties ut Broukhusio faveat, ut vel maximum nobis inde nostrae explicationis firmamentum repetere liceat. Pedes autem agitare quis recte dici neget? Sic caput agitare Columell. VI, 6, 3. pulmonem agitare Iuvenal. X, 33. et quod ad nostram rem maxime facit id. II, 21.: clunem agitant. Quibus omnibus expensis dubitari non posse existimo, quin una Passeratii interpretatio vera sit, qui crispatos in certamine Venereo clunes et pedes vehementer iactatos describi censet. Foedissima fateor φαντασία, sed cuius expositione poeta infidae puellae taedium pudicitiae turpiter prostitutae moturus sit. Nam in tali quoque ὑπαρογραφία quid praestare posset, indicavimus Q. P. II, 4. p. 68. s. fin.

v. 29. invenit. Markl. Heinsio praeeunte coniecit: Eriphyle flerit. Sed recte Ruhnk. comparavit Ter. Heaut. II, 1, 17.: Hoc ego mali non pridem inveni. Tac. Ann. I, 74.: perniciem aliis, ac postremum sibi invenere.

v. 30. Cum Eriphyla Cynthiam comparari, non mirum. Nam utraque maritum donis prodidit. Quid autem simile in eiusdem atque Creusae conditione sit nisi quod altera donis acceptis (nec tamen ab ipso adultero) perierit, alteram donis perituram Propertius minetur, non equidem perspicio. Recte igitur credas, Propertium fabulam secutum esse, qua veste illa funesta non a Medea inter nuptias donatam esse Creusam,

sed illectam eo dono ab ipso Iasone narraretur, simili fortasse modo in talem eventum a Medea decepto, atque Deianira fuit a Nesso. Sic autem rectius hunc locum interpreteris, quam Passeratius, qui „quantis malis" explicat — „quanta sua et suorum pernicie." Nam alterum, sua pernicie, absurdum, quasi quis absque sua pernicie ardere possit; alterum languidum. Multo enim gravius damnum ipsum factum quod arsit, quam eventus facti, i. e. luctus suorum. Nam quod regia cum ea conflagravit, hoc iam ipso verbo arsit significari communis eius verbi usus docet: cf. Virg. Aen. II, 311. Hor. Sat. I, 3, 72. Ovid. Met. III, 109. et in ipsa Creusa id. VII 394. Quantis malis igitur ablativum puta q. d. instrumentalem. Adspice quanta mala (int. dona) fuerint, quibus Medea arsit! Dicendi genus simile ei, quod v. 16. illustravimus.

v. 32. Locum multis modis ab interpretibus et criticis, atque adeo iam a librariis vexatum sic optime expedies, si Groning. sequaris. Nam quod ille pro An — Ah habet, hanc re diplomatica vel leviter imbuti ne discrepantiam quidem scripturae esse consentient. Sic vero accipe: Num nulla tua iniuria efficere potest, ut tibi tandem siccatis oculis nuntium remittam? An semper ego quamvis dolens tibi vitiosae serviam? Ad sententiam cf. El. I, 1, 28. II, 5, 13 sq. imprimis autem II, 24, 39.: Nil ego non patiar: nunquam me iniuria mutet. Horat. Epod. XI, 25 sq.: Unde (ex amore) expedire non amicorum queant Libera consilia nec contumeliae graves. Petron. 138.: nec me contumeliae lassant. Contra ipse Prop. III, 25, 7.: Flebo ego discedens; sed fletum iniuria vincit. Hoc igitur queritur, quod quamvis ipse indignam sortem intelligens, non satis valeat, ut pro ignavo fletu fortem contemptionem iniuriis opponat. Hic dolor autem pro: hic (i. e. ego) dolens et vitia tua pro: tu vitiosa dicere Propertio antiquum est. Cf. Q. P. II, 6. §. 28. p. 149. et El. I, 18, 13.: Quamvis multa tibi dolor hic meus aspera debet.

v. 35. At. Vulgo Ah. Sed coniunctionem illam sententiarum nexus desiderat. Si dolor te meus non movet, at pudor moveat.

v. 37 sq. fremitu inani — damnatis militibus. Kuinoelius: „Duo ablativi coniuncti, ut saepius." Felicia tempora, ubi ista erat interpretatio! Tu vero ad egregiam velim appositionem animum advertas, tanto digniorem observatione quanto est rarior, de qua egimus Q. P. II, 6. p. 155. Ex Graecis vero prorsus huc pertinet Thucyd. VII, 70.: *πολλὴ γὰρ δὴ παραχέλευσις καὶ βοὴ ἀφ' ἑκατέρων*

— ἐγίγνετο, τοῖς μὲν Ἀθηναίοις βιάζεσθαί τε τὸν ἔκπλουν ἐπιβοῶντες κ. τ. λ. Eur. Phoen. 1496 sqq.:

ἦν δ' ἔρις στρατηλάταις,
οἱ μὲν παταξαι πρόσθε Πολυνείκην δορί,
οἱ δ' ὡς θανόντων οὐδαμοῦ γίκη πέλοι.

et ex Latinis Virg. Aen. VIII, 675.: In medio classes aeratas, Actia bella — cernere erat. Bucc. VII, 16.: Et certamen erat, Corydon cum Thyrside, magnum; cui simile Ov. Met. VIII, 303.: Et cum Pirithoo felix concordia Theseus, ubi omnem orationis sanguinem perdas, si virgulis inclusum „felix concordia" pro epiphonemate habeas. Sed longe omnium hoc in genere pulcherrimum Aristophanis dictum Eq. 414.: Σκέψασθε παῖδες, οὐχ ὁρᾶθ'; ὥρα νέα χελιδών, quasi omne ver in una hirundine repente apparuerit.

v. 46. Quae — quae. Sic omnes libri mss. quod contra Broukh. Burmannus, postea I. H. Vossio etiam renitente, reposuit. Nec nunc ea attractio exemplis indigeat. Quamquam cf. si tanti est, Krüger. Gr. Lat. §. 294. ann. 1. Dubitare tamen possis sitne quae neutrum pluralis, uti Krüger. in Sall. Iug. 18. censet: Ea loca, quae Numidia appellatur. Tum solam copulam q. d. praedicati numerum secutam dicas, sicut revera in verbo fieri accidit Liv. XXII, 45.: Iaculatores prima acies facta. Cf. El. IV, 1, 14. An etiam pronomen relativum genus praedicati expressit? quod ut post demonstrativum pronomen durius, ita non inauditum. Cic. Parad. I, 2, 11.: Quibus gradibus Romulus in coelum ascendit? Iisne, quae isti bona appellant?

v. 49. Vidistis. Broukh. coni. Vidistin'. Sed de vi et usu pluralis in hac figura frequentissimi cf. Q. P. II, 6. p. 114. Sentiendi verba autem passim a poetis confundi, interpretes Graecis exemplis satis docuerunt. Ex Latinis addas licet Ovid. Fast. III, 8, 37.: „Cumque locum moresque hominum cultusque sonumque cernimus. Virg. Aen. IV, 490.: mugire videbis sub pedibus terras. Reliquum versum, cum esset fortissimus et plane ad evidentiam factus, Heinsianis elegantiis (quae tantopere Burm. et Broukh. placuerunt) „moto procurrere coelo," enervatum vulgaremque redditum iri Hemsterhusius docte et acute exposuit. Nam et singularem, quae in vocula totus est, virtutem collatis El. I, 13, 5. II, 2 (i. e. 5.), 57. II, 12 (15), 28. II, 13, 64. (17, 8.) IV, 8, 51. 85. aliis aliorum scriptorum locis explicuit, idemque percurrere exemplo Lucretii et Virgilii vindicavit. Procurrere enim, quod simili a militum decursionibus ducto Broukh. approbabat, ea sententia in fulmi-

nibus ineptissimum fore. Percurrere vero est usquequaque circumcurrere, nec absolute positum tam Lucretii loco (V, 1406.) a Lachmanno debebat probari, quam Terent. Andr. II, 2, 18.: Continuo ad te properans percurro ad forum, ubi recte Donatus continuo currendi significationem inesse in eo verbo observat.

v. 52. fulminis ira. i. e. fulmen iratum. Q. P. II, 6. §. 28. p. 149. Differt enim, quod comparant Aeschyl. Prom. 433. fulmen Διὸς ἔρος dictum.

v. 54. flevit. „doluit" interpretatur Kuin. more suo verborum proprietatem tollens. Sed recte Broukh. deos, quibus proprie flere non concessum erat (cf. El. IV, 11, 60.), privilegio quasi quodam hac lege solutos fuisse plurimis exemplis docet. Color fortasse a Graecis petitus. Sic Iuppiter apud Meleagr. (ep. 41. Ann. Br.) amatori invidiam deorum metuenti: οἶδα, ait, παθῶν ἐλεεῖν.

Elegia XVII.

De dispositione v. Q. P. II, 5. p. 90.

v. 3. Optime Ruhnken. comparat Plin. N. H. XI, 37. fin.: Herophilus medicinae vates. Cui Burmannus addit Soph. Electr. 1530. ἐγώ τοι μάντις εἰμὶ τῶν δ' ἄκρος.

v. 4. fractus utroque toro. Recte quidem explicant utraque tori parte; toto enim cubili versati amatoris quasi imago (coll. I, 14, 21.) apud animum fingenda est. Nec tamen illi satis, unde hic dicendi usus et originem habeat et laudem, demonstraverunt. Plura enim genera sunt, quibus numerandi adiectiva contra recentiorum linguarum normas cum substantivis singularibus iunguntur. Nam aut partes eius rei, cui adiectiva addita sunt, significantur, sicut hic et El. II, 26, 11.: primas extollens gurgite palmas. Ovid. Amorr. I, 14, 32.: Cur pressus prior est, interiorque torus. Hor. Sat. I, 2, 125.: dextrum corpus. 5, 61.: laevum os — ad quod genus adiectivorum summus, medius, imus similiumque usus iam vulgaris pertinet — aut substantiva, quae, cum continuam materiem significent, metiri tantum licet, numerantur (unde apud Ovid. Trist. V, 2, 28.: Icariae numerus aquae), ut Eurip. Phoen. 1480.: μυρίον αἷμα. Nam multa aqua vel adeo multus Bacchus usu iam trita sunt. Coniunctum tamen hoc genus cum superiore in Horatiano illo est: Non omnis moriar, multaque pars mei vitabit Libitinam. Cui usui cognatus tertius, cum singularis pro collectivo est, ut ὀλίγος ἀνήρ, multa tabella ap. Tibull. I, 3, 38. denso dente ibid. I, 9, 68.

Iam exquisitior ratio et multo ceteris elegantior, quam ad El. I, 21, 4. uberius tractavimus, cum eidem rei, quoniam diversis temporibus diversa videtur, numerandi adiectiva ita coniunguntur, ut pro adverbiis posita esse videantur. Quintum denique genus longe diversum, cum in enumerandis variis rebus locus cuique suus assignatur, velut Cic. N. D. II, 33.: „Deinde retrorsum vicissim ex aethere aer nascitur: ex aere aqua: ex aqua terra infima" — ubi cave de pluribus terris agi credas; immo unam terram trium principiorum infimum significari certum est. Huc pertinet Sophocleum illud (Oed. Col. 8.)ε τὸ γενναῖον τρίτον, huc ultima Thule, huc adiectiva externus, supremus, si mortis vel rogi epitheta abundare videantur, quo de usu vid. Q. P. II, 6. s. II. §. 29. p. 158. comm. ad El. I, 17, 21. Haec accuratius retractasse quominus inutile iudicarem Keilii error impedivit, qui (p. 30.) utrumque torum poetae et amicae toros interpretatus, stratus Propertium scripsisse coniicit.

v. 5. Tantalea. Qua causa ductus Lachm. hic in ed. Berolin. Tantalia contra optimos libros scripserit, cum tamen idem II, 1, 66. Tantaleo probasset, prorsus non intelligo. At spinosa sane haec orthographiae quaestiuncula, et quae originationis Graecae praeceptis non omnino solvi possit. Nam poetas Latinos non modo multa, quae usu Graeco dicere licuerit, intacta reliquisse, sed etiam interdum nova ausos esse compertum habeo. Cf. ad El. II, 34, 41. et de his ipsis vocalibus Serv. ad Virg. A. I, 177.: „Sciendum est, iudice cuphonia dici Cerealia vel Cerialia, Typhoea vel Typhoia, Caesareanus vel Caesarianus. In his ergo licentia derivationis est." Sin quaeras, quas leges Propertius tam delicatarum aurium poeta sibi scripserit, prae ceteris libri erunt consulendi. Ac primum quidem in gentilibus hisce, quae feminino genere terrae nomen efficiunt, semper usum communem secutus ius habet, ut Aonius, Ionius, Arabius, Ilius, Babylonius, Ceraunius, Dulichius, Hesperius, Leucadius, Lydius, et quae sunt illis similia: Pythius, Carpathius, Castalius, Idalius, Lesbius, Inachius, Dardanius. Neque in reliquis gentilibus Graecam rationem deserere ausus est. Itaque omnibus libris tuta leguntur haecce: Scyrius, Taenarius, Teius, Epidaurius, Gnosius, Minoius, Ismarius, Naxius, Phaeacius, Sidonius. Itaque et II, 1, 69. Caucasia et II, 25, 19. Caucasias Neapolitani sectae obedientes contra Groning. reposuimus. Quamquam ut etiam Virg. Ecl. VI, 42. Ge. II, 440. necessario sic scribatur, non est consequentia. Contra Pergameae II, 1, 51. libri omnes,

itemque III, 13, 62., quod et ipsum usus Graecus comprobat. Paullo diversa ratio adiectivorum, quae a nominibus hominum ducuntur. Nam cum Graece Ἀγαμεμνόνειος pariter in Ἀγαμεμνόνεος et in Ἀγαμεμνόνιος corripiatur (cf. Buttm. in Museo Artt. Antiqq. II. p. 386.), Prop. tamen cum ceteris poetis Latinis eam normam sibi posuit, ut quae a nominibus in ων, ονος Graece desinentibus essent derivatae, ĭ breve ante ultimam haberent. Hinc perpetuo, ne uno quidem libro refragante: Agamemnonius, Erichthonius, Pandionius, Amphionius, Amythaonius, Arionius, Iasonius. Solum Gorgoneo dissidet (III, 3, 32.), quod tamen contra universos codices expellere cum Lachmanno, tanto magis religio fuit, quod sic scripsisse omnes Romani videntur, nec Graeci saltem, ni fallor, diversa forma (nisi in nomine proprio viri Γοργόνιος) usi sunt. Ex reliquis, qui genitivum una syllaba crescentem habent, Styx et Pallas — Stygius et Palladius faciunt, neque aliter Cecropius (II, 20, 6. 33, 29.), quamvis Cyclopeus apud Virgilium (Aen. I, 201.) tutum esse libris videatur. Eodem pertinet aetherius (II, 16, 50.), quod si alibi aethereus scriptum inveniatur, ne correptam ex *ei* penultimam credas: a voce aether quippe iam paene Latina ad eorum proportionem formatum, quae materiem significant. Restant quibus casus rectus in -or desinit. Hinc ad Graecam normam adiectiva in -eus terminata fiunt. Sic Hectoreus II, 7, 20. IV, 6, 28. Mentoreus I, 14, 2. ubi tamen unus Hamburg. dissentit. Aliis denique, quae a nominativo -es genitivum totidem syllabarum ducunt, sive tertiam declinationem Graece sequuntur, sive primam, adiectiva nunquam in -ius formantur, sed in -eus. Herculeus tamen, quod aliter versus non pateretur, brevi *e* I, 11, 2. II, 32, 5. III, 18, 4. IV, 7, 82. IV, 9, 39. IV, 10, 9. Restant, quae a secunda declinatione fiunt. Inter haec, quae in -ius desinerent, inveni: Sisyphius II, 17, 7. II, 20, 33. Icarius II, 33, 24. Plurima vero in -eus; quam terminationem duo propter versus necessitatem in eus corripiunt: Pegaseus II, 30, 3. (sic enim libri omnes) et Aeschyleus II, 34, 41. ubi vid. comm.

v. 6. liquor — fallat ab ore — sitim. Elegantissimam breviloquentiam nemo interpretum sensit. Est enim constructio praepositionis, quam praegnantem vocant, Propertianis exemplis a nobis illustrata Quaestt. II, 6. s. II. §. 17. p. 133. Graeci exemplum praeiverunt. Audacius enim etiam, quod Sophocl. habet Electr. 140.: ἀλλ' ἀπὸ τῶν μετρίων ἐπ' ἀμήχανον ἄλγος ἀεὶ στενάχουσα διόλλυσαι. Markland. ad Eurip. Suppl. v. 1205. Stallbaum. Platon. Euthy-

phron. p. 60. Plurima vero eius structurae exempla N. T. scriptores suppeditare Winerus docet: de Idiomate N. T. p. 104. II. p. 81. Fritzschius Exc. IV. ad Evv. I. p. 475. Thessal. I, 9. II. Cor. 11, 3. Coloss. II, 20. Rom. IX, 8. Quocum genere cave sis aliud confundas, quod grammaticos recentiores novo quodam attractionis commento explicare ausos falli docet Bernhardy. Synt. p. 205.

v. 11. Egregia felicitatis maximae imago. Nam ipsa invidia quae semper felicium gloriae obtrectat, magnitudine rei quodammodo obstupefacta, quid faciat nescit, et victam se fatetur. Hanc enim esse vim verbi admirari coll. Horat. Epist. I, 6, 1. multisque, quae illuc interpretes contulerunt, exemplis, ideo annotandum esse censuimus, quod Markland., quia aliud verbum desiderabat, corruptum hunc locum esse censuit ad Stat. Silv. I, 4, 93.

v. 13—15. Codd. pro licet — iuvat et deinde Nec licet. Corruptum locum critici omnes senserunt, ideoque Beroaldi coniectura Nunc licet ante Lachmannum passim recepta. Hic vero pro iuvat — iubet scripsit. Nos, quamvis aliquo modo etiam librorum scripturam interpretatione Germanica vindicare instituerimus, nunc tamen, quin aliquid a librariis turbatum sit, non dubitamus. Facili enim sententiarum progressui licet illud v. 15. vehementer obstat. Lachmannus enim, qui poetam a praetore et custodibus prohibitum esse ait, quominus ante fores excubaret, interpretationi suae v. 12. obesse praetervidit, ubi cum poeta decimo tamen die admitti se fateatur, iam ne in triviis quidem sibi somnum concessum esse sine aperto mendacio dicere non potuit. Praeterea v. 15. non ante fores puellae, sed in universum in triviis permissum sibi dormire poeta negat. Quod quidem non deum, nedum praetorem volenti negasse crediderim. Denique Propertius, quamvis perdite amans, tamen non adeo a moribus antiquis descivit, ut quod ab illis semper poena et dedecus habitum est (cf. El. II, 16, 39. 40.) tanquam gratiam et honorem a puella expeteret. Nec tamen Beroaldi coniectura quidquam proficimus, ut quam ne Latinitas quidem ferat. Etenim cum v. 15. a coniunctione aut incipiat, qua duarum rerum contrariarum optio datur, hic v. 15. et 16. non diversas, sed ita similes sententias continent, ut si negatio abesset, particulam vel potius exigeret, quam eam quae nunc legitur. Contra in enuntiatis negativis huic suum locum esse, vel tironibus notum. Quare sic adornandum esse omnem hunc locum existimo: Nec iuvat in triviis — requiescere — Aut per r. m. v. f. Nunc iacere e duro corpus licet cett. Transpositionis enim primam causam fuisse

initia versuum ad litteras simillima existimo: Nec et Nī. Quem errorem cum sero animadversum emendare tamen vellet is, cui commune nostrorum librorum exemplar debetur, litteris, ut fit, super verba distichorum primaria positis ordinem rerum indicavit. Quod falso acceptum ab insequentibus librariis, ut verba solum ea, non versus mutarentur, effecit: Iam vero vide sis reliqua. Verbi enim iuvare significatio, qua idem quod prodesse et paene tempus esse sonat, in vulgus nota est. Licet vero a propria voluntate cum urbana quadam sententiae mutatione in necessitatis vim deflexum non ita raro invenitur, veluti in hisce dicendi formulis: abire licet; ducas licet. Simile enim nostrum *moegen*. Nam quod Lachmann. iubet ideo legere voluit, „ne post mortem dominam mutare se nolle“ Propertius dicere videretur: sunt istae argutiae.[1] Mortis enim minas etiamsi hoc loco serias, quod nolim, accipias: tamen sententiam subito interdum mutari a poeta, quasi veri admonito et subinde resipiente (praesertim versus finem carminum) docuimus Quaest. Prop. II, 5. p. 84. et accuratius p. 89 sq. Itaque hic erit sententiarum nexus: Quamvis tam miserum me reddiderit durities tua, ut mori, quam hanc servitutem ferre satius videretur, tamen resistam et quid obsequium possit et fides, iterum experiar.

v. 16. trita quod optimi libri tuentur, vulgari isto: tetra mutare noli. Herbae enim et venena, ut solo tactu nocerent — hoc enim intelligendum esse verba „sumere in manus“ docent — trita fuerint et fricata necesse est. Nam veteres iam venenorum inunctionibus usus esse, Plinius auctor est N. H. XXV, 7.

Elegia XVIII.

v. 1—4. Ipse secum agit poeta, et dum in rebus amatoriis vulgaris sapientiae praeceptis in ordinem redigere ipsum se fingit, figurata hac et composita oratione falsam istam doctrinam irridere sc. significat. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 6. p. 117. ibid. pp. 109. 126. Dispositionem illustravimus II, 5. p. 99 sq.

v. 5. Scripsi quod cum Groningano Itali exhibent. Corruptus tamen quin locus sit, non dubito. Nam candere de splendido maxime colore dicitur. Quod quamvis interdum in canos cadere possit (Tibull. I, 11, 43. Virg. Cir. v. 320.), tamen ab hoc loco, quo dedecus potius quam ornatus significatur, alienum est. Keil. (p. 18.) tenderet ci. inaudita vocabuli significatione. Facillimum esset ex Neapoli-

tano refingere: vanescoeret. Sed altius sedere morbum Hamburg. docet.

v. 9. (11.) undis omnes. Beroaldus ulnis correxit. In versu breviori Scaliger abiunctos coni., quod receptum certatim est ab editoribus. Sed omnis loci difficultas et frustrata emendandi pericula inde orta, quod non de redeunte ad maritum Aurora, sed de discedente sermonem esse interpretes praetervidérunt. Quorum auctoritati ego quoque loco Callimacheo (h. lav. Pallad. 5 sqq.) seductus, olim in interpretatione Germanica cessi. At falsam esse eam rationem iam illud docet, quod de Aurorae equis ad Orientem revectae nunquam apud antiquos, ut consentaneum est, mentio fit. Nam Aurora neque occidentali Oceano mergitur, neque illic Tithoni est domus. At ne de Sole quidem. Hunc enim cymba potius per Oceanum vehi, ut mane currum iterum conscendere posset, antiqua fabula fuit. Cf. Mimnermus, Stesichor. all. ap. Athen. XI. p. 470. Ann. Brunck. I. p. 62. Heyn. ad Apollod. II, 5, 20. Praeterea ista ut sententia prodiret, duabus coniecturis opus erat — ulnis et abiunctos. At semper restat scrupulus in verbo decedens, ad quod ablativum coelo apud animum supplere in hoc sententiarum nexu durissimum foret. Nam cum proxima sit coniugis commemoratio, neminem nisi hunc intelligi posse, a quo Aurora decesserit, patet. Praeterea participium praesentis decedens praeteriti et paene plusquamperfecti loco dici omnis Latinitas vetat. Tu vero apud animum finge Auroram, dum dilucescit, diem nimis maturum redire frustra queri, deinde amplecti saepe inter discessum Tithonum, tandem equos lavare et iungere, atque adeo conscenso etiam curru fata dura increpare. Sic commoda erunt omnia. Neque ego ut per hos gradus quodammodo oratio ascenderet, disticha praepostero ordine posita mutare dubitavi. Quam facile enim ab iisdem vocibus incipientes versus a librariis turbari potuerunt! Verba autem lavit adiunctos equos ne quis sic quoque laborare opinetur, more Propertiano pro hoc: lavit et adiunxit dicta coll. Q. P. II, 6. s. II. §. 21. p. 140. intelliget. In undis vero, quod recte Iacobus intactum reliquit, Weberus (Corp. Poet. Lat.) crassa Minerva interpretatus eximii aliquid sapere sibi videbatur, cum illum irridens exclamaret: Magnus honor, si decedens coelo Aurora primum maritum, deinde equos lavit. Vides sales. In undis enim esse ad undas, Propertii interpres non debebat ignorare. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 15. p. 135.

v. 23. Dubitare possis, utrum de faciei an de comae medicamento sermo sit. At v. 26. Belgicum colorem

glastum esse non posse, quo Britanni corpus infecerunt, certum est. Hoc enim caeruleum vel nigrum colorem efficiebat, quem in facie fugisse, in crinibus certe non expetisse puellas constat. Cf. Caesar. B. G. V, 14. Plin. N. H. XXII, 1. Quare bene Dorvill. Miscell. Vol. V. p. 125 sqq. saponem, quo crines rutilabantur, Galliarum inventum (Plin. XXVIII, 51.) intelligendum esse censuit. Cf. Arntzen. de capillorum coloribus et tinctura, quem citat Boettiger. Sabina I. p. 138. Spumam Batavam Martialis vocat (VIII, 23, 20.) vel pilas Mattiacas (id. XIV, 27.). Adde Wesseling. ad Diodor. I. p. 351. Beckmann. Histor. Inventionn. T. IV. p. 1 sqq. Becker. Gall. II. p. 27. Nihilo tamen secius, quia Propertius Cynthiam imitatam infectos Britannos dicat, etiam Britannos comas rutilasse minime colligitur. Nam hac de re neque constat, neque, ut Kuinoel. opinatur, Britanni et Belgae temere confunduntur. Atqui pictorum Britannorum tam frequens est commemoratio (cf. praeter ll. Caesaris et Plinii modo citatos Pompon. Mel. III, 6. Iornand. 2. Herodian. III, 14. Solin. c. 25. Isidor. XIX, 23.), ut nisi ad illum morem pingendi corpus vel ferro pungendi referri verba illa non possint. Hoc igitur vult Propertius: Nonne tu artificiis extrinsecus quaesitis naturae decus cum perdis, similiter insanis atque Britanni corpus pingentes? Hinc simul, quomodo vv. 31 sq. accipiendi sint, apparet. Hoc enim ait: „Si asciticius color per se pulchram efficeret faciem, etiam si qua caeruleo colore inficere crines vellet, pulchra ut habenda esset, sequeretur. Quod quam absurdum sit, vides.“

v. 29. 30. Lachmannus, puto, ne deesset quo ingenium exerceret, pro certe in ed. Lips. per te scripsit, cum alterum aut nimis breve, aut bis otiosum diceret. Non iuvat eadem tela, quamvis liceat, in illud per te retorquere, modo bene habere quod Propertius dedit censeas. In breviori autem versu ne pro satis Heinsianum sat es necessario reponendum credas, cf. Q. P. II, 6. p. 124. §§. 11. 12.

v. 33. „Honestis vocabulis amatorem significat.“ *Lachm.* et similiter iam priores interpretes. Tu potius confer El. I, 9, 23.: Tu mihi sola domus, tu Cynthia sola parentes.

v. 35. Conscius amoris mutui lectus custodia dicitur, quoniam eius memorem peccare pudebit. Quam autem peccare pudet, ea tuta sat est, neque alio custode eget, ut ait El. II, 6, 40. Eodem modo praetexta, pudoris iuvenilis insigne (cf. El. III, 15, 3.), custos pueri dicitur Pers. V, 30.: Cum primum pavido custos mihi purpura cessit. Add. ad El. II, 34, 1.

v. 38. terram codd. optimus quisque. Nec quioquam muto, quamvis ante maria — terras potueris expectare; et sic Guyetus. At optime iam Ruhnken. contulit Ov. ex Pont. I, 5, 76.:

Per tantum terrae, tot aquas vix credere possis
Indicium studii transsiluisse mei.

Elegia XIX.

v. 2. coles. Unum Mentelianum ut hic plurls facerem, quam reliquos libros omnes, necessitas effecit. Nam abiturae Cynthiae scriptum hoc carmen singuli ab initio versus clamant.

v. 13. rara interpretantur, quia sacellum minus frequentabatur. Immo, propter doni vilitatem. Pretiosum enim hoc quoque in paupertate agricolarum. Cf. ad El. II, 10, 24.

v. 19. pinu. Hoc loco etiam Kuinoelius aliquid novi ausus est. Pro pinu enim Burmanni iudicium secutus pennis reposuit, et reddere pennis cornua interpretatur: sagittas hamatas obtusas reparabo. Sagittas enim cornua dici iis exemplis docet, quibus arcus cornu appellatur (Ov. Met. I, 455. V, 383.). Deinde vero exponit, etiam pennas sagittas dici. Admirabilis confusio, et quam expedire longum est. Causam tamen audaciae hanc profert, quod sacra Dianae iam antea commemorata sint, et aliquid desideretur quod ad venationem pertineat. Audio. At quaeritur, quo nomine commemorata sint ea, quae ille sacra ait, ego vota intelligo. Nam adiectivum sacra v. 17. ad vota v. 18. pertinere non sensit. Et Iacobsius quidem Epistola ad Astium data (p. XXX.) v. 18. ponere vota pro facere vota dictum pronuntiat. At hac in re proprium Romanis verbum est votum suscipere. Cf. Martial. VIII, 4, 2. Cic. Legg. II, 9. extr. e legg. XII. Ovid. Trist. III, 12, 40. Hinc sigla illa (E. V. S.) in inscriptionibus interpretanda esse Viscontius docet M. P. Cl. T. I. p. 101. not. 1. interp. Gall. Impetrato vero, quod optaverant, vota (i. e. res ex voto promissas: cf. Lachm. ad El. III, 17, 29. i. e. II, 24, 45.) locis sacris suspendebant. Quod et reddere et solvere et ponere votum dicebatur. Cf. II, 14, 27. II, 10, 22. II, 28, 62. II, 25, 23. Ov. Amorr. I, 7, 36. Catull. XXXVI, 16. Ovid. Amorr. I, 11, 26. Heroid. XV, 181. 183. Nep. Pausan. 1. Cic. Act. in Verr. IV. c. 28. 36. quos citat Broukh. ad II, 11, 27. (i. e. II, 14, 27.) Schmid. ad Hor. Ep. I, 1, 11. Mitscherl. ad eiusd. Carm. III, 26, 6. Adde

C. I. Orelli n. 1704. 1707. 1708. coll. 1815. Neque aliter Graece τιθέναι pro ἀνατιθέναι dici probant Wolf. ad Dem. Lept. p. 307. Valcken. ad Euripid. Phoen. 527. Hic igitur, quod iam Passeratius vidit, sententiarum nexus: Iam recuperato Cynthiae amore Veneri gratus vota pono suscepta; iam nova Dianae suscipio, et si propitia mihi fuerit in venando, in delubris eius (hae autem sunt silvae) praedae partem, cornua excelsa, suspensurum me voto damno. Nam testimoniis eius usus ab interpretibus ad h. l. congestis: Ovid. Met. XII, 266. Schol. ad Aristoph. Plut. v. 944. Spanh. ad Callim. h. Dian. 105. p. 248. Wesseling. ad Diodor. IV, 22. p. 268. adde Longi Pastoral. II. p. 57. Villois.: τὸ δὲ δέρας χέρασιν αὐτοῖς ἐνέπηξαν τῇ πίτυι. Leonid. Tarent. ep. XXXII. Anu. Br. I, 228. Anth. Gr. I. p. 162.: τὰ δ' ὀκτάῤῥιζα μετώπων φράγματ' ὑπὲρ κρανάων ἄλος ἔπαξε πίτυν. Erycii ep. I. Anu. Br. II. p. 295. Anth. Gr. III. p. 8. Pinu vero pro pinui dictum usu maxime vulgari: cf. comment. ad El. II, 1, 66. Neque ego credo pleniorem formam apud quemquam poetarum epicorum vel elegiacorum occurrere. Ita metro adversatur. Unum restat, quo magis Kuinoelii dubitationem excures, quod inter medias occupationes venatorias voti mentionem poeta faciat. Nec tamen mirum. Nam recens adhuc erat dearum commemoratio, necdum aliud quam generatim venaturum se esse promiserat. Recte igitur primum in universum venari se velle ait, ut vota sua solvat. Deinde singulas, quibus operaturus sit, venandi — partes tractat.

v. 21. Non multum abfuit, quin Groningani temerare reciperem, nisi contra illum turba omnis, non incondita sed optimis ducibus Neapol. et Mentel. staret; et habet sane, quo ista scriptura eximie se commendet, quamquam exempla a Broukh. citata, a sacrilegiis sumpta omnia, minime ad rem pertinent. Sed licet ista prima et propria sit significatio, altera tamen hinc deducta, non minus proba est aut Latina, qua audaciam notat opus humanis viribus maius aggredientis. Sic Valer. Flacc. I, 627. Argo undas temerasse dicitur, Stat. Theb. III, 463. Perseus volatu nubes temerare. Hoc sensu Alpes per Hannibalem temerata|e (Sil. It. XV, 529. coll. III, 499. XVII, 501 sqq.), litus temeratum (Lucan. III, 194.) vocantur. Atque adeo idem Silius (II, 473.) „Saguntinos" qui fame coacti corium comedunt, „nil" ait „temerasse piget." Faceta autem esset suarum virium detrectatio, si Propertius mollioribus solum certaminibus aptus, tam diras bestias aggredi velut nefas reformidare se fingeret. Neque tamen alterum tentare malis;

nempe velut eminus. Utut tamen est, ridiculum apertum est, et metus iocosus. Quanto magis risum debeat Broukh., qui serio et paene anxius quaerit: „Sed quid fiat τῷ leones? illi certe in Italia nulli erant; credo mendum latere in hac voce.“

v. 23. De hyperbato cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 11. p. 123.

v. 24. stricto. Vulgata usque ad Lachmannum structo, quod obscuris quibusdam Italorum libris tutum credebant. Sed recte Hemsterhusius (in Addendis apud Burm. p. 943.) „de gladiis tralaticium ad alias etiam res, quae expediuntur et ad praesentes usus parantur, eleganter adhiberi“ observat. Sic stricto arcu ap. Valer. Flacc. V, 580. stringere venabula Auson. Ep. IV, 30. strictis telis Claudian. III. Cons. Honor. V, 11.

v. 25. De regione, quae hic describitur, v. Q. P. I, 1. p. 8.

v. 27. Cum Passeratio, qui conari verbum stupri esse dixerat, verecundus Broukh. rixatur; ipse explicat: „Quotiescunque parabis inclementer mihi dicere.“ Non ego tantas lites componam. Hoc solum aio, non nimis honestum videri, quod ne Cynthia conetur Propertius metuit. Idem certe, de quo el. proxima extr.: Credo ego narranti, noli committere, famae.

v. 31. Quae interpretes hic dubitanter de fascinatione nescio qua coniiciunt, ea quam parum cum antecedentibus verbis cohaereant, Iacobus docet. Cuius inter argumenta hoc sine dubio est potissimum, quod quomodo solitudo Cynthiae non mutandorum nominum causa cogitari possit, nequaquam appareat. Quinimmo fascinatio puellae omni praesentis amici auxilio destitutae multo magis nocere debebat, quam si Romae cum Propertio fuisset. Probabiliorem fortasse crederes Weberi opinionem, cui hi versus ad superstitionem quandam pertinere videntur, qua amantes in absentia amicarum pronuntiatis fortasse quibusdam nominum inversionibus et mutationibus secundum arcanas quasdam leges ab earum perfidia sibi solerent cavere.“ At singula paene verba coniecturae sunt. Itaque haud procul aberat quin Iacobi inventum ingeniosum pariter atque facile metuam reponerem, cuius sensum sic explicat: „Haec ipsa solitudo tua curam mihi eximere non potest, quin absenti mihi ne quis noceat metuam. — Nam: Nomina tua in assidua lingua metuo ita explico: pulchritudinis et doctrinae tuae fama, quae in omnium ore est, ut te satis occultare potuerit, timeo.“ Egregia sane haec coniectura, et in qua nihil reprehendas, nisi quod duas negationes Latine fortius negare sic temere posse, interpretibus crediderit. Melior tamen ab

hac quoque parte Iacobi ratio, quam reliquorum interpretum. Ne enim si simpliciter finalis est particula, numquam post se patitur alteram negationem, nisi qua affirmat. Nam quae Barthius hic citat Heynii ad Tibull. IV, 1, 164. annotata, ea ad usum particulae neque pertinent, ab hoc loco maxime aliena. Cf. v. 5. et El. II, 30, 3—6. Krüger. Gramm. Lat. §. 510. not. 2. At ne illud quidem Ciceronianum II. Verr. II, 24.: „debebat Epicrates nullum nummum nemini", aut Terent. Varron. de Vita Pop. Rom.: „quod a rege munera eorum noluerit nemo accipere" — si tamen uterque locus (a Iacobsio comparatus Anthol. poet. Lat. p. 182.) satis a codicibus tutus est (cf. Haas. ad Reisig. Gramm. Lat. p. 408.) — nimis huius versus naturae simile. In prohibitivis vero enuntiatis nunquam a probis auctoribus commissum existimo, ut pro una negatione duas ponerent. Itaque sic quoque, ut diximus, verior Iacobi ratio. Siquidem uno certe loco, quem praeteritam ab omnibus grammaticis miror, post verbum vereri ne non pro ne sine ulla dubitatione legitur. Est ille in medio positus Cic. Cat. I, 2. neque solum a codicibus, quod sciam, tutus, sed etiam Quintiliani testimonio confirmatus: „Si te iam Catilina comprehendi, si interfici iussero, credo erit verendum mihi, ne non hoc potius omnes boni serius a me, quam quisquam crudelius factum putet." Ego vero peccandi initium fecisse existimo eos editores, qui primi pro non invexerunt ne. Nam e nostris solus Groninganus illud habet, facillimo lapsu, praesertim post nemo. Assentiuntur dubiae fidei libri: Colbertini et Regii, cum singulis Livineii et Gebhardi. Sed recte iam expulsum a Beroaldo, ante Broukhusium patronum invenit neminem. Lachm. in digerendo hoc carmine intactum reliquit. Iam vide, ne aptissima evadat sententia haecce: Quamvis tu procul ab Urbe corruptrice in solitudine montium agas, non tamen satis securum me ratus abstineo, quin de te tuaque fide anxius tuum nomen mente et ore volvam, te assidue cogitem, te loquar (sic El. I, 18, 31 sq.: „Sed qualiscunque es, resonent mihi Cynthia silvae, Nec deserta tuo nomine saxa vacent," et similius etiam Tibull. II, 1, 32.: Nomen et absentis singula verba sonent.). Nam Roma cum absis, ego custos a te absum. At (ut ait El. I, 11, 13.) „solet amoto labi custode puella." Absenti autem amatori quis nocere noluerit? Nam ut rursus ipse sui interpres El. II, 34, 4.: „formosam raro non sibi quisque petit." Vides interpretationis modum et causas. Unius tantum rei ratio videatur reddenda, quod mutare simpliciter agitare, sive volvere vertimus. Atqui mutare idem est, quod movitare i. e. frequenter

movere. Nam quod verbum illud saepissime cum altero motare confundi a librariis perhibent: non a librariis hoc factum esse videtur, sed ipso sermonis Latini usu. Nihil enim mutare nisi paulo aliter declinata eiusdem verbi forma. Ut enim unum ex oino (Monum. Scip. l.), plurimi ex ploirome, munia ex moenia factum est, vel, quod accuratius est, ut ex providens, bovicula, Iovipater — prudens, bucula, Iupiter fit, ut denique bovibus modo in bubus modo in bobus contrahitur (cf. Schneider. de Elem. L. L. p. 126. p. 77 sqq.): sic mutare ut ex movitare natum sit, consentaneum est. Movendi autem notio in eo frequentativo apparet. El. II, 15, 7.: Quam vario amplexu mutamus brachia. Ovid. Met. XIII, 937.: mutant latus. Ubi tamen in aliis libris: motant. Itaque recte Wagner. Virg. Aen. III, 581.: „fessum quoties mutet latus" pro motet restituit, coll. Stat. Theb. III, 595.: — aut ubi tentat Enceladus mutare latus. Nam illic unus tantum liber aperto glossemate: versare. Apertissima autem significatio ea est Virg. Ecl. V, 5.: Zephyris mutantibus umbras. Quod cum codex optimus quisque commendet, iniuria nunc motantibus receptum, item VI, 28., ubi nunc legitur: tum rigidas motare cacumina quercus. Aen. V, 707. tamen in plurimis codicibus est: „Nunc huc ingentes, nunc illuc pectora curas Mutabat" sensu haud ambiguo, et quo noster locus optime illustretur. Quamquam illic quoque duo libri: motabat. Huc pertinere videntur omnes loci ii, quibus mutari loco vel mutare se loco (ut est Plaut. Amphitr. I, 1, 118.) pro „movere se loco" dici Gronovius (Observv. III. c. 1. p. 131.) amplissima exemplorum congerie demonstravit. Quocirca etiam apud Sil. Ital. V, 234.: „Mutat utroque caput" ex Put. et Ox. codd. editionibusque priscis reposuerim pro eo quod nunc legitur: nutat. Cf. praeterea locos ab Heinsio ad Ovid. l. l. congestos, item a Wagner. ad Virg. l. l. et Burmann. ad nostr. II, 12, 7. et ad Claudian. bell. Get. v. 545. Quodsi quis dixerit, verba illa mutare et motare origine eadem et initio sola pronunciatione diversa, temporis decursu diversas etiam significationes traxisse, ut motare maneret frequentativum, mutare in vulgatam nunc notionem transiret: haud equidem magnopere repugnarem, nisi illud vocabulum nusquam certum stare, solaque Servii grammatici auctoritate approbatum esse criticis viderem. Unde quis eius demum aetate discriminis causa procusum illud esse iure coniiciat. Hoc autem certum, aut mutare hoc loco pro movere accipiendum, aut in motare corrigendum esse.

Elegia XX.

v. 7. superba Puccius et cum eo Volscus et Beroaldus. Reliqui libri superbe aut superbae habent, prout vel Niobae vel Niobe scriptum erat. Nam pro genitivo eam formam, ut fere fit, librarii habuerunt. Quare Lachm. non debebat superne rescribere, quod mirum quantum ieiunum videatur et otiosum. Superba autem ne ad busta referretur, Propertius non metuebat, plus aliquanto quam Lachm. censet iudicio lectorum suorum confisus. Cf. ad El. II, 24, 52. Denique de quo idem Lachm. dubitat, superbam Nioben lacrimas fundere non ita ait, quasi eodem tempore superbam et mollem fuisse velit, sed quo nervosius fractam superbiam vel ὀξυμώρου specie significet. Prorsus hoc Propertianum. Cf. Q. P. II, 6. §. 21. p. 140. Neque enim illum in tanto brevitatis studio idem quod Ovidium decebat, qui commodius aliquanto et verbosius haec exponit Heroidd. XX, 105.:

Quaeque superba parens, saxo per corpus oborto,
Nunc quoque Mygdonia flebilis astat humo.

Ceterum nec tantum pro nec tantopere dictum recte Propertio Lachm. vindicat coll. El. II, 21, 2. III, 18 (i. e. II, 25.), 40. Claudian. Rapt. Pr. II, 95.

v. 8. defluit, pro quo depluit Scaliger, non, uti Burmann. et Barth. videntur existimare, Heinsius coniecit, recte cum accusativo iungi Lachmann. coll. Claud. in Prob. et Olybr. Consul. 51. de laudib. Stilich. II, 263. docuit. Comparare licet Graecum ῥεῖν Euripid. Hec. 528. ubi v. Musgrav. Ruhnken. Ep. crit. II. p. 264. Iacobs. Animadvv. ad Anthol. Gr. T. I. p. 163. et, ut hoc loco, de re deorsum caduca, simili a pluvia repetito Archil. frgm. XVII. Br. ap. Clem. Alex. Strom. V. p. 725.: Σὺ δ' ἔργα ἐπ' ἀνθρώπους ῥεῖς λεωργά τε καθέμιστα, si recte ante Schneidew. sic VV. DD. libros mss. secuti ediderunt; hic enim: ὁρᾷς rescripsit. Nec mirum in ipsis fluminibus; horum enim natura est fluere; accusativus autem per ἐπεξήγησιν id quod verbi vi efficitur communi omnium verborum usu significat (cf. ad El. II, 1, 9. II, 7, 11. I, 3, 7. Burm. ad Anthol. Lat. I. pp. 10. 173. II. p. 696. Heyn. ad Tibull. IV, 1, 86. Bernhardy. Synt. Gr. p. 127 sqq.). Hoc vero novum, quod Propertius fluere Nioben, quasi totam liquescentem, ait. Nam manare, quod in eadem re Ovidius exhibet Met. VI, 312.: „lacrimas etiamnum marmora manant“ et Senec. Herc. Fur. 390. (cf. Iuvenal. Sat. VI, 623. Horat. Epist. I, 19, 44. Interpp. ad Pers. Prol. extr.) paullulum differt. Propius igitur ad no-

strum rem quam exempla a Lachm. collata Petron. c. 71. accedit: Dolia effluunt vinum et, si hunc licet pro teste citare, Isidor. XVII, 8.: Lacrimam effluunt virgulae. Verum succurrit Propertii verbi fluere usus, quo in rebus udis et madentibus vel etiam inundatis dicitur, velut Liv. XXXVIII, 17.: fluunt sudore membra. Curt. VIII, 14, 3. Virg. Aen. III, 626. Sil. Ital. I, 526. (aliter XII, 19.) Ovid. Met. IX, 57.: brachia sudore fluentia. Add. Cic. de Orat. II, 266.: buccis fluentibus. Huc etiam pertinet El. III, 22, 2.: Propontiaca qua fluit Isthmos aqua.

v. 11. In te quid esset, explicavimus Q. P. II, 6. p. 134. Ob oculos autem versatus videtur Paullo Silentiario ep. 16, 3. Ann. Br. III. p. 76.: *χάλκεα νικᾶ τείχη καὶ δεσμοὺς χρυσὸς ὁ πανδαμάτωρ.*

v. 13. De te vulgo explicant: quod ad te attinet. Male. Nam cum dicitur coniungendum esse, omnis verborum nexus docet.

v. 15. parentis. paterna coni. Hoeufft. Santenio probante in litteris mss. Puto, recte. Mirum enim, si parentis nomine pater matri ex adverso poneretur, quae magis etiam proprie parens diceretur.

v. 18. Ambos una fides auferet, una dies. Quid sit: dies auferet, nemini obscurum. Nam tempus causam eius rei habere, quae tempore eo accidit, poetis antiquum est. Hinc II, 11, 4.: secum uno munera lecto Auferet extremi funeris atra dies. II, 15, 54.: includet crastina fata dies. Hinc vita et mens et ratio diei tribuitur, ut II, 28, 32.: „Et deus et durus vertitur ipse dies", quod nemo interpretum intellexit; vel adeo ea de die dicuntur, quae hominum sunt eo die agentium, velut I, 13, 25.: Una dies omnis potuit praecurrere amantes. cf. ad III, 11, 36. Hoc igitur facile, utpote iam vulgatum et communi recentiorum etiam linguarum usu receptum. Alterum vero una fides auferet novum, et cuius virtutem interpretes magis senserunt (recte enim v. 34. comparant), quam explicuerunt. Poetae enim non modo tempus, sed interdum etiam, quod simul eodem tempore vel loco est, causam alterius facti faciunt. Et de loco quidem v. comm. ad El. III, 11, 36. Ad nostrae vero dictionis rationem pertinet Callimacheum ep. II, 2.: *ἐμνήσθην δ' ὁσσάκις ἀμφότερον Ἥλιον ἐν λέσχῃ κατεδύσαμεν,* quod imitatus est Virgil. Bucc. IX, 52.: saepe ego longos Cantando puerum memini me condere soles. Sed pulchriora illa eo, quod iucundum opus agentibus re vera brevius effici temporis spatium et maturius sol occidere videtur. Similius igitur etiam Horat. Od. IV, 5, 28.,

quod istis Veneribus non commendatur: Condit quisque diem collibus in suis.

v. 21. Passeratius interpretatur: septimus cursus lunae decurritur, et sic, ut semper, Kuinoel. Sed recte Iacobs. conf. Ovid. Met. VII, 530.: Luna quater plenum tenuata retexuit orbem. Nam deducere, proprium de opere textorio verbum, illustravimus ad El. I, 16, 41.

v. 24. non nunquam. Quod in quibusdam libris est non unquam, Iacob. praefert. At tu conf. Q. P. I, 6. p. 44. extr. Neque vero tota haec elegia Propertium a Cynthia, sed Cynthiam a Propertio laesam esse aut certe laesam se credi testatur, vid. vv. 13. 14. 27. 28. 33. 34. Quod vero nimis languidam et ineptam sententiam Keilius (p. 53.) esse censet, quoniam non nonnunquam sed semper, sed nunquam non receptum se esse dicere debuisset Propertius: nae ille non intellexit, quid λιτότης valeret, gravissima figura, et cuius vim hoc potissimum loco sentiat, qui, ut nos, disiunctas voculas scripserit, toto orationis tenore in negatione posito: nón nunquam. Cf. ad El. II, 1, 58.

v. 31. mea poena i. e. ego punitus, cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 149. Possis tamen cum Vulpio ipsos vultures intelligere. Sic El. IV, 11, 28.: poena sororum infelix humeros urgeat urna.

Elegia XXI.

v. 10. ille maritus. Cave ne arcius haec vocabula iuncta pro subiecto habeas, quod vulgo interpretes fecerunt. Sed „maritus“ ad praedicatum esse referendum, ut sit: „ille merito laudes habet, quia te repudiata uxorem aliam duxerit“ — nexus sententiarum clamat. Nam ne de v. 4. et 7. dicam, sic demum exempla Medeae et Calypsonis apta erunt.

v. 12. Eiecta est. Hanc scripturam Gron. libri, Beroaldi editione firmatam tacitus restituit Lachm. Recte; nam quod Broukh. et Burm. non tenuisse Creusam domum contendunt, quae ipso nuptiarum die simul cum regia conflagraverit, nugae istae sunt. Absurdum vero quod illi praeplacuit: Electa est tenui namque Creusa domo. Nam quod Sisyphi domum, unde Creusa erat prognata, contemptam apud veteres fuisse narrat: crimine auctoris infamis erat, non ob rei familiaris angustias aut obscuritatem contempta. Cf. Horat. Epod. V, 64. Ovid. Heroidd. XII, 54. 205. Euripid. Med. 740.: locos iam Burmanno citatos. Nec probabilis minus Burmanni patrui coniectura, quam ille debita pietate commendat: Eiecta tenuit n. C. d., ut sit ablativus absolutus, quem

capite, i. e. subiecto, truncum etiam alibi ambigi video (cf. Interpp. ad Caes. Bell. C. I, 30.), quique certe Propertianus non est. Alia sciens praetermitto. Sanus enim locus, ut qui maxime; eiici autem vocabulum in repudiato amore quasi proprium, cf. El. II, 9, 2. Nam ne de ἀσυνδέτῳ dubites, brevitas illa concitata et caesa crebro oratio eximie decet carmen subitas tabellas imitatum (cf. Q. P. II, 6. §. 13. p. 125.). Neque igitur aut hic aut in proximo quod sequitur disticho quidquam mutandum censeo. Lachmannus enim: „Sic a Dulichio iuvenem delusa Calypso," ut iuvenis a Dulichio Ulixes esset, dicendi genere a Propertio alieno. Iacobus vero ludens magis, quam serio tentavit: iuvene et dea lusa C.

v. 16. Ne quis hic attractionem videre sibi videatur, cf. Q. P. II, 6. p. 156. extr. 157. Nam discite hic quasi imperativus verbi posse est. bonae vero Passerat. probe faciles interpretatur. Cf. El. II, 18, 22. coll. I, 9, 23.

v. 17. Huic quoque qui restat. Sic omnes, nisi quod Groning. pro Huic — Hinc habet, unde varia effluxerunt emendandi conatus. Et Lachmannus postremo interpungendo subveniebat: Hinc quoque qui restat? quod non intelligo. Mireris, facillima saepe doctissimos latere. Haec enim sententia, quam nemo assecutus est: „etiam post damna accepta, nihilo secius nimia facilitate peccant (cf. El. II, 5, 41. 42.). Haec quoque (i. e. puella nostra, Cynthia) modo repudiata nihil poena sua didicit; iam enim quaerit alterum amatorem eum, qui restat, quemque in talem eventum sibi quodammodo reservaverat." In quo idem eam periculum, quod in priore modo experta sit, manere ait Propertius. Se vero omni tempore fidelem futurum esse. Ergo tandem resipiscens iam nunc se solum quaerat. Miror, ni editores vetustissimi sic interpretati sunt. Certe versu brevieri pro potes — potest scribunt. Nec male, quamquam alterum quoque usu Propertiano maxime defenditur. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 5. p. 115.

Elegia XXII.

Dispositionem illustravimus Q. P. II, 5. p. 101.

v. 2. Post mihi Lachm. hinc inseri iussit; frustra. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 13. p. 129.

v. 5. Diducit contra omnes libros cum Passeratio scripsi. Nam quanto levius fuit librariorum peccatum, tanto securius permansit. Usum utriusque verbi et deducere et diducere recte discreverunt Markl. ad Stat. Silv. III, 5, 66.

Bentl. ad Manil. V, 425. Wakefield. ad Lucret. IV, 773. quos iam Lachm. citavit. Add. Drakenb. ad Liv. V, 38, 1. qui frequentissimam eam confusionem in libris mss. esse docet ad XXI, 55, 5. XLIV, 33, 3. et ad Sil. It. XV, 187. Burm. ad Ovid. Amorr. I, 7, 48. Met. IV, 372. VIII, 586. Cort. ad Sallust. Iug. 25. ad Plin. II, 19. Oudendorp. ad Lucan. III, 584. ad Front. praef. ad II, 3, 8. et 23. ad Caes. Bell. C. II, 6.

v. 14. QUARE. Elegantissima interpretatione locum a ceteris desperatum Propertio Lachm. vindicavit. Qua de re vid. Q. P. II, 6. s. II. §. 15. p. 131. ubi similia exempla ex his nostri carminibus contulimus. Lachmannus recte iam comparavit Petron. 137.: Iuris consultus PARET NON PARET habeto. Addere licet Pers. Sat. V, 87.: „Haec reliqua accipio: LICET illud et UT VOLO tolle", vel, ut recentissimi editores maluerunt: „LICET UT VOLO VIVERE tolle." Iuvenal. VI, 194.: Quoties lascivum intervenit illud: *ZΩH KAI ΨYXH*. ibid. 483.: „Donec lassis caedentibus EXI intonet horrendum." Senec. Ep. 49.: modo te prosecutus sum et tamen hoc MODO aetatis nostrae bona portio est," alia, quae diligentissimus C. Schneider collegit de Form. L. L. p. 12.

v. 17. 18. natura creato — et deinde v. breviori: Mi fortuna libri probi quotquot sunt omnes. Broukh. ex membr. Comelin. altero etiam versu Mi natura rescripsit. Frustra; nam natura et fortuna synonyma aliquatenus, ita differunt, ut natura nascenti solum homini dona sua impertiat, per totam tamen vitam mansura, fortunae vis latius dominetur, et omnium quaecunque ipse homo ratione sibi parare non possit, causa habeatur (cf. Hor. Sat. I, 1, 2.). Unde recte noster „creato" dedit, quod coniecturandi impotens Burmann. in creatrix mutare voluit, iure refutatus a Lachm. qui confert Auctor. Paneg. v. 5.:

Hinc tua me virtus rapit miranda per omnes
Vita modos, quae si deesset tibi forte creato
Nobilitas, eadem pro nobilitate fuisset —

et Manil. IV, 18.:

Hinc et opes et regna fluunt et saepius orta
Pauperias, artesque datae moresque creatis
Et vitia et clades damna et compendia rerum.

Add. nostr. El. IV, 11, 47.:

Mi natura dedit leges a sanguine ductas.

Vides naturae vim in nascendo efficacem; et recte tamen idem, quod propius ad nostram rem accedit, I, 6, 25.:

Me sine, quem semper voluit fortuna tacere,
Hanc animam extremae reddere neqùitiae.
Non ego sum laudi, non natus idoneus armis,
Hanc me militiam fata subire volunt.

Fortunae igitur hic tribuitur, quod alias naturae (cf. comm. ad El. I, 7, 16.); nam natura fortunae pars est. Quod innumerabilibus liceat exemplis comprobare, quamquam contraria etiam philosophorum placitis hic praecipi illis constat. Neque ego in hisce, ne tantisper quidem, commoratus essem, nisi Lachmannum quoque Batavorum sine dubio in argutiis haesitantem fortuna, quod nollem, pro ablativo habuisse viderem, ut sententia esset: natura fortunà (i. e. forte) mihi amare dedit. At istud sine exemplo esse reor. Nam fortuna quidem naturae beneficio mortalibus tribuere aliquid recte dicatur, non natura fortuna.

v. 25. requieverat activo sensu, quod vulgo existimant, dictum esse non posse Iacobus demonstravit. Restat ut geminas Arctos pro accusativis temporis habeas, ut Tib. III, 6, 52.: longas requiescere noctes. Nec mirum, splendidum illud sidus quod per totam noctem appareat („Arctos Oceani metuentes aequore tingi" Virg. Ge. I, 246. οἵη δ' ἄμμορός ἐστι λοετρῶν Ὠκεανοῖο Hom. Od. ε'. 275.) pro nocte ipsa dici, ut Lucifer pro mane Prop. II, 19, 28. sidera in universum pro nocte I, 3, 38.; nam soles pro diebus plus quam pervulgatum est. At hoc ipsum Claudiani exemplo comprobat Iacob. (in Cons. Prob. et Olybr. v. 22.):

Haud secus ac tacitam Luna regnante per Arcton
Sidereae cedunt acies.

Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 152. Alcmenae autem quominus genitivum credamus, plurima impediunt. Nam longe aliter Meleager, iam a Barthio recte adhibitus (Anthol. Reisk. 341. i. e. ep. LXXXI. Ann. Br. T. I. p. 24.):

Ἤδη γὰρ καὶ πρόσθεν ἐπ' Ἀλκμήνην Διὸς ἦλθες.

nec magnum Iovem sic amicae nomine definiri aeque patiaris. Tum loquendi genus Propertio alienum, et quod maximum, si genitivum esse voluisset, Alcmenes scripsisset, Graeca positione, non Alcmenae. Cf. Q. P. II, 6. s. III. p. 164. eodem loco, quo v. 31. Andromachae e lecto reponendum esse demonstravimus.

v. 33. Intricatius paullo dicendi genus a nullo animadversum iure mireris, cum duobus subiectis unum quidem praedicatum tribuatur, ita tamen ut partibus eius praedicati iterum discretis ad singula subiecta singulae per mutuum nexae quasi eminus referantur. Similiter tamen Paneg. Messal. Tibull. IV, 1, 40.: Nec tamen hic aut hic tibi laus maiorve

minorve. 48.: Non Pylos aut Ithace tantos genuisse ferunt Nestora vel parvae magnum decus urbis Ulixem. Tacit. Ann. I, 55.: Nam spes incesserat dissidere hostem in Arminium ac Segestem, insignem utrumque perfidia in nos aut fide.

v. 38. sinit. Vulgo receperunt, quod sane plurimi libri tuentur, sinat. Sed sinit Neapol. cum secta sua et Mentel. tenet. Quod iure Lachmannus reposuit. Nam, quod ait Iacob., si quis cum est quicunque, et si quando quandocunque, indicativum postulant.

v. 39. irata — meo ministro. Iacob. ingeniose mero coniecit. Nihil muto. Levissimae enim sunt causae simultatum muliebrium. At, inquit, iure quaeratur, cur omnium causarum levium hanc potissimum poeta proferat. Credo, quia eo ipso tempore eius minister causa iurgii extiterit. Nec tamen haec quae familiaribus tantum nota esse poterant, fortasse etiam soli Cynthiae, indicare leviter in eo carmine licebat, quod non privatae tantum delectationi, sed communi usui destinatum fuisse ipsa editio testatur. Unde efficio, ut paulo ante hanc elegiam libri IV, 8. scripta fuerit, ubi v. 79. 80. Cynthia: Lygdamus imprimis omnis mihi causa querelae Veneat cett.

v. 41. Proverbium est Graecum (Stob. Serm. CX, 22.): *οὔτε ναῦν ἐξ ἑνὸς ἀγκυρίου οὔτε βίον ἐκ μίας ἐλπίδος ὁρμιστέον.* Add. Pindar. Olymp. VI, 170. (100.): *ἀγαθαὶ δὲ πέλοντ' ἐν χειμερίᾳ νυκτὶ θοᾶς ἐκ ναὸς ἁπτεσκίμφθαι δύ' ἀγκύραι.* ibiq. Dissen. qui citat Aristidis dictum: *ἐπὶ δυοῖν ὁρμεῖν* Panath. T. I. p. 110. Euripid. Phaethon. frgm. VI. Beck. et Solonis ap. Plutarch. Solon. c. 19. Blomfield. ad Aesch. Agam. 488.

v. 43. De *ἀποστροφῇ* paullo duriore cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 4. p. 113.

v. 44. et omnes libri mss. praeter Puccianum. Nec opus est illo in, cum etiam alibi verbum ponere cum solo ablativo coniunctum inveniatur (cf. El. II, 26, 57. IV, 10, 28. Q. P. II, 6. s. II. §. 18. p. 135.). Ceterum Beroaldi inventum: in nullo pondere verba loqui usque ad Lachm. omnes editiones occupaverat. Et habet sane vulgata, in qua iure offendas. Recte enim Iacob.: „Verba in nullo loco ponere plerumque est, nullam verbis auctoritatem tribuere: hic debet esse, nullius auctoritatis vel ponderis verba proloqui. *at random*, quod Angli aiunt.“ Et tamen, modo ea locutio idem sonet atque nihili aestimare, recte etiam, quamvis nove, is, qui multum et sine profectu semper loquitur, in nullo loco ponere verba dicatur; prodigus enim nequid-

quam est verborum. Atqui prodigus eam rem, cuius prodigus est, parvi aestimet necesse est.

v. 48. Ex dissonante librorum mss. quasi strepitu unam Vallani codicis vocem veram iure agnovisse puto Lachmannum: Cum recipi quem non noverit illa, putat; sic optime interpretatus: „Caecus ira amator, quia puella venire negat, statim alium recipi suspicatur, sine causa, quum puella eum, quem sibi praelatum putat, ne noverit quidem.“ Unum miror, accuratissimum emendationum Puccianarum ἀπόγραφον intactum reliquisse, quod in ed. Regiensi est, ille. Perreius contra sua manu in ora Aldinae: „Cum recipi quem non noverit illa putat c. Puccii.“ Neque ego hercle tumultuariis huius notulis, quas ex eiusdem exemplaris Reg. margine fluxisse comperi, plus quam illis fidem haberem, nisi ex Vatic. II. idem Burmannus annotasset. Quare dubito, an hic Iuvenatii librario humani aliquid acciderit. Ut tamen res est, contra universos libros nostros mutare temere quidquam veritus sum. Nec multum differat sententia: putat ille quidem recipi nescio quem, nec tamen novit, qui sit. Repetitum vero vers. breviori ille ne tibi nauseam moveat, cf. Q. P. II, 6. s. IV. p. 173. extr. 174. El. II, 25, 46.

v. 49. rursus cum quaerendo iunge. Puerum iterum iterumque interrogat, quae iam ex illo audivit, quo efficacius anxiam praestolantis curiositatem prodat.

Elegia XXIII.

v. 1. 2. Scaliger aliud agens scripsit indocto, quod indoctum exinde doctumque interpretum vulgus recinit, donec Lachm. codices in oblita iura restituit. Nam indoctum vulgus recti dici, vix Ovidii testimonio opus fuerit, quod tamen promere Lachmann. sustinuit: Metam. X, 308. At iniuria idem haec, quod Beroaldi inventum falso credidit, hacpropter reiecit, quod, utram viam Prop. diceret semitam vulgi, prioremne illam, an hanc quam nunc sequeretur, non satis constaret. Immo variata, nec tamen multum diversa metaphora eandem breviori versu, quam heroo rem, significari certum est. Antea enim vulgi ratione spreta nobiles modo amores expetisse se, nunc vero sententia mutata, cuius causas hoc carmine exponit, vilissimos quosque sectari se profitetur. Et recte ait, haec semita, i. e. quae nunc ante pedes lucet; nam nunc sequitur. Cf. II, 14, 17. Alterum simile, iam ex Pythagoreo illo praecepto: φεύγειν τὰς λεωφόρους notum, accuratius illustrabimus ad El. III, 1, 18. III, 3, 18. 26. Alterum dicti Callimachei admonet (ep.

XXX. Bentl.) ἀπὸ κρήνης πίνειν (cf. Hor. Ep. I, 3, 11.), quo vilitatem rei significari El. II, 14, 12. apparet: „Dicebar sicco vilior esse lacu"; siccum enim illic est exhaustum. Nihil igitur in se restare ingenio suo dignum ait, sed in sola ista trita hominum mediocrium cogitandi ratione se versari.

v. 4. Promissa verba quae sint, unus Iacobus intellexit. „Sunt enim, ut ille ait, verba, quae servus alienus promiserat, se dominae amatoris laturum esse." In qua interpretatione hoc unum improbo, quod vir ille eximius alterius servum ipsius puellae amatae servum significari non sensit. Nam suae nisi qui de industria ambigue loqui voluerit, ad aliud subiectum, quam quod verbo ferat continetur, referre non potuit. Cetera rectissime sunt. Vulgatum enim satis dicendi compendium, ut ad participium passivi eorum verborum quae personaliter q. d. poni sermo Latinus vel iubet, vel permittit, infinitivus passivus ex verbo aliquo finito suppleatur. Nec raro, si solvas verba, ἀναχολουθίαν quandam deprehendes. Sic Virg. Aen. X, 444.: socii cesserunt aequore iusso (iussi expectes; et sic, quod in grammatico non mireris, Servius legere maluit). Ovid. Fast. II, 388.: Et geminos in loca iussa ferunt. Unde falsum esse Burmann. apparet, qui Sil. Ital. X, 446.: iamque ordine iusso Obstringunt animas patriae, tentabat iussi. Facilius est, quod. Prop. El. II, 29, 20.: Et iam ad mandatam venimus ecce domum. Nam mandare etiam sine infinitivo usurpatur. Huc tamen refer Ovid. Met. III, 499.: Ultima vox solitum fuit haec spectantis in undam, et quae de simillimo usu adiectivi indignus observavimus ad El. II, 16, 16.

v. 7—10. Post casa demum interrogationis signum collocandum. Est enim percontandi genus id, de quo egerunt Drakenb. ad Liv. IV, 2, 12. Heindf. ad Hor. Serm. II, 5, 18. coll. Cic. Verr. III, 10. Ter. Andr. III, 5, 12. Krüger Gr. L. L. §. 571, 2. possis tum erit, impetraveris de te. Cf. El. I, 15, 37. I, 17, 1. II. I, 8, 5. 6.

v. 9. amari optimis libris commendatum cum Lachmanno retineo. Nec tamen absurdum, quod Heinsianus praebet: avari. Horatiani enim Marsyae admonet (Serm. I, 6, 120.), qui quamvis mutum marmor, vultum avari Novii ferre se posse negat. Vid. Scholl. ad e. l. At alterum, ni fallor, verius etiam. Nam plus quam uno nomine molestus esse solet difficilis ille et sordidus et morosus ostiarius.

v. 11. vertitur. Ingeniose, ut solet, Hemsterh. venditur. Nec vero ineptum quod libri praebent vertitur. Verti enim pro reverti dici, vulgatum est. Nox vero κατ'

ἔξοχὴν nox in amore peracta appellatur, unde demum illud ipsum vendere noctem dicere licuit. Sic III, 6, 34.: Noctibus illorum dormiet ipsa Venus. IV, 3, 11.: Hae pactae sunt mihi noctes! IV, 7, 39.: Quae modo per viles inspecta est publica noctes. III, 13, 1.: Quaeritis, unde avidis nox sit pretiosa puellis. II, 28, 62.: Votivas noctes et mihi solve decem. Ovid. Amorr. I, 8, 73.: Saepe nega noctem. ibid. I, 10, 47. Tibull. II, 6, 45. Petron. XCV, 7. Cic. Attic. I, 16, 2. Horat. Epod. XV, 13. Plaut. Asin. III, 3, 146. Ter. Heaut. II, 3, 125.

v. 13. reiecto libera amictu vulgo interpretantur: candida, non tecto pectore. Rectius domi relictam togam a meretrice intelligas. Sic enim passim tunicatus popellus per publicum vagari solebat. Cf. Iuvenal. Sat. III, 95. Ferrar. de re vest. IV, 24. p. 257. Tum reiecto libera amictu ad eam προλήψεως speciem referas, quae pleonasmi proxima est. Q. P. II, 6. s. II. §. 21. p. 140. Fortasse tamen doctius etiam aliquid hic latet, ut reiectus amictus ricinium seu recinium interpretandum sit, solenne illud nobilium matronarum amiculum, de quo Fest. L. XVII. Qu. XIII, 12. (84.) p. 274. Müller.: „Recinium omne vestimentum quadratum ii qui XII. interpretati sunt, esse dixerunt, quo, ut vir toga, mulieres utebantur, praetextum clavo purpureo". Dedimus verba S. Pompeii de Mülleri coniectura, partim de nostra reficta. Nam Varro L. L. V. §. 132. „ab eo quod dimidiam partem retrorsum iaciebant, ab reiiciendo ricinium dictum" censet. Eadem fere Serv. ad Virg. Aen. I, 282. Isidor. XIX, 25. Add. Varr. Vit. Pop. Rom. I. ap. Non. XIV. p. 542. Sed quis in loco tam tenebricoso non caecutiat?

v. 14. timore. Libri omnes. In Aldinis, ni fallor, primum tumore expressum, quod iure repudiavit Burmannus. Sic enim III, 14, 23.: Nec timor, aut ulla est clausae tutela puellae. et III, 12, 17.: Quod faciet nullo munita puella timore? Custodes igitur et puellae et amatori timorem faciunt.

v. 17. Differet recte Huschk. Ep. crit. p. 55 sqq. explicat diffamabit, ut I, 4, 21. I, 11. extr. Unde simul sequens garrula illustratur, quod Schrader. in grandia mutari voluit. Recte idem confert Philodemi epigramma ex emendatione Toupii in Suid. p. 216.: — *καὶ παρέχουσα — Πάντα καὶ αἰτῆσαι πολλάκι φειδομένη.* Horat. Serm. I, 2, 121. Rufin. epigr. in Anthol. Cephal. Reisk. p. 137. Agath. epigr. VIII. Ann. Br. T. III. p. 36. Martial. epigr. IX, 33. Adde prae ceteris El. III, 14, 29. 30. et quae illic annotavimus.

v. 21. Et quas. Invitis membranis omnibus, nec satis idonea causa Lachm., scilicet quia sensus exigeret, Haec, quas correxit. Cf. Q. P. II, 6. p. 129. §. 13. et de attractione ibid. p. 138.

v. 22 sqq. Postea demum quam Quaestt. edidi, ex Neapolit. et Dresd. refingendum esse vidi, quod in ordine versuum exhibui. Neque enim quo tandem errore ex notissimo verbo capiant librarii ad alterum illud iuverint, ne versui quidem conveniens, delabi potuerint, apparet. Contra, si in primo exemplo iuerint extabat, et vitii origo manifesta et emendationis. De forma vero iuerint pro iuverint vid. Interpp. Catull. de Coma Beren. v. 18. Krüger. Gramm. L. p. 120. n. 3. Ceterum de enallage adiectivi insolentissima cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 24. p. 144. de *ταυτολογίᾳ* vero versuum novissimorum ibid. §. 30. p. 160.

Elegia XXIV.

De dispositione carminis vid. Q. P. II, 5. p. 98. De sermocinatione vero, quae primis versibus obtinet, II, 6. s. II. §. 6. p. 117. Notum autem librum, unum significari primum elegiarum librum, eundem cui Cynthia nomen inditum esset, demonstrasse nobis videmur Q. P. III, 2. pp. 215. 220. Quamquam Iacobus Lachmanni partitionem secutus scrupulum inde natum sic tollere conatur, ut librum elegiam aliquam intelligat, qua adversarius per amorem Cynthiae diffamatus sit. At primo librum in universum pro carmine et elegia dici non tam certum est quam Iacob. censet (alia enim est Sermonum Horatianorum ratio), nec ille demonstravit, quo tandem carmine adversarium tam male laceraverit. Deinde vero illam sententiam ut nanciscatur, quantis equuleis miserum hoc carmen distorquet! Ab initio enim poetam loquentem facit, post fero vero (v. 2.) punctum minus collocat (:), ut v. 3. adversarii verba contineat. Tu loqueris vero dictum putat pro: Tu ais; hinc versum illum 3. pendere; deinde respondere poetam v. 4.: „Aut pudor ingenuus dissimulandus est (quod per zeugma efficit ex sequenti participio), aut amor reticendus.“ At subsultantia turpiter verba et compositionem ab omni parte hiulcam quis non detestetur? Deinde „loqui,“ prolatis eius, qui loquitur, verbis nisi adiecto „haec“ vel „sic“ neme unquam Romanus dixit. Artificium illud grammaticum taceo. Satis est, quam facile oratio fiat, indicare, si duos primos versus admonentis amici sermonem esse censeas; et enim illud in pentametro explicativum est, de quo usu egit Hand. de Particul. T. II.

pp. 478. 479. collat. ad Graecos Herm. ad Viger. p. 838. n. 323.; nos de hac compositionis lege prorsus Propertiana diximus Quaestt. II, 6. s. II. §. 30. p. 159. Unus tamen obstat scrupulus, quem nisi tollas, in progressu carminis identidem offendas: i. e. sudor v. 3. fine. Et facillima sane, si litteras solas spectes et erroris originem, Canteri coniectura est: sudore. At versus ὑπέρμετρος inauditus in poeta limatissimo, nec unquam a Propertio admissus. Restat igitur, ut ingeniosam Scaligeri emendationem: surdo ambabus amplectamur. Quaerit Lachmannus qua re pudorem tempora adspersisse dicamus? At si pudor tempora adspersit, nemo credo dubitare potest, qua re id fiat: scilicet aqua illa modo calida modo frigida (El. II, 22, 12.), quam sudorem Latinitas appellat. Pudor autem ingenuus recte dicitur index ingenuae indolis. Duplex enim est pudoris genus, facti alter, alter hominum. Ille poenitentiae proximus, quo quis permotus, si fortis est animus, errata emendabit, sin minus, certe culpae conscientia angetur; hic famam veretur et culpa secreta prodita, vel risum et contemptionem vel poenam timet. Pro hoc autem pudore ipsam causam ponit, amorem reticendum, i. e. amorem quem reticere satius erat, quia proditus poetam nunc viles sectantem perfidiae erga amicam arguebat. Vulgatus is participii futuri pass. usus, neque aliter dictum Horatianum illud Od. I, 3, 24.: impiae non tangenda rates transiliunt vada. Haec igitur sententia: Perfidiae me manifestum accusas, quod CYNTHIA mea edita fidei testationum plena (sive verus pudor esset, sive temere divulgasse amorem me poeniteret) vulgivagae Veneri operer. Et sane pudere me oporteret dicti, nisi Cynthia ipsa foedus violasset. Neque hercle nequitiae caput dicerer, si facilis mihi esset illa. „Quodsi“ enim v. 5. adversativa vi positum illustravimus ad El. II, 7, 15.

v. 8. Urerer praefero propter *συμμετρίαν*. Post quamvis editores omnes virgula distinguunt, quo aptum sensum effici nego. Neque enim (quae communis omnium sententia est) suppositicio hoc Cynthiae nomine infamiam poeta evitare poterat. Primum enim, si semel amare eum non diffitente ipso percrebuerat, quis tam nobilem mulierem elegantiores homines Romae latuisse credat, cui nobis post tot saecula personam detrahere contigerit? Deinde, utut verum nomen latuerit, num ficto minus infamiae paraturus erat, modo meretricio amore captum se confiteretur? Quin immo hoc ipso nomine, carminibus per omnium ora pervulgatis urebant Propertium. Hoc igitur ait: „Si mollis mihi Cynthia esset, non equidem viles sectando diffamarer: at ne ipso quidem

Cynthiae nomine. Hoc enim si mihi exprobrarent: at ego cautus verba darem. Fictam omnem amoris eius historiam et in oblectationem lectorum, quae poetae est licentia, inventam praedicarem. Et sane liceret, si ipsa mecum conveniens taceret. Infelicis contra amatoris in femina famosa eaque garrula mille sunt indicia. Nec tantum levium de plebe mulierculārum multae simul infamant, quantum istarum una." Ceterum urere, quod amatorium verbum hic esse existimant, de quavis animi irritatione dici observant Interpp. ad Terent. Eun. II, 2, 43. ub. v. Donat.; et in universum molestum esse significat. Iuvenal. VI, 259.: quarum delicias et paniculus bombycinus urit.

v. 11. Et cave cum Et v. 13. coniunctum, sensu distributivo accipias. Pertinet enim ad superiora, et idem fere sonat, quod praeterea. Nam causam non addi antecedentium verborum, manifestum est. Infamiam illic questus erat; nunc dispendia.

v. 12. Satius erat confiteri, nos de hoc delicatularum more nihil nisi quod ipse hic locus doceat, compertum habere, quam, quod Broukh. fecit, falsos provocare testes Plin. XXXVII, 2. Martial. V, 37. XI, 8. Et tamen optime ab illo eum usum firmatum e Plinio, Burmannus adiurat, et temere secutus est Kuinoel.

v. 13. Heins.: Et subit iratam. Sed de subita numeri mutatione cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 3. extr. p. 114. In voce autem iratum etiam Lachm. haesit. Et haerere debebat, si interpretum somniis fidem haberet. Nam alteri cupit poscere explicant cupide poscunt, alteri ad talorum ludum provocari poetam a Cynthia existimant. At illud certe Passeratius vidit, non sine irrisione sui haec dicta a Propertio. Inexpleta enim mulieris avaritia iamiam irascentem tantum abest illa ut modestia mitiget, ut nova munera emere eum iubeat. Ingratum vero, quod Lachm. reposuit, sensu passivo dici, i. e. cui gratia nulla referatur, usus Latinus vetat. Neque enim ullus eorum, quos citat locos, addicit. Nam Catull. 78, 3. molestum est, Virg. Aen. II, 101. Aen. VII, 425. Sil. Ital. IV, 549. de rebus dicitur, quae operae pretium non sunt. Denique Stat. Theb. I, 700. ingratis adverbium est.

v. 15. Libri vel Ah vel Ac. Corrigendum videbatur At. Ipse enim sibi obloquitur, qua in re neque ac illud explicativum, neque ἐπιφώνημα Ah, quod affirmantis est superiora, aptum erat, sed sola haec particula huic potissimum usui destinata. In fine versus pro sed me in editiones vulgares irrepsit verum, quod Scaliger tacitus nec, ni fallor,

volens reposuit. si me quod quidam codd. non infimae notae habent, unde venerit patet.

* * *

v. 17. Novum hic carmen ordiri, nemo non animadvertit; ita repugnant argumenta. Vulpium non curo.

v. 25. Lernaeas ad hydras. De vi et usu praepositionis cf. Q. P. II, 6. p. 134. Hand. Tursell. I. p. 98.

v. 27. ebibat. Lachm. subtilius, quam verius: imbibat correxit. Et immane revera esset, si omnem Oceanum certatim ebibere cum adversario se velle promitteret. Neque vero id dixit; nam undas quidem, nec tamen universas undas ut ebibat, poscit.

v. 30. protervus. Lachm. ed. Lips. superbus singulari aut operarum aut ipsius lapsu.

v. 31. se quod nescio, meone an operarum errore in ordine relictum sit, librariorum foetum existimo, qui iactare absolute dici ignorarent. Testis Nonius p. 1421. ed. Basil. Virg. Aen. VI, 816. Plin. Epist. III, 9. Hor. Sat. I, 3, 49. Stat. Silv. IV, 1, 6. Q. P. II, 6. p. 124.

v. 32. Discidium recte Lachm. restituit. „Non enim rixas futuras dicit, sed discessum.“ De frequentissima autem utriusque vocis confusione v. Gronov. ad Liv. XXV, 18. Broukh. ad h. l. et ad Tibull. I, 5, 4.

v. 35. De hyperbato cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 11. p. 123. Ceterum componere solenne in re funebri esse verbum, satis constat. Vid. Broukh. ad Tibull. III, 2, 16. qui citat Catull. LXV, 95. Ovid. Fast. V, 426. Valer. Flacc. VII, 203. Kirchmann. de Funn. III, 8. Heindf. ad Hor. Sat. I, 9, 28. Exquisitius tamen, quod non „me compones,“ sed „ossa mea“ Prop. dixit. Quod cum Porson. (*Tracts and miscellaneous Criticisms* cett. p. 381.) fieri posse negaret, hoc ipso Prop. loco et Ovid. Fast. III, 547. refutatus est ab Huschkio. Cf. Dissen. ad Tibull. l. l.

v. 38. non ita. Verissima Beroaldi coniectura de qua vid. comm. ad inscript. Libr. I. et proclivis erat librariis error in compendio *ñ ita*. Tamen si quis cum Heinsio et Lachm. haud ita malnerit, Gronovii subveniat observatio, qui ad Tacit. Ann. VI, 43. in codd. mss. pro haud vel haut saepe hau exarari solere docet. Quodsi huic loco accidit, simillima et paene promiscua litterarum *h* et *n* forma ultro effecit, quod nunc omnes libros obtinet, navita.

v. 45. Ineptiorem quam hunc versum in nostro poeta invenisse se negat Lachm. Ipse audet: Iam tibi I. votum est Medea, carina. Quodsi Medea pro vocativo habeat, quid

de brevieri versu fiat et de vocibus: „Et relicta,“ haud equidem perspicio. Tu vero iam artius coniunge cum Iasonia carina, et vide an satis apta haec evasura sit sententia: Notum tibi est, Medeam iam fuisse in nave Iasonis (iam ab illo tamquam uxorem avectam; de ablativo enim plane Propertiano vid. Q. P. II, 6. p. 136.); et tamen mox perfide desertam. Participio notus personaliter q. d. uti antiquum est poetis. Sic Propert. II, 3, 52.: Melampus Cognitus Iphicli surripuisse boves. De verbo autem substantivo frequenter omisso a Propertio v. Quaestt. II, 6. s. II. §. 12. p. 124. Restat ut de particula copulativa dicamus, cuius ea saepe est virtus, ut talia iungat, quae uno tempore esse nequeant, quo efficacius vel mutatae conditionis celeritas vel oppositarum rerum repugnantia significetur. Nam dum adversa in unum quodammodo cogitationis ambitum coguntur, contrarii vis paene in ὀξυμώρου speciem evadit. Alterum genus Sophoclis loco (Electr. 753.) optime illustratur, varie a criticis tentato: ἔπειτα δ' Αἰνιᾶνος — πῶλοι βίᾳ φέρουσιν — τελοῦντες ἕκτον ἑβδομόν τ' ἤδη δρόμον. Hinc nota illa dicendi formula: dictum ac factum Ter. Andr. II, 3, 7. Heaut. V, 1, 31. Alterum frequentius et quod magis etiam in nostri loci rationem cadere sentias. Soph. Oed. R. 1063.: οἱ δὲ συγγενεῖς μῆνές με μικρὸν καὶ μέγαν διώρισαν (coll. ibid. 1189 sq. Aiac. 376. Philoctet. 897. 1071.). Cui similimum Virg. Aen. XI, 427.: multos alterna revisens Lusit et in solido rursus fortuna locavit. Aen. VI, 334.: Stygiam paludem, Di cuius iurare timent et fallere numen. Hor. Epist. I, 3, 31 sq.: „an male sarta Gratia nequidquam coit et rescinditur.“ Alterum enim verbum primariam enuntiationem efficere, alterum appositi modo addi malis ut hoc loco: Medea, quae iam in carina fuerat, relicta est, et similiter in ceteris. Neque igitur aliter interpretandum censeo Ter. Andr. V, 1, 22.: „Nescio quid tibi sum oblitus hodie ac volui dicere“ — aut Lucret. N. R. V, 776. de solis lunaeque defectu: „Cum quasi connivent et aperto lumine rursus omnia convisunt,“ aut v. 1000 sq. frustra tentatum: „mare saepe coortum Saevibat leviterque minas ponebat inanes.“ —

v. 47. simulatum fingit. Cf. Q. P. II, 6. p. 158. §. 29. extr.

v. 49. De verbo conferre sine casu posito vid. ibid. p. 124.

v. 52. Pectora nuda. Ad evitandam dictionis ambiguitatem Scaliger rescripsit: pectore. Secuti sunt Broukh. Vulp. Barth. Improbat Lachm., qui tamen hac composi-

tione Graecismum (accusativum puta q. d. Graecum) eum ferendum negat. At non tam anxius ambigue dicta Propertius evitabat, quippe qui antiquis auribus scriberet, ex sententiis verba, non ex verbis sententias interpretari doctis. Cf. El. III, 10, 30. I, 8, 19. 16, 24. 11, 24. II, 20, 7. Prae ceteris vero III, 7, 19 sq.:

Nam tibi nocturnis ad saxa ligata procellis
Omnia detrito vincula fune cadunt.

Cf. comm. ad II, 15, 54. Q. P. II, 6. s. II. §. 10. p. 122. Quid vero Iacobus Ovidii loco (Met. VI, 59 sqq.) demonstrare voluerit, haud equidem intelligo. Pectora enim pro pectore quia Latine dicerentur, nemo esse potuit qui dubitaret.

Elegia XXV.

v. 1. 2. Locum, quem inter corruptissimos numerabant, ab omnibus criticis certatim vexatum, felicissima Iacobus interpretatione, quam exosculor, Propertio vindicavit. Hic enim unus „Saepe veni materialiter vel substantive" intelligendum esse perspexit, ut Quare II, 22, 14. ubi vid. annotata. In hoc uno tamen differo ab illo, quod pentametrum v. 2. non causam (quoniam) insequentium versuum continere censeo — sic enim compositio turbaretur, quam in interpungenda oratione non satis semper religiose observatam esse ab Iacobo, saepius animadvertimus — sed primi versus, atque adeo horum tantum verborum: meo dolori. Alloquitur enim Cynthiam: O tu, quae pulcherrima mihi cura nata, quamvis dolenti, quod tam raro admittor, unica tamen cura es; tua notissima fiet forma; semper enim unica cura eris (v. 9.). Cetera facilia sunt; nam curam puellam dici amatam, et dolorem ipsum dolentem significare, familiares sunt omnibus poetis et nostro maxime figurae. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 149 sqq. cf. El. I, 18, 13. Causam autem singulis saepe verbis interiectionis modo addi, praesertim post allocutionem notum est. Cf. Interpp. ad Virg. Aen. I, 65. Homer. Il. ω'. 334. Pindar. Olymp. IV, 3.

v. 5. depositis — secubat armis. Vulgo secubare explicant de milite e contubernio sociorum remoto. Friget doctrina. Nam simile in eo positum, quod armis valedicit, oneri senectutis, non quod commilitonibus. Pleonasmum autem in his maxime adiectivis, qui removendi et liberandi notionem continent, Propertio esse familiarem docuimus Q. P. II, 6. s. II. §. 29. p. 158.

v. 9. deducet omnes. Recte: nam „deducere non solum est deorsum ducere, sed etiam abducere, ut probavi

ad Aetnam Lucilii Iunioris v. 348." *Iacob.* Add. Horat. Epist. I, 2, 48.: non aeris acervus et auri Aegroto domino deduxit corpore febres. Frustra autem sunt, qui verbo illi metaphoram subesse a re militari ductam existimant (coll. Plaut. Amph. I, 1, 60. cui addas licet Liv. III, 62, 5. V, 38, 1. VI, 15, 9. XXXVI, 31, 6. Interpp. ad Sil. Ital. XV, 187.). Eodem iure a boum iugo (v. 6.) vel a navibus (v. 7.) petitum simile dicas. At nihilo plus translati inest, quam in verbo removendi vel abstrahendi.

v. 13. 14. De structura verborum variata cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 15. p. 136.

v. 17. sub limine amor, qui. Nihil tentandum. Limen enim non solum dicitur, quod sub pedibus est, sed forium quacunque patet margo, vel supernus. Novius Macco Exsule (ap. Non. Marcell. p. 1424. ed. Basil.): „Limen superum, quod mihi misero saepe confregit caput, Inferum autem ubi digitos ego omneis confregi meos." De vi autem et usu praepositionis sub, quem non recte explicuit Burm. ad Ovid. Metam. I, 689., cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 17. p. 135. ad El. III, 9, 36. Qui autem, quod compluribus de causis in exitu versus ferri posse Iacob. negat, plane Propertianum est. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 13. p. 129. Fortiter enim oppositum significat, in hac potissimum sede conspicuum, qua omnis versus impetus incumbit. Sed alibi quoque adversandi vis in eo pronomine inest, velut Ovid. ex Pont. III, 7, 21.: Spem iuvet amplecti, quae non iuvat irrita semper, quod prorsus idem est atque: sed illa non iuvat, quippe irrita semper. Cf. Schmid. ad Horat. Epist. I, 1, 85. I, 16, 33. I, 2, 46. qui citat Horat. Sat. I, 1, 36. I, 2, 48. Cic. de Orat. I, 1. init. de Senect. 3.

v. 20. Elegantissima hac figura, qua corpus animi voluntati repugnans poetae faciunt, in contrariam rationem usus est Meleag. ep. 20. Ann. Br. *αὐτόματος δ' ἄκων ποσσὶ ταχὺς φέρομαι,* ubi recte Iacobs. confert Tibull. II, 6, 14.: „Iuravi quoties rediturum ad limina nunquam? Cum bene iuravi, pes tamen ipse redit;" et Ovid. assiduus nostri imitator Rem. Am. 218.: Sed quanto minus ire voles, magis ire memento. Perfer et invitos currere coge pedes — ubi tamen non bene confusam esse figurae eius evidentiam, quis non sentiat? Ceterum cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 153.

v. 25. Pleonasmum illustravimus Q. P. II, 6. s. II. §. 29. p. 158. Quod vero particula quam v. 26. comparativum suum praegreditur: in tmesi vocum antequam et priusquam non ita rarus est is usus. Cf. El. II, 18, 10. Tibull. I, 3, 9. Nec tamen in aliis vocibus inauditus. Cf. Tib. IV, 1, 33.

Ov. Trist. IV, 9, 31. et quod iniuria sollicitarunt Copa v. 4.: Quid iuvat aestivo defessum pulvere abesse, Quam potius bibulo decubuisse toro.

v. 27. „Fortunae, inquit, confidere noli: mendaces isti venti sunt, si qui propitii amantibus flare videntur.“ *Lachm.* Recte. Alterum igitur adiectivum attributum est subiecti, alterum praedicato ludunt per ἐπεξήγησιν additum. Ludere enim verbum in promissis irritis atque adeo in fortunae inconstantia proprium. Vid. Interpp. ad Virg. Aen. XI, 427.

v. 33. semel ire memento. Ineptum censet Lachm. et Iacob., sed contrariis de causis. Alter enim: semel ire timeto, alter multo utique ingeniosius: simulare memento ei. At hoc voluit Propert., ut lentus poscenti amator sit, neve primum vocanti statim rebus omissis obediat. Cf. similia praecepta II, 33, 43. II, 14, 20. IV, 5, 30. Sin omnino non paruisset, timendum erat ne ob contumaciam causa caderet.

v. 35. Vexatissimus locus, quem tamen facillime expedire licebat, modo interpretes laxioris ablativi usus meminissent, quem in deliciis nostro esse Quaestt. II, 6. s. II. §. 18. p. 136. docuimus. Significantur igitur saecula illa, cum antiquis moribus puellae adhuc vigebant, „formosi temporis aetas“ (ut ait I, 4, 7.), quae merito grata appellantur amorem tutum expetenti. Alius fortasse dixisset antiquarum puellarum saecula. Sed eiusdem usus exempla etiam audaciora IV, 3, 63. II, 33, 15. II, 30. extr. 32, 11. IV, 10, 43. III, 2, 3. I, 4, 13. II, 34, 91. II, 13, 23. Quaestt. l. l. contulimus. Ne vero in adiectivo eo, quod vulgo cum dativo coniungitur, ambiguitatem fugere debuisse poetam opineris: hoc de genere et alibi eum securum vidimus (cf. Quaestt. ibid. §. 10. p. 123. comm. ad II, 24, 52.) et in ipso adiectivo gratus El. II, 2, 10. — Illud igitur sine casu positum (III, 17, 24. IV, 8, 30. I, 12, 7.), quoniam unde ille dativus repetatur obscurum esse non potest. Neque aliter acceptus (ad El. I, 6, 34.) et placet (II, 13, 24.). Quodsi sic etiam faciliorem orationem futuram fuisse dicas, si poeta scripsisset: si antiqua saecula essent: primum, non quod facillimum sit, sed quod efficacissimum, spectari ab eo reputandum est. Nam alias quoque illam hypallagen expetit, quo quadratior verborum textura fiat (Quaestt. l. l. §. 24. p. 143. comm. ad El. III, 21, 28.). Deinde vero non saecla antiqua in universum ut redeant, optare se significat, sed quatenus puellas alias procreaverint; denique ipsum illud adiectivum antiquum cum personarum nominibus iunctum paullo

aliud quid sonat ac tempus praeteritum: incorruptam nimirum morum frugalitatem et castitatem.

v. 40. sic cave ne imprecantis esse censeas. Obest enim, quod ab initio versus positum est: Quantum. Est potius: „cum officia in multos amores revocetis.“ Cf. ad El. I, 19, 16.

v. 43. Iacobus: „Argivas dici puto, ut geminae et mammosae cum gracilibus Romanis. conf. Lucret. IV, 1161.“ At hic certe Lucretius, quare Graecae et Romanae figura differant, non docet. Nescio igitur, unde eam differentiam resciverit; certe non e signis antiquis, quae, ut consentaneum est, Graecas potissimum mulierum facies exprimunt. At hae tenerae et decora symmetria et molli simul teretique membrorum argutorum flexu insignes. Romanae vero, ubicunque comparent et quantum ex hodierna populi natura coniicere licet, procerae illae quidem, sed pleniores et robustae et paene quadratae, alvo promissa, brevioribus cruribus. Cf. Rumohr. Quaestt. Itall. I. p. 78. et Castellani *Lettres sur la Morée* s. III. p. 266.

v. 45. Plebeium amictum in mulierculis togam esse maximeque pullam constat (cf. Becker. Gall. T. I. p. 323.). Coccinis vero (i. e. sandicis amictu) non modo nobiliores meretrices, sed honestissimas etiam matronas usas esse, contra Boettiger. (Sabin. II. pp. 91. 109.) certissimis argumentis evicit Becker. Gall. II. p. 96. Et rectius hoc nomine plebeium matronali habitui opponi censeo.

v. 46. Mirum, quod puella ipsa via vulneris dicitur, quam pro causa Latine poni nego. Semper enim via si translate dicitur, rationem vel instrumentum significat. Itaque eam allegoriam huic dictioni subesse existimo, qua Amor in genis oculisve puellae excubans hinc spicula sua dirigi fingitur. Cf. Interpp. ad Soph. Antig. 783. Hor. Od. IV, 13, 8. Pind. Nem. VIII, 2. Maxime vero ad nostram rem pertinet epigr. Meleag. 91, 10. Ann. Br. I. p. 26. *οὔ με λέληθας Τοξότα Ζηνοφίλας ὄμμασι κρυπτόμενος* et Strat. Ep. 23, 3. (Ann. Br. II. p. 364.) *σεῖο περισκιρτῶσι πρόσωπα Τοξοβόλοι ψυχέων ἅρπαγες ἀλλοτρίων.* Recte Iacobs. ad Meleag. l. l. confert epigr. Anthol. Lat. III, 212. p. 646. At Aristaenet. I, 1. p. 2.: *ὁ δὲ χρυσοῦς Ἔρως ἐπαίδευσε τὴν ποθουμένην εὐστόχως ἐπιτοξεύειν ταῖς τῶν ὀμμάτων βολαῖς* petius ad id genus pertinet, quod ad El. I, 1, 1. illustravimus.

v. 47. 48. De voce insomnia breviter, ut par erat, diximus Q. P. II, 6. s. III. p. 163. De extremo autem versu ibid. s. II. §. 28. p. 150.

Elegia XXVI.

De argumento et de dispositione elegiae vid. Q. P. II, 5. p. 83 sq. ibid. p. 86.

v. 1. Metrum ab initio, quod suspensum expectatione animum deceat, productis syllabis et inanibus caesurarum moris graviter incedit. A quarta demum sede factum atrox vehementiore pedum properantium inquietudine significatur. Quae omnis venustas perderetur, inculcato post Vidi: ego, quod Burmann. non recte ex codd. infimae notae obtrusisse Propertio recte Lachmannus arguit.

v. 5. Post comas v. 4. maius punctum tollendum est, ut recte habeat attractio pronominis relativi. Ad Graecum enim morem facta est, sic solvenda: Vidi te (talem), qualis erat Helle quam cett.: οἵην Ἕλλην. Cf. exempla a Matthiaeo congesta Gr. Gr. §. 472. T. II. p. 885. n. 1. Rarissimus hic usus apud poetas Latinos, et cui exemplum par alterum nondum invenerim. Vehementer enim distant, quae ab interpretibus afferuntur Hor. Od. IV, 4, 1. Virg. Aen. III, 641. Illic enim nulla attractio. Facetissima autem Kuinoelii interpretatio: te vidi talem, qualem ovis aurea vidit Hellen. Satin modestiam poetae admireris, qui se cum ove aurea comparet? Purpureos deinde fluctus ne splendidos in universum interpreteris: revera mare ventis agitatum vel carina attritum in meridionalibus potissimum orbis plagis, purpureum colorem sumit. Cic. Acad. II (IV.), 33.: Mare illud, quod nunc Favonio nascente purpureum videtur. Idem apertius in eadem re in eiusdem libri recensione priore ap. Non. II, 717.: Quid mare? nonne caeruleum? at (*sic* scribo pro eo, quod sine sensu legitur aut) eius unda, cum est pulsa remis, purpurascit. Furius ap. Gell. XVIII, 11.: Spiritus Eurorum virides cum purpurat undas. Hinc iam apud Homer. Od. β'. 428.: ἀμφὶ δὲ κῦμα στείρῃ πορφύρεον μεγάλ' ἴαχε. ν'. 85.: κῦμα δ' ὄπισθεν πορφύρεον μέγα θῦε. Quamquam iam apud illum in perpetuam maris appellationem transiit. Il. π'. 391. α'. 482. Ob eandem tamen causam a Virgilio (Ge. IV, 373.) purpureum dici I. H. Vossius non iniuria censet ad l. l.

v. 7. Quomodo coniungenda sint haec verba, docuimus Q. P. II, 6. p. 122.

v. 8. Atque tua. Miror ni Propert. scripsit Teque tua. Nam inter 43 locos, quibus ea particula usus est Propertius, unus tantum extat fidei indubitatae, ubi ante consonantem est; isque in αἰτίοις El. IV, 2, 52.: Atque Sabina feri contudit arma Tati. Alibi semper vocalis sequitur; ante

consonantem autem ac ponitur, usu constantissimo. Nec tamen in his, quorum omnis apud libros mss. auctoritas est, quidquam mutare ausus sum. Cf. ad El. III, 13, 39.

v. 10. excepi per Ictorum formulam interpretantur doctrina putida. At ne simile quidem illud exceptionum genus votorum rationi. Excipere potius votum, est suscipere votum, quod vulgo aiunt voti se damnare. Nam excipere pro suscipere Latine dici optimis testimoniis firmat Cort. ad Cic. Epist. Famill. X, 7. Mox iam Beroaldi exemplo in tum vulgo mutaverunt. Iniuria; nam unde error talis librariis venerit, in contrariam multo facilius rationem peccantibus, nequaquam apparet. At recte, ni fallor, Iacobus sensit, alia vi hic Leucothoen iam implorari, cui soli addatur divinitatis cognomen, atque reliqua numina. Hoc igitur vult: iam ad te me converti, Leucothoe, quae simili quondam periculo per undas iactata misera mulier, dea facta sis naufragis propitia. Nec tamen ideo cum eodem Iacobo: iam dea artius coniunxerim. Iam enim, si ad tempus refertur, non ita pridem factam mutationem significat, cum satis, credo, diu esset, ex quo dea facta erat Ino. Praeterea si hoc voluisset, accuratius locutus esset, ut El. II, 28, 61.: Redde etiam excubias, divae nunc, ante iuvencae. Ad formam nominis deae quod attinet, Leucothoe et hic et El. II, 28, 20. omnes codd. tutum retinendum esse censui. Nam ubicunque apud poetas Romanos Leucothee occurrit, criticorum emendationibus invectum est. Virg. Cir. v. 396. Stat. Theb. I, 13. VI, 12. Hygin. fab. 125. 224. Serv. ad Virg. Ge. I, 451. Lactant. I, 21. Ovid. Fast. VI, 545. Quid autem Boni librarii, quibus Orchami filia (in hac enim o litteram VV. DD. probant ad Ov. Metam. IV, 208.) nequaquam notior aut magis cordi erat, quam Mater Matuta, hanc illius nomine expellerent? Praeterea Propertium Leucotheen non scripsisse certum est. Nulla enim causa fuit, quin formam legitimam (Leucotheam) metro aeque atque alteram convenientem retineret. Hoc autem si addicat, insolentiorem non expetere eum Q. P. II, 6. s. III. p. 163 sq. vidimus. At Leucotheam et Leucothoen diversas tantum eiusdem nominis positiones esse existimo. Neque enim ex *Λευκός* et *θεά* sed ex *λευκός* et *θέειν* (unde adi. *θοός*) compositam esse vocem, Homerus ipse et qui Iade lingua scripserunt omnes auctores testantur. Nam cum nunquam *θεά* in *θεή* secundum leges eius sermonis mutetur (cf. Herm. ad Hymn. Ven. 191.), *Λευκοθέην* tamen scriptum invenies Od. *ε'*. 334. Mirum, ni eadem codd. discrepantia in codd. mss. Graecis invenitur, quae in Latinis. Quod accura-

tius inquiri, operae sane pretium sit. Apud hos certe aut Leucotheam aut Leucothoen, non Leucotheen scribendum esse constat.

v. 15. ob invidiam. Sic libri mss., ut videtur, omnes. Alterum ab editoribus Italis inventum est. Probum tamen ob esse causam indicans Lachm. demonstravit coll. Virg. Aen. X, 852. XI, 549. Idem v. 17. Propertio reddidit: subsidio, cum Broukh. et Burm. ex Heinsiano aliisque infimae notae codd. subsidium eruissent.

v. 18. Ne mireris, Arioniam petius lyram, non ipsum Arionem a delphino sublatum dici, cf. de metonymia Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 153. Ovid., ut solet, apertius Fast. II, 82.: Lesbida cum domino seu tulit ille lyram. Magis Iuvenali talia placuerunt, qui non modo sanguinem et cervicem pro hostia posuit (Sat. XII, 13.), sed pyxidem et gladium pro arte gladiatoria atque adeo (XIII, 25.) sportulam pro clientibus. Similiter tamen etiam Ovid. Fast. VI, 796.: Cum data sunt trabeae templa Quirine tuae, i. e. tibi trabeate Quirine. Cf. ad El. I, 6, 19.

v. 21. Intime haec cum priore parte elegiae cohaerere indicavimus Q. P. II, 4. p. 77. II, 5. p. 83 sq. Quo enim pulcherrima illa somnii visio, nisi ad certum finem et exitum ducat? An in famum temere abire omnia dicas? Prooemium tu potius ista puta, quo reliquum carminis argumentum ἀλληγοριχῶς praeformetur. Diis carmina et pium poetam cordi esse, Arionis exemplo subindicat. In poetae gratiam vel eos servari, quos ipse amet, delphinus decet, qui periclitanti puellae suppetias fert, idem illud animal, quod Musis amicum alii quondam poetae gratificatum erat. Fidem vero suam in extremis periculis ipse Propertius testatur de saxo summo se missurus. Iam igitur velut sacri somnii interpres ipsum orditur carmen, singula clarius repetiturus.

A. (v. 21. 22.) Falso pulcherrimae puellae amore potitum me miraris? B. (23.) Da aurum contra. C. (v. 24.) ego poeta potior ero. B. (v. 25. repetitur idem argumentum): Da divitias. C. (v. 26.) carmina potiora erunt. — et praeter carmina (C'. v. 27.) fides praepollet. B. (v. 28.) divitiae — C. (id. vers.) prae hac sordebunt. At ego fidelissimus. Haec autem pars extrema iam accuratius pertractatur, ut in ipso exitu fortior etiam clausula efficiatur. Omnia enim (v. 29—44.) vel praesentem ex naufragio mortem facile, modo cum illa sit (30—34. 41—43.), perpessurum se esse. (Nam in hac etiam parte bene articulatam invenies dispositionem: α. v. 29. 30. β. 31—34. α'. 35—40. β'. 41. α''.

42, β'. 43. γ. 44.) Sed (b. 43—56.) di melius; tantam fidem admirati nos servabunt clementes. At (c. 57. 58.) ni servaverint, utut erit, optime erit. Ne tamen maris tantum pericula et naufragium, neve deos marinos aut cum Arione delphinum instar omnium posita et velut in exemplum ficta existimes, consideranda est universi elegiaci generis ratio, quod tanto magis probatur, quanto accuratius, occasione certa natum, veras causas persequitur. Itaque quin revera peregre et trans mare profecturae comitem se poeta promiserit, dubitandum nego.

v. 23. Cur Croesi flumen Pactolus dicatur, ad divitias summas significandas, nemini ambiguum est. Magis dubites, cur post Croesum Cambyses potissimum appelletur, nec Cyrus vel cuicunque alii regi Persarum opibus praepollenti Lydia subdita erat. Neque ego causam idoneam noverim, nisi Cambysem maxime rapinis famosum gazam auro Lydorum ditasse dicas. Leve tamen illud argumentum, et quo corruptionis suspicio non prorsus eximatur. Habet autem Burmanni coniectura iam Gygae, quo se eximie commendet. Gyges enim instar omnium divitiarum Lydiae auctor perhibetur, nec solum ab Archilocho et Anacreonte (Od. XV, 1 sqq.), quos Burmannus ipse citat, sed ab aliis etiam. Alpheus Mitylen. Anthol. Pal. IX. ep. 110. Ann. Br. II, 129. n. 4.: *Οὐ στέργω βαθυληΐους ἀρούρας, οὐκ ὄλβον πολύχρυσον, οἷα Γύγης.* Alex. Aetol. Anthol. Pal. p. 319. Ann. Br. I, 419. ep. 3. *καὶ Μούσας ἐδάην Ἑλικωνίδας, αἳ με τυράννων θῆκαν Δασκύλεω μείζονα καὶ Γύγεω*, et Herodoto teste (I, 14.) *ὁ δὲ χρῦσος οὗτος καὶ ὁ ἄργυρος, τὸν ὁ Γύγης ἀνέθηκε* (Delphis) *ὑπὸ Δελφῶν καλέεται Γυγάδας ἐπὶ τοῦ ἀναθέντος ἐπιθυμίην.* Cambysis vero nomen, multo quam Gyges erat librariis notius, quam facile ex his literis effici potuerit, patet. Quodsi recte se habet Burmanni coniectura, utrum Gygae flumina Pactolus, an lacus Gygaeus intelligendus sit, dubitare possis. Cf. Klausen. de Aenea et Penatt. T. I. p. 19. n. 66.

v. 25. Nam mea c. r. I. H. Vossius coniecit me. Frustra. De hyperbato enim, quo in alterum enuntiatum substantivum transmigrat, cuius attributum iam priore parte erat occupatum, cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 11. p. 123. et El. II, 24, 35. add. II, 19, 23.; et quae Ovidius habet plurima id genus etiam audaciora. Ac simillimum nostro loco Ep. ex Ponto IV, 2, 37.:

Hic mea cui recitem, nisi flavis scripta corallis?

Fast. I, 387.:

Quod semel est triplici pro virgine caesa Dianae,
Nunc quoque pro nulla virgine cerua cadet.

ibid. 405.:

Hic fuit Euander: qui, quamquam clarus utraque
Nobilior sacrae sanguine matris erat.

Cf. Lucret. I, 361.:

Nam si tantundem'st in lanae glomere, quantum
Corporis in plumbo'st.

Nam intricatius genus, ubi verbum aliud intercesserit, velut Ovid. Trist. I, 3, 101.:

Vivat et absentem, quoniam sic fata tulerunt,
Vivat, et auxilio sublevet usque suo.

et quod ad hanc normam explicatum recte in cod. Heidelberg. exhiberi apparebit Metam. I, 546.:

Quae nimium placui, tellus, ait, hisce, vel istam
Quae facit ut laedar, mutando perde figuram.

Durissimum vero, cum alterum nomen ne pertineat quidem ad id enuntiatum, ubi collocatum est, quale est Lucret. VI, 204.: Hac etiam fit, uti de causa mobilis ille Devolet in terram color, vel Horat. Sat. I, 5, 72.: Paene, maoros, arsit, dum turdos versat in igne. Unde explicandum Ovid. Trist. IV, 5, 9.: Temporis, oblitum, dum me rapit impetus huius, Excidit heu nomen quam mihi saepe tuum — ubi cave oblitum ad me referas; est enim passive dictum.

v. 27. Quibus argumentis hi versus defendantur, vid. Quaestt. II, 6. s. IV. p. 175 sq. Ibid. s. III. p. 164. docuimus, et v. 37. et El. II, 9, 7.: Ulixem ex codd. mss. fide legendum esse.

v. 36. frigidus Auster. Puccius turbidus. Non male; vid. enim Iacob. Nec tamen quicquam muto. Redolet enim illud coniecturam viri docti, cuius acumen Austrum frigidum concoquere non potuerit. At tu cf. Voss. ad Virg. Ge. IV, 261. III, 279. I, 259.

v. 37. Gronlng. veri vestigia servasse patet. Unde enim illius librarius contra sententiam, ceteroquin planissimam Quodcunque effinxisset, nisi simile quid in exemplari suo legisset? At Quicunque hinc emendare ceteris promum erat. Sententia enim postulare videbatur.

v. 39. rudis Argus primus Volscus, sive libros mss. secutus, sive de coniectura, verissime tamen scripsit. In libris autem quibusdam Italorum inventum potius quam ab ipso excogitatum crediderim, et propter crassum viri ingenium, et quia aliter legi Beroaldus, satis alioquin ab hac parte diligens, non annotavit.

v. 41. Broukh. non usquam correxit, quia scilicet

superiora id requirere viderentur. Taedet semper eiusmodi licentias refutare. Probum est, quod omnes libri habent: non unquam.

v. 47. Unice verum esse, quod ex Neap. dedimus, primus Iacobus sensit, recte sic interpretatus: „modo aquam deus excuteret, seu aquae pretio eius libidini cessit, hanc fabulam Propertium secutum esse, v. 29. (i. e. 49.) aperte docet ferre est pretium deferre.“ Nihil addo. Nam quamvis maxime in ea re narranda auctores discrepent, in hoc tamen consentiunt, ut Neptunus sive pretium concubitus, sive in memoriam rei, fuscina terrae illisa aquam elicuerit. Cf. Apollod. II, 1, 4. Hygin. f. 169. Lactant. ad Stat. Theb. II, 433. Schol. ad Eurip. Phoeniss. v. 195. Schol. Apollon. Rh. III, 1240. Christodor. Ecphras. v. 67. Anthol. Pal. I. p. 40. Ceterum in fine versus verum, ut toties, Bernhardini Vabae libro debetur. Vetus enim erat error arvis, quod quomodo et cur ex Argis a librariis depravatum sit, nunc exponere non attinet, modo immane frigere fatearis, quod reliqui libri, vel optimi, exhibeant. Mox v. 48. Lerne, non Lernae scribendum esse coll. Q. P. II, 6. s. III. p. 164. apparebit.

v. 49. Voverat ergo Neptunus fontes se illi daturum, si sui copiam sibi fecisset. Iam votó potitus terram tridente perculsit. Hinc duas res colligo, primum amplexu non eum esse, quem interpretes censent, dativum pro amplexui, sed ablativum pretii. Deinde falso corrigi a Lachmanno: et illi. Quamquam enim eo eventu votum solutum est, quod aquam urna profudit, mutatum tamen subiectum q. d. logicum adversativam particulam poscit. Sic Ovid. Met. I, 283. loco et argumento et compositione nostri simillimo:

Ipse tridente suo terram percussit: at illa
Intremuit, motuque sinus patefecit aquarum.

Lenier etiam oppositionis vis Hor. Sat. I, 5, 58.; et tamen eandem coniunctionem sententia requirebat:

O tua cornu
Ni foret exsecto frons, inquit, quid faceres, cum
Sic mutilus miniteris: At illi foeda cicatrix
Setosam laevi frontem turpaverat oris.

Alia vide, quae ex Propertio collegimus Quaestt. II, 6. s. IV. p. 170. et ad El. I, 20, 49.

v. 51. negavit. Livinei. correxit negabit propter mitescet et erunt. „Ista vero alio pertinent. — Amymone Neptunum amori facilem testificata est, Boream Orithyia.“ *Lachm.*

v. 53 sq. Multum in refingendis his versibus critici desudarunt. Et vulgo apertam Italorum interpolationem recepe-

runt, quam iam Puccii codex expressit. Quod quam falsum sit, Lachm. docet. Neque enim revomitis aquis, sed vorantibus Charybdin perniciem navigantibus minitari. Ipse vero nec usquam correxit, sic interpretatus: „Nusquam ipsis Charybdin fore dicit, omnia maria tuta ac placida.“ At per, hercle, mirum esset, si qui modo Scyllam mitem quidem, sed esse tamen amantibus scripsisset, idem nunc in rerum natura esse illis Charybdin negaret. Quinimmo qui Scyllam mitescere dixerat, Charybdin etiam dicere debebat, et, si quaeris, dixit, modo negationem, quae coniunctione neque continetur, non ad omne quod sequitur enuntiatum, sed ad solum participium referas; ut haec sit sententia: Nobis mitescent et Scylla et Charybdis, nunquam, ut aliis solet, alternante aqua vorans. Prorsus Propertianus hic usus; multo enim etiam quam nostro loco durius II, 28, 52.: „Vobiscum (est) Europe, nec proba Pasiphae“, quod qui ad vulgares Latinitatis normas exigeret, sententiam plane contrariam eius, quam poeta voluit, efficeret: est enim idem quod „et non proba“ sive „et improba.“ Cf. El. IV, 7, 13. 66.

v. 56. Recte comparant Theocrit. Id. VII, 52.: *Ἔσσεται Ἀγσάναπι καλὸς πλόος ἐς Μιτυλάναν, Χὤταν ἐφ' ἁσπερίοις ἐρίφοις νότος ὑγρὰ διώκῃ Κύματα κωφίων ὅτ' ἐπ' Ὠκεανῷ πόδας ἴσχῃ.* Add. Callim. epigr. XIX, 6. Bentl.

Elegia XXVII.

v. 1. At. Lachm. Et correxit. Sed vid. Quaestt. H, 6. s. II. §. 14. p. 130. Admirationem enim etiam, non tantum, quod Lachm. ait, indignationem ea particula significari recte observat Hand. de Partic. I. p. 440 sq. n. 2.

v. 3. Phoenicum inventa. Nemo recte explicuit. Neque enim Phoenicum inventa quaeri dicuntur, sed quaerere, quae sit stella commoda, quaeve mala — ea ipsa sunt inventa Phoenicum. Est igitur structurae genus, quod a Latinis grammaticis parum observatum appositionis nomine Bernhardyus appellat Synt. Gr. c. 3. 27. III. p. 127. Ad *ἐπεξήγησιν* rectius vel *πρόληψιν* debebat referre. Nam in accusativo tantum hoc genus apparet, quod saepe pro parenthesi ab interpretibus, sed falso acceptum omnem enuntiati eventum breviter comprehendit. Vid. comm. ad El. III, 3, 4.

v. 5. sequitur (sequimur Keil. mavult propter coniunctam N. et Mentel. auctoritatem) et deinde v. 7. fletis,

mox v. 10. tuis. De persona mutata cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 5. p. 116. Fortasse poetae animo epigramma Platonis obversabatur Anth. Pal. p. 246. Ann. Br. I. p. 107. n. 25.: *Ναυηγοῦ τάφος εἰμί· ὁ δ' ἀντίον ἐστὶ γεωργοῦ· ὡς ἁλὶ καὶ γαίῃ ξυνὸς ὕπεστ' Ἀίδης.*

v. 7. fletis c. acc. et infinit., deinde cum accusativo nominis, mox cum coniunctione ne iunctum illustravimus Q. P. II, 6. p. 156. ad El. II, 7, 6. Amplius cf. comment. ad El. IV, 5, 35.

v. 9. Lachm. contra omnes libros dominisque ruinas. Putide enim repeti ait domibus, nulla vi nullaque gratia. At putidior etiam quam *ἀναφορά* illa, a Propertio non raro posita (cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 1. p. 107 sq.), *παρονομασία*, quam Plautinis versibus dignam ne semel quidem hic noster admisit. Praeterea eidem rei flammas atque ruinas et eodem modo minantes intelligi, simplicitas orationis postulat. Quis autem ruentem dominum ferat? Denique cum variae res enumerentur, quae interitum cuilibet minantur, quid refert dominum esse? An tuti in ruente domo inquilinae? Quid forte praetereuntes? qui pariter cum dominis elidantur. Dativos igitur illos ut recte intelligas, participium „obiectum" vel simile quid ex v. 7. suppleas.

v. 11. quando periturus. De verbo substantivo in interrogatione q. d. obliqua et modo coniunctivo durius omisso v. Q. P. II, 6. p. 124. Sic tamen Ovid. Met. III, 720.: Illa, quid Actaeon, nescit. Horat. Ep. I, 3, 30.: Debes hoc etiam rescribere, si tibi curae — Munatius, ubi vid. Obbar. ap. Schmid. Duriora etiam ap. Tacitum observavit Krüger. Gramm. Lat. §. 665. n. 2. p. 912. De vi et usu praepositionis *a* v. comm. ad El. III, 11, 24. IV, 8, 84.

v. 13. Quaerunt interpretes utrum remex de ipso amante sit intelligendum, an, quod verborum ordo iam vetuit, de Charonte. At ipsas animas remigasse, et Virgil. testatur Aen. VI, 320. et Aristophaneus ille Dionysus dolens sensit (Ran. v. 201 sqq.).

v. 15. Magna in hac voce vel optimorum librorum discrepantia. Nec tamen mirum; nam ambiguum in codd. mss. litterarum *cl* et *d* discrimen, et facillima litterarum *m* et *n* transpositio. Recte tamen Iacob. damnatum praetulit. Primum enim clamantis ante revocaverit vacat; deinde iure ille, quae aura clamantis sit, quaerit. Nam famae aura (Virg. Aen. VII, 646.), quam vulgo Interpp. huc referunt, alia est et servat propriam lenis spiritus significationem. Contra aura est splendor et imago eminus obiecta; sic, quod idem Iacob. citat, Horat. Od. II, 8, 24.: metuunt —

miserae Virgines nuptae, tua ne retardet Aura maritos. Putida enim, si ulla eius loci interpretatio, qua a foetore bonam subantium metaphoram ductam censent. Spurcissimum simile et a quo absterrere debebat viros doctos Lucret. IV, 1173. qui ad rem teterrimam significandam eo utitur. Tu contra cf. Virg. Aen. II, 204.: Discolor unde auri per ramos aura refulsit. Georg. II, 47.: luminis auras (quamquam illic nunc oras reposuerunt: sed cf. Weichert. Epist. crit. p. 55 sqq.). Priscian Perieg. 1020.: aura viridi quae splendet Iaspis. Originem eius significationis indicat Lucret. IV, 253. accommodate prorsus ad captum veteram.

v. 16. Nisi communis hic omnium poetarum locus esset, expressum diceres Philet. ap. Stob. Floril. CXVIII, 3. p. 599. frgm. 5. Bach.: *ἄτραπον εἰς Ἀίδεω Ἥνυσα, τὴν οὔπω τις ἐναντίον ἦλθεν ὁδίτης.* Sed cf. ad El. IV, 11, 4.

Elegia XXVIII.

De argumento et dispositione carminis diximus Quaestt. P. II, 5. pp. 86. 87 sq.

v. 2. De participii usu cum metonymia cognata cf. ibid. II, 6. p. 155. Nam iciunior in talibus figuris Ovidius, velut interpres huius loci Amorr. II, 11, 35.:

Vestrum, ait, *crimen erit talis iactura puellae.*

v. 8. ventus et unda rapit. Diversa miscent, qui El. I, 8, 12. et IV, 11, 6. comparant. Neque aliter interpretes ad Horat. Od. I, 20. init., quamvis illic diligentior ceteris Mitscherlichius. Itaque ut tandem diversi formulae huius usus ad locos suos quisque referantur, operae pretium videatur. Primum enim omnia quae pereunt — auferri procellis vel aquam et terram fieri dicuntur, ut in votis El. II, 16, 46., quod dictum ab Homero repetitum (Il. η'. 99.: *Ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε*) recte interpretes coll. Ovid. Amorr. III, 8, 66. Tibull. I, 10, 11. illustrant. Add. Euripid. Herc. Fur. 651.: *γῆρας μισῶ, κατὰ κυμάτων δ' ἔρροι.* Huc etiam pertinere aio El. IV, 6, 9.: Ite procul fraudes, alio sint aere noxae. Iam vero cum res quae mente tantum et sensibus continentur, dolores dico aliosque animi affectus, voluntate saepe sentientis vincantur: talium si quis obliviscitur, ventis et undis tradere ea dicitur, ut Horat. Od. I, 26. init.: tristitiam et metus tradam protervis in mare Creticum portare ventis, ubi recte Mitscherl. Claudianum cft. de B. Get. v. 205.: mandemusne Noti flabris, quoscunque timores pertulimus? Apollon. Rhod. I, 1335. Anacr. Fr. 2, 9. Quinim-

me cum res, quas contemptu et oblivione irritas quidem facere non possumus, tamen ut nobis certe perinde ac si non sint, videantur — in universum ea locutio idem valet quod nihili vendere, flocci facere, velut Horat. Od. I, 25. extr.: Aridas frondes Hiemis sodali dedicet Euro, et Euripid. Troad. 419.: *καί σφι ὀνείδη ἀνέμοις φέρεσθαι — δίδωμι.* — Hinc denique diversae significationes existimandae sunt, quibus dicta ventis rapi perhibentur. Etenim si verba illa vel preces vel iussa mandata continent, haec tum irrita fiunt, si eventu carent. Quod aut casu accidit ut ap. Virgil. Aen. IX, 312.: Iulus Multa patri mandata dabat portanda: sed aurae Omnia discerpunt et nubibus irrita donant — aut eius culpa, ad quem verba precesve mittuntur, i. e. iniuria et contemptione audientis. Hic igitur verba ventis rapi finguntur, quae quippe non exaudita, auribus deorum hominumve aversa videantur. Sic Ovid. Amorr. I, 8, 106.:

Haec si praestiteris, usu mihi cognita longe,
Nec tulerint voces ventus et aura meas —

et Theocrit. Id. *κβ'*. 167.:

Ἴσχον τοιάδε πολλά· τὰ δ' εἰς ὑγρὸν ᾤχετο κῦμα
Πνοιὴ ἔχοισ' ἀνέμοιο.

Frequentissima vero de diis, ut El. I, 8, 12. et IV, 11, 6. Tibull. I, 5, 35. Callim. Anth. Pal. V, 88. ep. 6. Ann. Br. I, 463. ep. 9. Iam vero de alio genere, cum sacramenta et promissa ii ipsi, qui promiserunt, non exsequuti esse significantur: dubitare possis, utrum metaphora ad superiorem illam rationem pertineat, qua ventis tradere in universum idem fere est, quod oblivisci, an de diis cogitandum sit, qui imprecationes iurantium non exaudiverint. Alterum tamen hoc persuadeat Lygdamus (Tibull. III, 6, 49.): — periuria ridet amantum Iuppiter et ventos irrita ferre iubet, et ipse Propertius, quamvis sententia contraria, II, 16, 47 sq. Alteri vero opinioni Catulli locus faveat XXX, 10.: tua dicta omnia factaque, Ventos irrita ferre et nebulas aerias sinis. Add. eund. LXIV, 59. 142. Utut est, sententia tamen aperta, qua peierantium levitas notatur. Nec dubium est, quin eodem et hic ipse locus referendus sit et Ovid. Amorr. II, 16, 46.:

Verba puellarum fidis leviora caducis
Irrita, quo visum est, ventus et unda ferunt.

et Meleag. Anth. Pal. V. p. 89. ep. 8. Ann. Br. I, 21. ep. 71.:

Νῦν δὲ μὲν ὄρκια φησιν ἐν ὕδατι ταῦτα φέρεσθαι —

ubi certum est, errasse scholiasten, qui haec adscripserit: *παρὰ τό· ὄρκον εἰς ὕδωρ γράφειν.* Hac enim locutione

non eum qui promisit, non statisse promissis, sed eum cui promissum est, nihili fecisse promissa significatur; quale est Xenarchi illud ap. Athen. X. p. 441. E.: Ὄρχον δ' ἐγὼ γυναικὸς εἰς οἶνον γράφω. Unde explicandum, non emendandum intelligo Catull. LXX, 4.: mulier cupido quod dicit amanti, In vento et rapida scribere oportet aqua. Hoc enim genus quam simile sit, aut potius idem atque illud quod in Euripidis loco (Troad. 419.) supra illustravimus, satis patet. Quid enim aliud est, quam: oblivisci debes mulieris verborum, et quasi non dicta sint, existimare. Huc denique Homeri locus alter facit Od. Υ. 409 sq.: ἔπος δ' εἶπερ τι βέβακται δεινὸν, ἄφαρ τὸ φέροιεν ἀναρπάξασαι ἄελλαι, quamvis causa, cur verbum oblivioni tradatur, longe diversa.

v. 9. Error est Lachm. in ed. Berol., qui a Puccio sic ut exhibuimus emendatum significat, Groning. vero cum ceteris alteram scripturam illa peraeque tribuit. At uni Groningano salutem debere hunc versum, satis explicite in ed. Lips. idem docuit Lachm. et ante eum in illo codice ipsa paremque legi Broukh. et Burm. testati sunt. Nec quicquam melius. Versu vero breviori quamvis eiusdem Lachmanni facilis sane coniectura Per se iam Hamburg. libri assensum nacta sit, persanatum tamen eum locum haud crediderim. Nam nescio quid *καχόζηλον* habeat illud Per se. Satis enim erat invidiosam deam dixisse, ut, quid Cynthiae timendum esset, appareret. Puto Propertium scripsisse:

Semper formosis invidiosa dea est.

Quantulum enim, si mutatas, ut toties, literarum sedes ponas, sēp et pse distent, rei diplomaticae gnari sciunt. Sic statim v. 13.: Semper formosae non nostis parcere verbis. Et decet anaphora orationem admonentis et nota oblitae semper puellae repetentis.

v. 11. Pelasgam Iunonem Argivam dici, non quod interpretes volunt Graecam in universum, coll. Apollon. Rhod. I, 14. Dionys. Perieg. v. 334. Herod. II, 50. Boettiger. de Graecorum artificum Mytholog. Lib. II. ad interpretationem Prop. German. p. 196. docuimus.

v. 12. De verbo substantivo insolentius omisso vid. Q. P. II, 6. p. 124.

v. 17. Io versa caput. Ruhnken. de vacca explicat cuius caput, dum mugiret, in terram esset inclinatum. At vaccae mugientes extollunt caput. Kninoelius vero rara metonymia partem pro toto positam existimat. Ridiculi si praemium esset, me indice ferret. Quid enim attinuit accu-

sativum, quo pars accuratius definitur, ponere, si non ea parte mutatam esse, Io, sed totam Propertius significare volebat? Tu potius docti poetae animo Ionis imaginem obversatam esse puta, qualem tragoedia finxit, vel qualis etiamnunc in statuis signisque antiquis videtur (cf. Q. P. II, 4. p. 71.). Nam a scena repetitam fabularum notitiam ipsi poetae interdum fatentur, unde tragicas Erinnyes Propert. II, 20, 29. appellat et Virgil. Aen. IV, 469—71. hinc exemplum et simile arcessere se aperte prodit: „Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus, Aut Agamemnonius scenis agitatus Orestes.“ Atqui apud Aeschylum certe non bovis figura Ionem prodiisse, sed capite tantum bovino vel adeo cornibus solum fronti additis, nisi cui modestia antiquorum et decori sensus satis iam persuadere videatur, ipse poeta testetur, qui ubicunque formae mutatae mentio inciderit, cornutam fuisse virginem, apertissime prodit. Sic Prometh. 590.: *Κλύεις φθέγμα βούκερω παρθένου;* v. 676.: *Εὐθὺς δὲ μορφῇ καὶ φρένες διάστροφοι Ἦσαν, κεράστις δ' ὡς ὁρᾷτ'.* et sic Io secundum Philostratum (teste Apollon. I, 19.) Ninivae ficta extabat. Contra bovinum caput indicat Aesch. Suppl. 571.: *Βοτὸν ἐσορῶντες δυσχερὲς μιξόμβροτον, τὰν μὲν βοὸς τὰν δ' αὖ γυναικός.* Add. Eurip. Phoeniss. 255. Schol. Homer. Iliad. σ'. 487. qui testem adhibet Callim. frgm. CCCLXXXV. Bentl. Nec aliter in artis monumentis. Nam poetae ipsi, ut Ciceronis verbis utar (N. D. I, 29.) deos solum ea facie noverant, qua pictores fictoresque volebant. Atqui bovinis cornibus virgo Io conspicitur in Picturis Herculanensibus apud Barré T. II. tab. 51. cum Epapho, item t. 52. cum Argo et Mercurio. Sin Ionem et Isidem eandem a veteribus et ab ipso Propertio habitam cum hoc loco tum II, 33, 3. coll. 7. memineris (quibus add. Haupt. ad Aeschyl. Suppl. l. l. Quaestt. c. 4. p. 92 sqq.), Isidis effigiem nobilem huc referre non absurdum videatur, quae bovinum caput gerens filiumque Horum papillis nutriens comparet apud Montefalcon. II. part. II, 1. tab. 105. e Ricordi Massiliensis scriniis repetita. Add. Odofr. Müller. de Archaeol. p. 447. §. 337. not. Herodot. II, 41. Welcker. de Aeschyl. Trilog. Prometh. p. 153., qui cum ipse hunc locum testimonii causa adhibeat, eandem quam nos explicationem videtur probasse.

v. 20. Leucothoen. De forma nominis vid. comm. ad El. II, 26, 10.

v. 27. sit. Heinsius primus, ni fallor, coniecit sis, quod deinde in suo II. invenisse se Broukh. ait. Irrepsit etiam in Iacobi editionem. Sed proba est librorum lectio sit. In universum enim de pulchritudinis periculo Cynthiam narratu-

ram ait Prop.: „quo periculo formosae vivant"; qua in re de suis ipsius periculis locuturam eam, sponte intelligitur. At alterum ne verum quidem. Nam Cynthia apud inferos certe illis periculis libera erat futura. Fuerit, si illud voluisset, dicere debebat Propert. Ceterum coelum hic cum Elysio confusum esse iam ad Interpr. Germ. observavimus. Nec repeteremus, nisi et nimis neglectam eam rem ab interpretibus videremus, et El. III, 18. extr. non ita pridem illam confusionem usu venisse, vel unus, qui illum locum partim certe intellexisse videtur, Iacobus opinaretur. Et tamen iam a Pindaro campis Elysiis coelum substitutum esse locus eius poetae ap. Clem. Alex. Strom. IV. p. 460. docet (frgm. 97.): *ψυχαὶ δ' ἀσεβέων ὑπουράνιοι γαίᾳ πωτῶνται ἐν ἄλγεσι φονίοις ὑπὸ ζεύγλαις ἀφύκτοις κακῶν· εὐσεβῶν δ' ἔπουράνιοι νάουσαι μολπαῖς μάκαρα μέγαν ἀείδονθ' ἐν ὕμνοις.* Add. Platon. Phaed. p. 81. C. Phaedr. p. 257. A. de Diis Romm. patriis I, 6. p. 8. Cf. III, 18. fin.

v. 32. durus dies hic est supremus mortis dies, cui fatorum quodammodo potestas permissa est, cuique sensus tribuitur tamquam viventi, atque adeo misericordia. Eadem ratio quamvis in diversam sententiam Stat. Silv. II, 1, 54.: Cuncta in cineres gravis intulit hora, Hostilisque dies. Magis iam vulgatum genus, cum diei sicuti tempori in universum agendi quaedam vis tribuitur, ut El. II, 24, 34. item in die extremo: At me mutabit — non niger ille dies. Cf. praeterea, quae ad El. I, 13, 25. II, 20, 18. annotavimus, locum utrumque iniuria suspectum. Adde II, 11, 4. III, 11, 70. ad El. III, 18, 16. III, 5, 31.

v. 33. Rectissime sic ut exhibuimus a primo Lachmanno distincta esse verba ex usu *ἀποστροφῆς* Propertio maxime familiari docuimus Q. P. II, 6. §. 3. p. 114. Iacobus enim paullo durius hoc ablativum esse vult ad v. 31. relatum.

v. 36. iacet. Sic libri omnes cum editionibus vetustis. Canterus primus in Antwerp. a. 1569. tacet expressit, docte sane et quod certatim exinde editores arripuerunt. Nil morer, modo satis significantem librorum scripturam confitearis. Et ipsum verbum iacere, de rebus adustis proprium (El. III, 6, 29.: busta iacentia. I, 16, 8. IV, 5, 61. II, 10, 35.), nescio quid habet, quo cum contemptione abiectum significetur (cf. I, 7, 18. I, 6, 25. II, 8, 34. II, 18, 8. III, 6, 14. Non. Marc. IV, 248. et Lex. s. v.). Sed ad infelix omen significandum iam illud satis erat, extinctum et semiambustum sacrificium commemorasse. Sic Soph. Antig. 1006.: *ἐκ δὲ θυμάτων Ἥφαιστος οὐκ ἔλαμπεν ἀλλ' ἐπὶ σποδῷ μυδῶσα κηκὶς μηρίων ἐτήκετο χὰτνφε κἀνέπτυε.*

v. 39. ratis fati, i. e. mortis; cf. El. I, 19, 12. Est igitur ratis fatalis: de genitivo enim prorsus Propertiano v. Q. P. II, 6. p. 154.

v. 40. ad infernos — lacus. Nisi hic quoque novi quid de Stygiis undis et de Acherontis cymba, quae non semel criticis turbas movit (cf. El. III, 5, 14. III, 18, 29. 41. IV, 7, 55.), Propertius commentus est, ad infernos lacus sic interpretandum erit, ut ex arundine et portu, ubi Charontis statio esset, quasi in altum et ad lacus solutam esse cymbam dicas. An hic quoque aliquid ulceris lateat?

v. 51. Iope. Antiopen pro illa invexit Puccius, quod multis editoribus placuit. Iole tamen, quod certe Gron. commendat, inde a Broukhus. usque ad Iacobum libros occupavit. Sed in tanta poetae nostri doctrina, satis est, quod Cephei uxorem fuisse eam scimus, heroidem procul dubio sua fama non carentem (vid. Steph. Byzant. s. v.). Quamquam propter hunc locum Hippes nomen, quae Thesei coniux fuisse traditur, Plutarch. Thes. 29. sollicitandum esse Lachmanno haud temere assentiar. Sic enim scriptum illud etiam Athenaei codices XIII. p. 557. A. exhibent.

v. 53. 54. Vexatissimus locus a Lachm. et Iacob. desperatus, cui persanando olim in Observv. (Halberst. 1836. p. 19—21.) de industria operam dedimus. Ac primus quidem Scaliger pro vulgata Troia, qua servata in versu breviori molestissima et non ferenda eiusdem rei repetitio nasceretur, Iona reposuit. Diversam enim scripturam ait esse: Hioa et in margine Hiona. At illud Iona omni proportione carere, et alio pertinere quae in ejus nominis gratiam afferantur exempla, constat. Neque enim suppetit adiectivum Ionus, unde regionis appellatio ea recte possit formari (cf. Q. P. II, 6. s. III. p. 163. et ad El. III, 9, 44.). Scaligeri autem liber an non Cuiacianus ille quem nosti fuerit, dubitare nunc subit. Nam in exemplari Perreiano Heinsii manu haec nota apposita: *Hioa vel Hiona S.* An forte iam in nova sua editione adornanda alio praeter istum codice, eoque Vaticano Scaliger usus est? Cf. Q. P. III, 5. p. 246. At quidquid id est, veri vestigia hic relicta confidimus. Quae quam proxime secuti Eoa rescripsimus. Fac in antiquissimo exemplari Graecis litteris, ut interdum fit, vocem Graecam sic exaratam fuisse: *HOIA* (ἠῴα): unius lineolae transpositione ea scriptura nata est *HIOA*, quam Scaliger in suo libro invenit. Solent autem poetae, ut diversarum orbis plagarum incolas coniunctim commemorent, Eoas occidentis gentibus opponere. Sic II, 3, 43.:

Sive illam Hesperiis, sive illam ostendet Eois,
Uret et Eoos, uret et Hesperios.

Ovid. Amorr. I, 15, 29.: Gallus et Hesperiis et Gallus notus Eois, et similiter quamvis in alia re Cinna ap. Serv. ad Virg. Ge. I, 288.:

Te matutinus flentem conspexit Eous
Et flentem paullo vidit post Hesperus idem.

Quibus locis omnibus (uti etiam El. III, 24, 7. ubi Eous pro Aurora dictum) Eous substantivi locum tenere et nominis gentilis modo positum esse, notandum est. Unde prorsus ἀναλόγως Eoa regionem significare apparet. Ceterum iam Huschkius (Anall. litt. p. 340.) Graecis litteris eam vocem expressam fuisse suspicatus, maioribus ambagibus Hioa ex *HOOLA*, illud vero ex *HΦΘΙΑ* natum censuit, unde tamquam genuina scriptura Phthia refingenda esset. Diu autem postquam eam emendationem nostram promulgavimus, Gruterum (Suspic. ineditar. XXII. c. 13.) quamvis libri Scaligerani, ut videtur, notitiam non nactum in eandem coniecturam incidisse animadvertimus, quam infelicem Burmannus vocat. Iam quomodo Troia tot libros scriptos occupare potuerit, haud obscura causa est. Neque enim breviori versu Phoebi, quod omnes codd. mss. tenent, sic temere cum Scaligero in Thebae mutaverim. Certum est, Propertium scripsisse, quod dedimus: Phoebei et muri. Phoebei muri sunt Troia, ut apud Lucanum Phars. IX, 995.: et Phoebei quaerit vestigia muri, et ap. Stat. Silv. II, 6, 32.:

circum saevi fugientem moenia Phoebi
Troilon Aemoniae deprendit lancea dextrae.

Sic ab ipso nostro III, 9, 39. Pergama Apollinis arces dicuntur et El. I, 9, 10. Thebae Amphioniae moenia lyrae. Fuerat igitur, qui explicandi gratia Troia super eas voces scriberet, unde, qui hoc nomen in superiorem versum irrepserit, apparet. Postquam autem fuit, qui senis adiecto Priami nomine explicasset, hoc ipsum nomen pro voce muri (non nimia in fine litterarum discrepantia) in ambitum ipsum versus receptum est. Phoebei denique, qui prisco more pro Phoebi scriptum haberet (cf. Conr. Schneider. de Element. L. L. p. 63.), hoc pro illo substituto, ut metro subveniret, Et a principio versus addidit. De antonomasia autem gratissima Propertio figura cf. Q. P. II, 6. p. 158., sicut de metonymia, qua hic parti pro toto positae totum ipsum subiungitur, ibid. p. 152. Et simillimus sane Virgilii locus Aen. IV, 96.:

Nec me adeo fallit, veritam te moenia nostra
Suspectas habuisse domos Carthaginis altae.

Vides illic Iunonia moenia (Iuno enim loquitur), hic Phoebeos muros, illic Carthaginis domos, hic regna senis. Nec aliter Ovid. Metam. VII, 443.:

Tutus ad Alcathoen, Lelegeia moenia limes.

v. 59. demissa libri omnes nostri, dimissa tamen Leid. uterque et Askew. Illud defendebat Passeratius, nec (in quo criticorum vel continentiam vel inconstantiam iure admireris) prius deinde, quam a Lachmanno, sede motum est. Iterum tamen et hic et El. II, 29, 29. patronum nacta est ea forma Iacobum. Frustra, neque enim eodem omnia verba modulo metienda sunt, et cum deducere El. II, 25, 9. cum aliis exemplis tum ipsa significatione tutum retineamus, demittere pro dimittere non probo. Si enim is, qui removet rem et segregat, idem est, unde segregat, semper praepostionem di — placuisse veteribus consentaneum est. Neque enim tantum in motu significationis vis summa posita est, quantum in eventu, i. e. in eo, quod quae antea coniuncta fuerant, nunc disiuncta sunt. Hanc autem legem ita tantum valere patet, si neque utraque res loco suo movetur, neque alterutra deorsum, nec denique quae removetur, nunquam coniuncta fuit. Nam primo loco semper di —, alteris duobus de — legitimum est. Hinc semper dissipare et divellere, semper etiam defendere et deprimere: depellere vero et dispellere; deiicere et disiicere, demittere et dimittere diversa voluntate dici apparet: devertere contra et divertere; deducere et diducere, decedere et discedere, licet paullulum mutata significationis specie, in eadem tamen re, usu paene promiscuo, et pro lubitu loquentis ponere licebit. Plura nunc inquirere longum est. Consentient nobis, qui accurate quae ab viris doctis de hoc etymologiae loco disputata sunt, nobiscum expenderint. Cf. Drakenb. ad Sil. Ital. XVII, 163. XVI, 528. II, 189. ad Liv. XXVIII, 28, 7. 20, 5. XXXIX, 53, 1. I, 51, 8. XLIV, 43, 2. Broukh. ad Tibull. I, 5, 40. I. H. Voss. ad eund. I, 4, 29. Interpp. ad Tacit. Histor. I, 12. ad Quintil. II, 3, 9. II, 11, 5. Interpp. Horat. Od. III, 1, 17. Gron. ad Liv. XXVII, 13. Heins. ad Ovid. Fast. II, 99. 207. Cuperi Observv. IV, 5. Duker. ad Flor. II, 2, 17. ad Liv. VIII, 7. Graev. ad Cic. de Off. II, 7. III, 31. Oudend. ad Caes. B. G. I, 25. Heindorf. ad Hor. Sat. II, 1, 41. Ellendt. ad Cic. Brut. §. 1. Zumpt. ad Cic. Divin. Caec. §. 2. Verr. I, 35. §. 89. Brem. ad Corn. Nep. Attic. IV, 1. Kritz. ad Sallust. Iug. XX, 1.

v. 62. redde ter positum, inaudita Propertio iteratione, uni Broukhusio placuit. Nobis sordent istae argutiae,

praesertim si non melioribus praesidiis defenduntur, quam Ital. codd. quibusdam interpolatis, quorum error unde venerit, satis patet.

Elegia XXIX.

v. 1. Extrema. Verissima Heinsii emendatio, cum Hesterna ferri non posse novissimus huius elegiae versus doceat. Et frequentissima librariorum confusio in verbis: hesternus, externus, extremus. Cf. codd. discrepantiam ad El. II, 18, 24. I, 1, 29. II, 8, 1. III, 8, 1. ubi hesternas a Lachmanno e Neapol. restitutum postea Groning. et Pucc. auctoritas confirmavit. Add. Burm. ad II, 16, 40. Drakenb. ad Liv. XL, 4, 2. I, 28, 4. 51, 3. II, 31, 10. 32, 6. 42, 9. 45, 5. 51, 7. III, 48, 1. IV, 9, 3. 47, 8. VII, 35, 5. IX, 36, 6. X, 35, 11. ad Sil. Ital. IX, 209.

v. 3. puerorum turba minuta, i. e. parvorum puerorum turba. De qua enallage cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 24. p. 144.

v. 7. fuerant. De plusquamperfecto imperfecti loco posito v. comm. ad El. I, 11, 29.

v. 9. locavit. Bene Passeratius metaphoram illustrat: quasi pretio proposito excruciandum tradidit.

v. 11. at alter. Sic N. cum secta sua. Recte. Vulgo enim et alter libri exhibent. Sed de vi et usu eius particulae v. ad II, 26, 49.

v. 13. totas in horas. Crassa Minerva *omnes* in horas Burm. explicat, et quamquam habiturum fuisse, quo eam interpretationem defenderet, modo suis copiis rectius usus esset, coll. IV, 1, 23. apparebit: tamen hic minime placet. Nec ullum exemplorum quae affert addicit [II, 11 (i. e. 14.), 28. 13 (i. e. 16.), 6. 18 (i. e. 22.), 24. 19, 19. (i. e. 24, 33.) III, 22 (i. e. 23.), 16. 14 (i. e. 16.), 9.]. Nam ne in plurali quidem numero illis locis omnibus adiectivum totus positum est. At multo efficacius totas in horas interpreteris: integras in horas. Non singulis momentis, sed totis horis spatium illud temporis, quo te expectat, puella metitur. Et sic explicandum Nemes. Ecl. II, 58.:

Concubitus hominum totis connectere saeclis.

v. 14. nescio quas — fores. Donza non inepte: foris coni., quod cupidius amplexus est Broukh. Nec tamen, quo iure Lachm. illi Stratonis ep. XCI. Ann. Br. II. p. 379. — ἀλήτης Πωλήσω γε θύραις νυκτὸς ἀνοιγομέναις — obtendat, perspicio. Nam ne sanum quidem locum eum esse Iacobs. docuit Animadvv. Anth. Gr. T. II, 3. p. 124. Rectius contuleris El. I, 3, 35.:

Tandem te nostro referens iniuria lecto
Alterius clausis expulit e foribus.

Stuporem poetae exprobrant Cupidines, quod cum pulcherrimam puellam gratis habere possit, alterius fastus ferre malit.

v. 15. Adversandi vim, quae in pronomine relativo inest, illustravimus Q. P. II, 6. s. II. §. 13. p. 129. et ad El. II, 25, 17. item pronomen illa breviori versu eleganter abundans ibid. s. IV. p. 173. sq. Ceterum mitra haec non est, quae fascia El. IV, 9, 49. (coll. Becker. Gall. T. I. p. 321.) Latine dicitur, qualesque ab Hedylo commemorantur μαλαχαὶ μαστῶν ἐνδύματα μίτραι (Anth. Pal. V. p. 117. ep. 199. quocum cf. epigr. ἀδέσπ. Ann. Br. CXIV. μίτραν μαστοῖς σφιγκτὰ περιπλομέναν), ipsae non confundendae cum zona sive strophio (cf. Becker. Charicl. II. p. 328 sq.), quod tamen passim factum est ab antiquariis. Vid. Cuper. Observv. I, 6. p. 33 sq. Fischer. ad Anacr. XX, 13. Iacobs. ad Hedyl. ep. l. l. Anim. ad Anthol. Gr. T. I, 2. p. 332. Illas enim a dormituris exutas potius quam colligatas esse consentaneum. Haec vero mitra capitis redimiculum, vitta, quae nullo cultu crines coercebat, nocturno usui aptissima. Ea largioribus taeniis consutisque laciniis Phrygium illud tegumentum effecit, de quo vid. comm. ad El. III, 17, 30. Contra haec laxior et commodior vulgo etiam et in publico a vilioribus vetulisque mulieribus Romae gestari solebat. Cf. El. IV, 5, 69. Ovid. Fast. III, 669. IV, 517.: simularat anum, mitraque capillos presserat. Cic. frgm. or. in Clod. ed. Peyron. Lips. 115. p. Rabir. Post. 10. Graeca ut videtur et ipsius origo erat, sicuti nomen. Cf. Antipat. Sidon. Ann. Br. II. p. 31. ep. 89, 4.: ἄνδεμα δ' αὖ μίτρας (φάσει) τὰν πολιοχρόταφον. Add. Becker. Charicl. II. p. 395.

v. 16. Aperta Paulli Silent. imitatio Anthol. Pal. p. 130. Anall. Br. III. p. 74. ep. IX, 1.: Ὄμματά σευ βαρύθουσι, πόθον πνείοντα, Χαριχλοῖ, οἷά περ ἐκ λέκτρων ἄρτι διαγρομένης.

v. 18. Amoris manibus dulcissima quaeque fabricata dici interpp. annotant; et sane simillimum videtur Catullianum (XIII, 11.): „Nam unguentum dabo, quod meae puellae Donarunt Veneres Cupidinesque“ i. e. unguentum adeo dulce, ut humana arte factum esse non posse videatur. Nec mirum, Veneris potissimum Cupidinisque id dici, quia a puella amata venerit. Quo nomine conferre etiam liceat Meleagr. I, 10. de Nosside dictum: ἧς δέλτοις κῆρον ἔπηξεν Ἔρως. Amatoria enim carmina ille condidit. At hoc loco aliud quid praeter illam ὑπερβολὴν subesse videatur, cum hi

odores Arabiae unguentis i. e. suavissimis aperte opponantur, nec Propertii esse sciamus, cultu arcessito et peregrinis deliciis puellam suam venditare. Qua in re cf. versus suavissimos I, 2, 1—8. Itaque ne hic quidem vera unguenta et odores arte factos intelligi persuasum habemus, sed halitum illum suaveolentum et austerum, qualem integer iuventutis flos spirare solet, qualemque tantis laudibus Orientis poetae extollere solent. Cf. Cantic. Canticor. VII, 9. ubi puellae halitus cum odore pomorum comparatur; item Grangeret de la Grange Anthol. Arab. p. 81. Rursus cum fragrantia vasorum, in quibus odores et aromata recondunt mercatores, componitur ab Antara (Moall. v. 14.) — cum vini odore a Caab ben Sohair. (Carm. in laudem Mohamm. dict. v. 3.) — cum moscho ab Omar ben Faredh (Grang. l. l. p. 34.; de Sacy Chrestom. Arab. III. p. 123.), a Soiuti (Grang. p. 171.), a Motenabbi (Bohlen Commentat. de Motenabbio p. 54.), in MI Noctibus (Humbert Anth. Arab. p. 47.), apud Kosegarten. Chrestom. Arab. p. 144. Add. Gita-Govindam. (Ewald. Anal. Orient. 1837. I. p. 142.) Quos locos omnes, sicuti alios plurimos, amicissimus Haarbrückerus Halensis mihi indicavit. Neque vero Graecos Romanosve ea laus latuit, et hac dulcedine potissimum oscula puellarum et adolescentium commendant. Aperta res est epigr. ἀδεσπ. LV. Ann. Br. III. p. 161. Anth. Palat. p. 140.: *Κούρη τίς μ' ἐφίλησεν ὑφέσπερα χείλεσιν ὑγροῖς. νέκταρ ἔην τὸ φίλημα· τὸ γὰρ στόμα νέκταρος ἔπνει.* Stat. Silv. II, 1, 48.: Osculaque impliciti vernos redolentia flores. Martial. Epigr. III, 65, 1.:

Quod spirat tenera mala mordente puella,
Quod de Corycio quae venit aura croco:
Hoc tua, saeve puer Dindymene, basia fragrant.

Epigr. ined. ap. Meinek. Anall. Alexandr. p. 396.:

Τῆρῶ σου τὸ φίλημα τὸ χρύσεον, ὡς ἀπὸ σίμβλου
Κηρίον, ὡς μήλου πνεῦμα πεπαινόμενον (l. πεπαινομένου).

ubi non recte Meinekium pro *πνεῦμα* — *χναῦμα* reposuisse iure Schneidewinus monet Actt. Phill. Marb. 1843. N. 117. p. 933. Hinc igitur explicandum recte vidit Iacobs. (Anim. ad Anth. Gr. III, 1. p. 317.) Alciphron. Epist. I, 38. p. 178.: *ὡς δὴ ἡδύ τι καὶ ἀκήρατον ἀπὸ τῶν φιλημάτων νέκταρ ἔσταζεν*, et quod maxime ad illustrandum locum facit, Horatianum illud Od. I, 13, 15.: oscula quae Venus Quinta parte sui nectaris imbuit. Add. Paull. Silent. Ann. Br. III. p. 71. ep. II, 5. Leont. Schol. I, 1. ibid. p. 73. Meleag. ep. XXI, 4. Ann. Br. T. I. p. 9. Adde ex Orientis poetis Cantic. IV, 11. Provv. V, 3. Antarae Moall. v. 13. multos-

que Arab. posterior. apud Grang. l. l. 74. 76. 77. 81. 92. 93. 172. all. plurima ab eodem amico mecum communicata. Vides, quam egregie ipse Amor, qui quaesita artificia spernit, naturales odores multo, quam Arabum, dulciores impertisse dicatur.

v. 19. spondet, hic ut toties promittit. Neque in eo argutandum est, quod Propertii ipsius verba, quae sagittariis illis parvulis dixerit, nusquam compareant. Potuit mutatum animum ille ex vultu supplice coniicere; aut poeta, ne orationis flumen turbaretur, indicare, quid contra respondisset, quam verba sua referre maluit. Ceterum verum esse consentio, quod Iacobus de Pucciani libri scriptura: spondeo ait; „melius haec omnia Cupidini tribui, in ingente pavore Propertio obmutescente; neque tam hunc spondere posse ipsum“ — siquidem spondere proprio et foremi usu dictum accipias — „quam reliquis τοξόταις τόξαρχον.“

v. 21. me — duxerunt. Verissimam puto Heinsii emendationem: mi — dixerunt. Veri vestigia G. servavit, et erroris origo manifesta. Piget paene, in ordinem eam non recepisse.

v. 24. et. Sic e Gron. primus Iacobus optime rescripsit. Nam laete affirmantis haec particula, nec mutatum hic, ut alibi, subiectum coniunctionem adversativam: at admittit. Cf. ad El. II, 26, 49. Ne tamen quem tempus diversum offendat, cf. Hand. de Particc. p. 486 sq. n. 23.

v. 26 — 30. fuit. Sic libri de meliore nota omnes. Fruterius coni. fluit, quod a Broukhusio omnium elegantiarum venatore, cupide arreptum, nec a Burmanno repudiatum non mireris. At simplicem huius loci decorem nimio ornatu perdi vel Vulpius sensisse videtur. Broukh. vero ne illud quidem, omnibus quos ipse citat locis taxari fluentium vestium luxuriam. Insequentibus autem versibus vel Lachmannus nodum q. d. in scirpo quaesivit. Nam nescio quid in „puella dormiente simul et eunte et demissa somno et loquente argutari posse, si quis vellet“, ait. Praeterea, quod Broukh. monuisset, alterum membrum comparationis nusquam comparere. Itaque pro Ibat et v. 27. Ibat ut rescripsit, quo omnia ista persanata esse confidit. Ego vero, quibus oculis hos versus vir acutissimus viderit, non intelligo. Rectissime enim sunt omnia. Nam nec simul ea fieri ait poeta, nec similitudinis redditio desideratur, quae iam v. 21 — 28. praecesserit —, formosissima, ait, mihi tunc visa est; numquam enim formosior ne tum quidem (neque), cum, quantum memini, pulcherrima mihi videretur, quo tempore purpurea tunica induta ex hoc ipso cubiculo (hinc) prodiens ad Vestae ibat. Nec ali-

ter (talis) nunc recens experrecta. Unum, in quo quis haerere possit, temporis mutatio — cum fuit et ibat — in Propertio nihil offensionis habere ostendimus Q. P. II, 6. s. II. §. 8. p. 119. Heu denique (v. 30.) pro quo Io. Schraderus O volebat, probatum a Lachmanno, optime se habet. Nam unde nunc haec referenti poetae tristitiae ille color venerit, qui versum huius elegiae novissimum legerit, non dubitabit. Ceterum ad v. 27. argumentum praeter Soph. Electr. 427. cf. Interpp. ad Aeschyl. Pers. 221 sqq. ad v. autem 29. dimissa cf. El. II, 28, 59.

v. 34. verior. Vulgo interpretantur: constantior, certior. Quod unde habeant, ignoro. Sine dubio verum amicum cogitabant. Sed aliud longe est verum amicum dici, qui opponitur falso et ficto, aliud verum in universum. At verus etiam, ne dubites, active dicitur: qui verum dicit, et mendaci contrarius est. Sic Terent. Andr. II, 5, 12.: Sum verus, ubi recte Donat. veridicus. Plaut. Mil. IV, 8, 59.: Dicent te mendacem, nec verum esse, fide nulla esse te. Add. Ovid. Heroid. XVI, 128. V, 123. Virg. Aen. V, 456. Mendacii autem iure poetam arguere sibi videtur Cynthia, qui iam toties fidelem futurum se iurarit, nunc noctem sibi debitam circa alienas fores exegerit.

v. 36. Foedissima inventione magnus, quod piget referre, Lipsius hunc locum et totam elegiam inquinavit. Qui cum in codice nescio quo Farnesiano volutantis legisset, pro casu quarto plur. acceptum illud a VV. DD., ingenti Batavorum plausu obtrusum est Propertio. Sic enim verba distinxerunt: Apparent non ulla toro vestigia presso, Signa, volutantes cett. Hoecfftius vero non contentus ea sparcitie signa de semine interpretatus est. At nisi pudor defendit, sermo Propertianus debebat. Nam toro vestigia presso sunt vestigia tori pressi, quae recte signa voluptatis dicuntur. Sic I, 18, 17.: mutato signa calore, et quae de hoc ablativi usu collegimus Q. P. II, 6. s. II. §. 18. p. 136. Illud vero: nec iacuisse duos amplificatio est. Nam non modo turbatis lectuli palliis voluptatis vestigia, sed ne talia quidem apparere ait, unde duos iacuisse coniicias. De infinitivo enim simul et substantivo ad idem verbum relatis cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 15. p. 130. Infinitivum autem illum *κατὰ σύνεσιν* ad signa relatum pro hoc: vestigia, quae produnt duos iacuisse, ne in soluta quidem oratione aegre feras. Cf. tamen Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 156 sq. Rem vero ipsam optime illustrat Petron. XCVII, 6.: Ne suspicioni relinquerem locum, lectulum vestimentis impleri, uniusque hominis vestigium ad cer-

poris mei mensuram figuravi. Plin. Epist. VI, 7.: pro me libellos meos teneas, saepe etiam in vestigio meo colloces. Neque alia vestigia Lucretia dicit ap. Liv. I, 58, 8.: Vestigia viri alieni, Collatine, in lectulo tuo sunt. Tibull. I, 9, 57.: Semper sint externa tuo vestigia lecto. Contra ap. Ovid. Amorr. I, 8, 97.: Ille viri toto videat vestigia lecto et Cic. Accus. Verr. III, 34.: praesertim cum in lectulo decumanae mulieris vestigia viderent recentia, quibus illum inflammari ad perseverandum intelligebant — his autem locis spurciora non intelligenda esse, haud temere spondeam. Cf. Broukh. ad El. II, 7, 95. (i. e. II, 9, 45.) quem tamen aliter explicandum esse in comment. demonstravi. — Volutari vero prae libidine pecorum potius quam hominum est, et ipsum verbum Petronio (cf. c. LXXIX, 9.) quam Propertio dignius. Nam Olympias quoque (Iustin. XII, 16.) cum serpente, non cum viro rem habuit. De hominibus vero nisi ad taxandam nequitiam profligatissimam non dicitur. Sic Plin. N. H. XXXV, 11. volutantem cum piscatore reginam tamquam ultimum flagitium notat. Nec aliter Fulvius Sparsus ap. Senec. Controv. I, 4. volutantes adulteros dixit, et Romanus Hispo, quo magis invisum crimen in prostitutam iaci posse non credebat (ibid. I, 2.): Numquid hoc negas, colluctatam te cum viro? quem in illa volutatione necesse est, prius super te fuisse. Idem usus Graeci κυλινδεῖσθαι eo ipso loco, quem testimonii gratia huc afferre Burmann. non veritus est, Athen. XII, 11. (est potius sect. 58. p. 541. C.) de Dionysio tyranno: καὶ γυμνὸς μετὰ γυμνῶν οὐδὲν αἰσχύνης παρέλιπεν, ἐπὶ τοῦ στρώματος κυλινδούμενος.

v. 41. Codices hic ad unum omnes ulcus inveteratum trahere manifestum, et editores universi consentiunt. Ad sententiam autem verissima neque a litteris ita difficilis Broukh. coniectura videtur: custos excludor. Miror tamen, unde illud re venerit, quod tam constanter in maxima reliquarum litterarum discrepantia omnes pariter libri tuentur. De Latinitate vero Lachm. dubitare non debebat. Custos enim recte speculator amicae (v. 31.) dicitur, qui mores eius servat, et praesentia sua ne peccet illa, providet. Talem custodem ipse se poeta aperte significat I, 11, 15.: Ut solet amoto labi custode puella. Talem porro custodem hic recte respuit et excludit Cynthia, cui „ipse suus — custodia lectus“ (ut ait El. II, 18, 35.), nisi revera erat, tamen esse eum (coll. v. 35. 36.) gloriari nunc secura illa poterat. Iacobus vero, qui coniecturam suam vestigia codd. proxime sane referentem:

„Sic ego tam sancti custode recludar amoris.
Ex illo felix nox mihi nulla fuit!“

tamquam „dignissimam carminis conclusionem“ proclamat, bis peccat. Primum, quod custode, quem Amorem illum τόξαρχον intelligit, pro a custode vel per custodem dici posse opinatur. At auctorem rei vel adiutorem solo ablativo eo, quem instrumenti dicunt, significari Latinitas vetat. Cf. ad El. II, 30, 29. II, 34, 45. Nec quicquam proficiet, si pro eo positum dicat: cum ille custos amoris sit. Nam ipsum illud subiectum et quasi caput ablat. absoluti, in quo tum summa sententia versaretur „illo“, omittere nequaquam potuit poeta. Deinde vero, ut „recludar“ sit „reclusis foribus recipiar“, nec a me impetrabit, nec a quoquam qui Latine non nesciat. At ne illud quidem quod longis ambagibus demonstrare conatur, coniectura Broukhusii absurdam aut nullam effici sententiam evicit. Nam utut ad animum amicae iratum deliniendum scriptam esse hanc elegiam illi concedimus, quid post tam apertam ἀλληγορίαν in fine disertis verbis consilium exponere iuvabat? Atqui a vino et commissatione cum per ipsum Amorem, vinculis firmissimis irretitus, ad dominam reductus esset, nihilominus propter levissimam eius amoris suspicionem, quem sanctum iam blande appellare non dubitat, in perpetuum exclusum nullas exinde noctes felices habuisse se asseverat. Nonne hoc satis erat ad Cynthiae iracundiam mitigandam? An forte, quia quid vellet „purae illius aures“ non intelligerent, iam in fine adderet istud: „Quid fabula docet?“ Quod post tam luculentam enarrationem multo efficacius ipso silentio declarari, venustiores omnes consentiant. Vides igitur, quam apta ad sententiam Broukhusii coniectura sit. Nec aliam credo cuiquam magis placere, nisi quod cod. Vallae commendat: reiector. Producta enim prima syllaba verbum hoc extat Lucret. II, 330. Nec male frequentativum. Nam, cum nullam sibi noctem felicem ex illo fuisse dicat, non tum solum cum peccavisset, sed saepius exinde frustra adiitu petito repulsum esse poetam consentaneum est. Nec causa erroris obscura. Librariorum enim, qui syllabam re ante i consonam produci nescirent, partim pro custos — custode reposuerunt, partim pro reiector — recludor, quod nec ita diversum litterarum specie, et in quo forte positione debili extendi vocalem longam crederent. Burmanni contra illud: custos eludor, propter fraudis aliquam significationem, quam tamen ab hoc loco prorsus abesse constat, multo minus probetur. Passeratii vero secludor, quamvis eodem eius interpretatio redeat quo Broukh., hac vi Latinum non

est; elector autem, quod idem altero loco tentat, longius a libris recedit. Quid Heinsium dicam aut Marklandum, quorum alter custodis cultor, alter custodi excludor maluit. Nam Lachmannus ne ipse quidem satis sibi placuit, dum haec proponit: cultu secludor.

Elegia XXX.

De tempore, quo haec elegia scripta videatur, cf. Q. P. III, 3. p. 225. Ceterum obscurior partium distributio et nexus sententiarum intricatior, persona potissimum quam poeta alloquitur saepius mutata, causa fuit ut librarii, statim ab initio non ipsum a se poetam, sed puellam appellari rati, v. 19. dura rescriberent, quod deinde vulgo codd. occupavit. At de figura ea Propertio admodum familiari cf. Quaestt. II, 6. s. II. §. 5. pp. 115. 117. Itaque quamvis v. 14. amicam allocutus v. 16. vel ad tibiam orationem converterit (qua de re cf. Q. P. l. l. §. 4. p. 114.), versibus tamen 1—30. secum interloquentem fingi poetam certum est. Nam v. 23. ad primam personam deflexus in fine (v. 25.) rursus ad Cynthiam revertitur. Quibus omnibus perpensis iniuria Keilium pristinam rationem secutum esse (p. 24.) senties.

v. 1 sq. Propertium expressit Paull. Silentiar. Anthol. Pal. p. 139. Ann. Br. III. p. 82. ep. 86., mutatis tamen paullo verbis:

Εἰ καὶ τηλοτέρω Μερόης τεὸν ἴχνος ἐρείσεις,
Πτηνὸς Ἔρως πτηνῷ κεῖσε τάχει με φέρει·
Εἰ καὶ ἐς ἀντολίην πρὸς ὁμόχροον ἵξεαι ἠῶ,
Πεζὸς ἀμετρήτοις ἕψομαι ἐν σταδίοις.

v. 3 sq. Ne contra morem Latinum bis positam negationem affirmare iis credas, qui hoc loco freti El. II, 19, 32. nemo ne explicaverunt: usitatissimum potius genus, ubi generalis quaedam sententia in enuntiato primario posita, deinde dividitur et ad species suas refertur. Cf. Krüger. §. 510. n. 2. Reisig. §. 230. p. 408. Hic illud tantum novum, quod communis enuntiatio (v. 6.) species suas (v. 3. et 4.) sequitur, quodque priore loco pro nec — non positum, tertio vel. De zeugmate, quod v. 6. latet, v. Q. P. II, 6. s. II. §. 16. p. 131. et de enthymemate ibid. §. 23. p. 142.

v. 7. Post Amor puncto minori distinximus, quo et fortius *πενθημιμερεῖ* percussus versus sentiatur, et pro *ἀναφορᾷ*, quam saepius interiectis aliquot verbis obliterare poeta solet (cf. Q. P. II, 6. s. I. §. 1. p. 107.) figura *ἀναλήψει* similior nascatur, magisque illa Propertii ingenio accommodata. Cf. Q. P. I. l. p. 110.

v. 8. ipse. Mallem, ni codd. vetarent, ipsa, quod Beroaldum secutus Lachm. in ed. Lips. dedit. Nam quod Iacobus ait: „ipse hoc dicit: ab amantibus Amor nunquam recedit; liberis etiam gravis vel saevus est" — errat; hoc enim ipsum, quod utique desideres, ipsa significat, quo libera colla domitis opponuntur, non ipse, quo Amor aliis diis. Licet tamen etiam accuratius coniungere ipse et gravis, ut sit: Libera quidem colla sint: gravis ipse erit. Alterum tamen facilius sine dubio et efficacius, ut, si Propertium, non librariorum errores nobis castigare liceret, illud praeferrem. Ad argumentum v. El. I, 1, 3. 4.

v. 9. nunquam. Unus Gr. nusquam — quod haud procul abfuit, quin cum superioribus criticis in ordinem reciperem. Hoc enim ait: ubicunque locorum eris — servus amoris eris. Quamquam, qui nunquam liber est, nusquam ut sit, sponte sequitur.

v. 11. Et Lachm. de Burmanni suspicione ed. Lips. Sed scripsit. I. H. Voss. At. Neuter recte nexum sententiarum perspexit. Propertius enim, cum propter nescio quid peccatum (quod quid in amore significet, satis declarant El. III, 16, 9.: Peccaram semel, et totum sum pulsus in annum. II, 6, 40. II, 32, 52. II, 16, 25. II, 25, 18. II, 32, 1. II, 19, 10.), propter tale igitur peccatum cum adversa multa a puella perpessus peregrinatione memoriam amoris delere instituisset, ipse hac elegia se dehortatur, quoniam et frustra futurus sit effugiendi conatus, et praesentibus precibus facilem aurem deus ille praebeat. Iuxta igitur positae sunt hae sententiae, non contrariae. Cave enim ne ita exorabilem dici Amorem credas, quasi non tam explendo medeatur cupidini, quam restinguendo. Hoc enim non Amoris beneficium est, sed Bonae Mentis (cf. El. III, 24, 19.). Amor secundus ut voti amantes potiantur, dat. Cf. instar omnium El. I, 1, 8. 16, 17. 32. Q. P. I, 6. p. 41. — Iam igitur ad Cynthiam conversus levitate amabili, ut pergat secum amoris iter, eam adhortatur, et ne diutius succenseat, v. 24. una illa contentum se victurum esse spondet.

v. 19. Nunc. Sic optime libri. Vulgo corrigunt Num. Sed egregie hunc locum ἐπαναλήψεως impetus decet, quo iam oratio unde egressa erat et ad causam totius carminis revertitur. Ceterum dure primus emendavit Puccius et in veterr. librr. sic scriptum invenisse se testantur Passerat. et Beroald.

v. 20. nauta. Libri omnes nota, quo vilius adiectivum et paene absurdius inveniri posse nego. Nota enim non magis apte Hyrcana littora dicantur, quam qualiacunque

orae Italicae. Quinimmo rectius Tiberina, quam illa Orientis extremi. At nota *infamia* esse aiunt. Iterum nego. Quamquam posse et res et homines tam bona quam mala fama nota esse, quis non concedat? At hoc illud est, cur vilissimum dixi adiectivum, quod in quamlibet partem deflectere possis, nisi quid amplius addideris. Barthius vero nota dici existimat, quoniam olim terrarum imperio illustria fuerint, et per Romanos denuo inclaruerint. Geographiam bonus homo disceret: non tam incredibilia narrasset. Quis enim Mardos aut Albanos aut Iberos aut Cadusios aut Hyrcanos aut Arimaspos unquam imperio inclaruisse vel fando audivit? Itaque Heinsius coniecit: lata. At quis angusta potius et brevia littora maris Caspii esse, quam lata, nesciat. Nec magis expedit Lachmanni: nuda, quantumvis ingeniosius. Montium enim iugis densisque silvis (quercetis imprimis) circumtextas oras narrant Plin. N. H. VI, 15. Arrian. III, 22. Pomp. Mela III, 5. Strabo XI, 6. 7. Lucan. Pharsal. III, 268. — quibus locis omnibus quam non nota fuerit illa ora veteribus, facile discas. Quare rescribere non dubitavimus, quo ipsa codd. vestigia ducebant, nauta. Nauta enim non modo est, qui artem nauticam exercet, sed quicunque navigat. Sic Horat. Od. III, 4, 30.: Utcunque mecum vos eritis libens, Insanientem navita Bosporum Tentabo. Similiter etiam I, 1, 13.: Gaudentem proprio findere sarculo Agros, Attalicis conditionibus, Nunquam dimoveas, ut trabe Cyprica Myrtoum pavidus nauta secet mare. Quamquam illic, qui cavillari voluerit, nisi vere nautam, nauclerum tamen factum ex rustico significari dicet. Ceterum hunc ipsum locum praeter *πολυθρύλλητον* istum alterum (II, 24, 38.) praecipuam fuisse causam divinavimus, cur Nautae cognomen Propertio in libris haeserit, ad inscript. libr. I.

v. 21. communes Penates. Cynthiae et Propertii interpretantur. Ergo hi amantes alterna caede ante focos suae domus mactaturi se erant. Et hinc iisdem Laribus, ante quos mortuus ceciderat, praemia laturus Propertius? Quo commento nec dirius quidquam, neque immanius excogitari posse existimo. An forte aliorum esse caedem alternam, aliorum communes penates dicas, et, ne ipse risum debeas, balbutientem Propertium facias? At hoc certe fatearis, non eminus, et dum in Hyrcania res geritur, Romae Cynthiae penates spargi. Nam quod huc referunt Virg. Aen. IV, 21.: „sparsos fraterna caede Penates" — Sychaeus iuxta aram trucidatus erat. Itaque communes penates aut erunt publici penates eius regionis, quam bello petitura erat expeditio Romana (de

qua cf. Q. P. III, 3. p. 225.), aut quod multo magis placet, quos uterque populus colit. Sic recte communes dii appellantur, quos duarum partium vel foedus facientium vel litigantium utraque adorat. Sic El. I, 16, 16.: Ut solet amoto labi custode puella Perfida, communes nec meminisse deos. Virg. Aen. XII, 118.: Rutulique viri Teucrique — In medioque focos et dis communibus aras parant. VIII, 275.: Communemque vocate deum et date vina volentes — ubi praeter multa alia absurda hoc unum verissimum ex Varrone Servius refert, deos — alios esse privatos — alios communes: privatos, quos unaquaeque gens colit — communes, quos universi, ut Castorem, Pollucem, Liberum, Herculem. Add. Eleg. ad Messal. Anthol. Lat. Burmann. T. I. p. 299. v. 50. Nam communem quoque Martem (Cic. pro Mil. 21.) huc referendum patet. Adde quos citat Burm. ad Prop. l. l. Sic autem si interpreteris, Penates Romanos non certos quosdam et peculiares eius gentis deos fuisse, sed quales nos in libello de Diis Romm. patriis (II, 4. p. 70. c. 6. p. 75.) eos definierimus, necesse est fatearis (13. p. 93 sq. §. 14. p. 95.). Nam de bello civili, in quo magis etiam proprie communes penates alterna caede sparsi dicerentur, nunc sermonem non esse constat. Cf. Q. P. l. l. Ceterum singularis Lachmanni opinio est, qui spargere non conspergere sed dispergere interpretatur. Quo augeri difficultatem, non minui, quis non sentiat? Alienissimus enim, quamvis contra ille contendat, Valerii Flacci locus (Arg. II, 596.): iterum Aeolios fortuna penates Spargit et infelix Scythicum gens quaerimus amnes. Quis enim penates Romanorum dissipatos dixerit, qui exercitu orientem peterent, non uti Iason, qui exsul patria fugerat; tum recte quidem fortuna penates spargere dicatur; caedes nequaquam. Vastare ea potest Larem, non dissipare. Denique semper illa adiectivorum alternae et communis repugnantia supererit, quam nisi eo quo significavimus modo frustra conaris componere.

v. 23. Lachmannus novam elegiam orditur. Tu vero cf. quae de argumento elegiae et ad v. 11. dixerimus.

v. 26. Roscida. Rorida, quod in quibusdam libris, non malis sane, invenitur, in ordinem cum Lachmanno recipere, donec Latinum esse certioribus auctoritatibus probaretur dubitavi. Contra v. 28. recte idem adspicies restituit; apodosin enim quodammodo efficit hic versus antecedentium duorum.

v. 27. sorores pro Musis dictae, ut III, 1, 7. et Lygd. (Tib.) III, 4, 45. doctae sorores cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 29. p. 158.

v. 29. ut est deperditus Io. Iacobus nescio quid languidi in illo participio inesse ratus est, utpote post tam forte comburendi verbum posito. At illa urendi verba cum toto illo de flammis Amoris loco iam dudum ita usu attrita sunt, ut vix metaphoram quis sentiat, nedum, praesertim in poeta amatorio, fortissimam eám dicas. Ipse coniicit: ut oestro percitus Io, quod miris modis sic interpretatur: ut Iupiter concremationis dolorem cum Semela, ita simul cum Io oestri aculeum sensit. — At primum non Latinum est. Nam simplicem ablativum, quo auctor vel causa facti persona significetur, nisi in certis quibusdam dicendi formulis, nunquam inveniri, iam ad El. II, 29, 41. contra eundem Iacobum observavimus. Hic vero tanto, hercle, minus, quod ablativus instrumenti superea additur: oestro remotiorem q. d. causam fuisse Ionem declarat. Illud igitur si volebat, per Ionem vel adeo propter Ionem scribere debebat itemque propter Semelen. Iam vero quae ista est sententia! Patremne Iovem, quasi coelestem quendam Wertherum veluti magicae artis communione non solum dominae suae dolores sentire, sed cum altera simul concrematum, cum altera asilo vexatum se credere! Apage istum novae Arcadiae pastorem, cum quo „Divum pater atque hominum rex“ nihil unquam commune habuit. At viro egregio hic accidisse, quod interdum vel bono Homero Flaccus ait, insequentis potissimum versus interpretatio doceat. Nam sic illa: „quum in Semela comburi dicatur“ (de fulminibus sine dubio cogitabat, quibus cinctum ad amicam illam Iovem venisse, fama fuit), „tecta avis (?) volasse Troiam, cur tam vage in hac locutus sit.“ — Iupiter vero ad tecta (i. e. ad domus) Troiae avis (i. e. avis figuram indutus) volavit, ut Ganymedem raperet. Fabula notissima apud plurimos auctores extat, quos ab interpretibus citatos ad h. l. invenies. In superioribus vero versibus ablativi Semela et Io neminem offendent, qui amandi verba (perire, perdi, uri, comburi) cum illo casu passim iungi a poetis meminerit. Recte; nam flammae comparatur facies amatae puellae, nec illa tamquam persona, ultro efficit amorem, sed quasi voluptatis simul et perniciei instrumentum est. Sic Prop. I, 9, 34. II, 24, 41. perire aliquo dicit; cf. Hor. Od. I, 27, 10. Burm. ad Quintil. Declam. XV, 18. p. 314. Horat. Od. I, 4. extr.: (Lycidas) quo calet iuventus nunc omnis et mox virgines tepebunt. Ovid. Met. II, 641.: Incaluit deo, atque adeo Fast. I, 416.: Lotide captus erat. — Ceterum ad sententiam non inepte conferas Epigr. ἄδηλ. Anth. Pal. V, 100. p. 107. A. 1. p. 110.:

Εἰδείη καὶ Ζῆνα καὶ Ἅιδα, τόν τε θαλάσσης
Σκηπτοῦχον μαλερῶν δοῦλον ἐόντα πόθων·
Εἰ δὲ θεοὶ τοιοῖδε, θεοῖς δ' ἐνέπουσιν ἕπεσθαι
Ἀνθρώπους, τί θεῶν ἔργα μαθὼν ἀδικῶ;

Add. Terent. Eun. III, 5, 40.

v. 33. Ingeniosa coniectura docti Itali est, qui Vat. II. i. e. v. c. Perr. interpolavit: Nec te virginei reverentia moverit oris. Sed recta habet, quod libri incorrupti tuentur: Nec tu Virginibus reverentia moveris ora. Nam movere est sollicitare, lacessere, uti recte Schol. explicat Hor. Epod. XVII, 3.: Per — Dianae non movenda numina. Reverens autem est verecundus, qualia virginum ora esse decet. Sic sine casu positum a Plin. Ep. VIII, 21. cum modesto tamquam *συνώνυμον* iungitur.

v. 37. me. Vaticani II. interpolator te coniecit, quod propter versum huius elegiae novissimum ita Lachm. et Iacob. blandiebatur, ut in ordinem recipere non dubitarent. At non satis attenderunt, quae sub hac allegoria sententia lateat. Hoc enim ait: hic (i. e. tecum in patriis montibus, non aesculetis Hyrcanis) si mihi Musae et Bacchus carmina dederint, lubens ego me furore poetico rapi patiar — vel — si cui hoc etiam obscurius dictum videatur — si te praesente, gelidum nemus fontesque salubres et vinum ad carmina pangenda paratum me reddiderint, non refragabor. Nam sine te nostrum non valet ingenium. Vides, id quod L. emendatione sua efficere voluerit, iam ultro adverbio hic praeberi. Contra Musarum choreae misceri nihil aliud esse posse, quam quod supra posuimus, poesi operari, satis docent El. II, 10, 1.:

Iam tempus lustrare aliis Helicona choreis.

III, 1, 4.: Primus ego ingredior — Itala per Graios orgia ferre choros, ubi v. comm. Sed ita, ut nulli dubitationi locus sit III, 5, 19.:

Me iuvat in prima coluisse Helicona iuventa
Musarumque choris implicuisse manus:
Me iuvat et multo mentem vincire Lyaeo.

qui versus veluti pro commentario huiusce loci esse possint. Itaque pronomine te v. 37. recepto haec evaderet sententia: si tu ipsa, Cynthia, carminibus operam dederis, ego quoque canam. Quod a poetae mente maxime alienum fuisse censeo. Ceterum a veris choreis in honorem deorum institutis ductam esse hanc metaphoram constat. Quo nomine non inepte Burmann. comparat epigr. 12. Anth. Opsopoei p. 135. i. e. ep. *ἄδηλ.* DXXI. Ann. Br. T. III, 260 sq.:

Ἔλθετε πρὸς τέμενος γλαυκώπιδος ἀγλαὸν Ἥρης
Λεσβίδες ἁβροπόδων βήμαθ' ἑλισσόμεναι,
Ἔνθα καλὸν στήσασθε θεῇ χορόν· ὔμμι δ' ἀπάρξει
Σαπφὼ χρυσείην χερσὶν ἔχουσα λύρην κ. τ. λ.

At ne illud quidem obscurum, cur Bacchus hic et toties *Μουσαγέτης* fingatur. Assiduus enim ille poetarum, lyricorum imprimis, patronus habetur. Cf. praeter El. III, 17. III, 2, 7. IV, 1, 62. ubi v. comm., IV, 6, 75 sq. quibus versibus causam eius fictionis haud obscure significari intelliges, Hor. Od. II, 19. III, 25, 1. ibique Boettig. p. 116. Aristoph. Nubb. v. 603. ubi vid. Schol. Euripid. Iph. Taur. 1243. Weber. ad Pers. Sat. I, 76. p. 32. Passov. ad Pers. Prol. p. 219. Hor. Epist. I, 19, 4. IV, 2, 78. ibique Schmid. Virgil. Ecl. VII, 25. cum I. H. Voss. comment. Ciofan. ad Ovid. Trist. I, 7, 2, T. III. p. 479. Burm. Wernsd. ad Himer. p. 10. Iacobs. Animadvv. Anth. Gr. T. VIII. p. 306. Creuzer. de Symboll. T. III. §. 20. p. 283. ed. pr. Tribuitur autem thyrso eius fanatica quaedam vis qua dei turba in furorem agitatur. Ovid. Amorr. III, 710. III, 764. Hor. Od. l. l. Hunc furorem igitur eundem, quem poeticum esse docta translatione Lucretius significat N. R. I, 922.:

— acri
Percussit thyrso laudis spes magna meum cor
Et simul incussit suavem mi in pectus amorem
Musarum.

docta autem v. 38. (pro quo Scaliger tecta coni. probantibus Broukh. Burm. all. nec Lachm. vetante) haec cuspis eleganter dicitur, quia quum tripudia et choreae incessus signare et moderari fingitur (sic docta tibia v. 16.) tum doctos et ipsos poetas efficit. Quo de epitheto cf. comm. ad II, 34, 89. Recte denique hedera se coronat poeta v. 39. ut Bacchi foliorum illorum amantis cultorem et clientem se significet. Cf. comm. ad El. IV, 1, 61. Docte autem ait sacros corymbos. Hoc enim hederae genus fructu candido et densis acinis, grandius racemis in orbem circumactis (ut ait Plin. N. H. XVI, 42. coll. Theophr. Hist. Plant. III, 18, 6.) propter pampini similitudinem et sequacem simul sertis faciendis naturam prae ceteris coronamentis in cultu Bacchico expetebatur. Cf. Eudoc. Viol. p. 121. Plutarch. Quaest. Sympos. III, 2. Eust. ad Dionys. Perieg. 573.

Elegia XXXI.

De tempore, quo hoc carmen scriptum sit, vid. Q. P. III, 3. p. 223.; de omissa clausa legitima, unde truncum fine videatur, ibid. II, 5. p. 103.

v. 3. in speciem recte Hemsterhusius contra Broukh. vindicat, qui Heinsii coni. in spatium receperat; recte etiam Lachm. Bentlei. emendationem versus Manliani adstruit V, 152.:

Femineae vestes, nec in usum tegmina plantis
Sed speciem, fractique placent ad mollia gressus.

Licebat etiam Caesarem comparare B. G. VII, 23, 5. de muris Gallicis: Hoc cum in speciem — opus non deforme est tum ad utilitatem — summam habet opportunitatem. Ceterum Poenas columnas dici e marmore Numidico vel Punico factas certum est. Fulvum colore, rubris venis distinctum Platner. describit (Descr. Urb. Rom. T. I. p. 344.); nunc „*giallo antico*" vocatur.

v. 4. In intercolumniis dispositas fuisse Danaidum effigies recte interpretes observant coll. Ovid. Amorr. II, 2, 4. Trist. III, 3, 61. Acron. ap. Scholiast. Pers. II, 56. Nec iniuria Viscontius (Mus. P. Cl. II. p. 39.) suspicatur, statuas illas e Graecia Romam translatas fuisse, fortasse e templo Minervae Lindiae, quod Danaides condidisse ferebantur (Herodot. II, 182. add. Diod. V, 58. Gallim. ap. Euseb. Praepar. Ev. III, 8.). Quid Danaides cum Apolline habuerint, frustra quaesiveris. Illud certe falsum, quod idem Viscontius l. l. ariolatur, ideo cum illo deo compositas fuisse, quod ipsae ex Aegypto oriundae optime mysteriis Sibyllinis, quas Aegyptiacas censet, custodes additae fuerint. Nos hunc quoque ornatum more Romanorum, qui illis certe temporibus quid cuiusque numinis religioni aptum esset, non tam sollicite quaererent, in solam speciem expetitum esse credimus.

v. 5—12. Vulgo hi versus ad finem elegidii reiiciuntur, cum turbatum in libris mss. ordinem nobis persuasum sit. Cf. Q. P. II, 5. p. 82. Nam ne de confusa descriptione dicam, qua ara prius quam templum commemoraretur, atque adeo per particulam tum ad ipsum transiretur, cuius pars erat statua ea: Apollinis statua haec eadem est, de qua iterum versibus extremis poetam vulgo faciunt dicentem. Quamquam tantum abest, ut quin duo dei signa alterum in templo, alterum in porticu atque bibliotheca posita fuisse possint dubitem, ut ad locum ab interpretibus neglectum, quo id aperte doceatur, provocem Plin. N. H. XXXIV, 18. Quem locum, quod Santenius praetervidit, tanto equidem magis miror, quia idem eiusdem capitis initium citavit, ut Capitolinum Apollinem ne cum Palatino confunderent, imprudentes admoneret. Et tamen eiusdem capitis versus paullo inferiores hoc Propertii loco (i. e. versibus 5. et 6. antiqui ordinis) Apollinem in porticu positum hic descriptum non esse, manifesto contra Santenium declarant. Nam alter ille Apollo Actius Citharoedus, Sco-

pae opus clarissimum (Plin. XXXVI, 4, 7.) et in nummis toties eodem quo hic describitur habitu expressus (cf. Visconti. Mus. P. Cl. T. I. tab. A. V. f. 11. coll. tab. XII.) marmoreus fuit; hic vero alter in porticu, quem Acro schol. ad Hor. Epist. I, 3, 17. nescio quam fabulam secutus ipsum Augusti vultum dei effigie rettulisse narrat, colosseus erat et opere Tuscanico aeneus. — Restat tamen, ut errorem corrigamus a nobis ad h. l. interpret. Propert. Germ. commissum. Nam cum omnes qui de hoc templo egerunt viri docti (quos citatos invenies ap. Schmid. ad Hor. Epist. I, 3, 17.) praeter unum ni fallor Sachs. (Descript. Urb. Rom. II. p. 10.) porticum de ipsis templi laxamentis interpretati in his bibliothecam publicam extructam existimarent, hoc aliter factum esse non posse credebam, nisi cryptoporticus ea fuisset (cf. Müller. de Archaeol. p. 343. n. 3.), in cuius parietibus inter pilas (quae hic minus proprie columnae dictae essent) typis expressa fuissent Danaidum signa. At illud cum ipsa templi maiestas vetuit, tum aliter fuisse Schol. Pers. l. l. docet. Nam Acronem tradidisse narrat, „quod in porticu Apollinis Palatini fuerunt Danaidum effigies et contra eas sub divo totidem equestres filiorum Aegisthi“ (l. Aegypti). Itaque aut simili modo, quo vel basilica Fanestris cum aede Augusti (Vitruv. V, 1, 7.) vel porticus Metelli cum templis duobus iuncta erat (cf. Vellei. Pat. I, 11, 3. Plin. N. H. XXXVI, 4, 14. Schneider. ad Vitruv. III, 2, 5.), aut ab utraque parte templi porticus (quas Graeci προστάσεις appellant) additas fuisse coniicio. Nam porticus, non porticum, additas aedi Palatinae et Suetonius (Oct. c. 29.) et testis omnium locupletissimus ipse Augustus in Monumento Ancyrano (Tab. I. a dextra v. 2.) auctor est. Deinde separatim semper porticus et templum commemorantur (Plin. XXXIV, 15. XXXVI, 4, 7. Suet. l. l. addidit porticus. Monum. Ancyr. TEMPLUM APOLLINIS CUM PORTICIBUS.). Quod egregie confirmat ipse hic Propertii locus v. 5. Tum medium — surgebat — templum. Bina autem inter columnarum ordines spatia fuisse coniicio, interius parietibus clausum (cf. Pausan. VI, 24, 4. Vitruv. V, 8, 2.), exterius patens in publicum, vel etiam ut forma basilicarum non dissimilis efficeretur, duas porticus apertas, tertiae interiori iunctas quae altior illis et praeter lumina clausa esset. Nam coelo et aeri tot volumina et codices exposita esse non potuerunt, si forte pluteis tantum discreta a via laxamenta credas; et Augustum, quem eo loco saepissime senatum habuisse Sueton. l. l. narrat, inter statuas et libros et paene in publico patres conscr. consuluisse, absurdissimum foret

fingere. Adde quod Colossus L. pedes altus in ea positus erat et quae praeterea intentius reputanti alia se offerent argumenta. Haec postquam scripsi, incidi in Beckeri librum doctissimum de Antiq. Rom., qui T. I. p. 426. ita componere litem studuit, ut templum Apollinis circumcirca fororum ratione porticibus clausum et in area interiore positum existimaret. Quo invento satis ingenioso cum multos scrupulos tolli appareat, illam an nostram interpretationem sequi malit, libera docto lectori optio conceditur. — Ceterum claro recte Lachmannus ex optimis membranis Prop. restituit, album marmor interpretatus. Scaliger enim ex quibusdam libris infimae notae Clario reposuerat, quod non ideo Lachm. reiicere debebat, quia „Palatini Apollinis templum fuisset, non Clarii." Sic enim accipi suam emendationem Scaliger ipse vetuerat: „Non vult dicere templum Apollinis Palatini Clario marmore structum, sed aedem eam esse Phoebo cariorem templo, quod in Claro est, et illo quod est in Delo." Quamquam equidem tanto minus eam coniecturam probaverim. Neque enim oratio tam intricata, et quam falso intelligere paene necesse erat, descriptionis evidentiam decet.

v. 6. (10.) carius libri omnes, carior ed. Iacob. operarum, puto, vitio. Ortygiam alii insulam prope Delum sitam (Strab. X. p. 480.) vel ipsam Delon (Spanh. ad Call. h. Apoll. 59. Del. 255. Solin. c. 18.) interpretantur, alii rectius lucum iuxta Ephesum. Cf. Tacit. Ann. III, 61. Iacobs. Animadvv. ad Anthol. Gr. T. VI. p. 414. comm. ad El. III, 22, 15.

v. 7. (11.) Et duo — erant. Libri incorrupti: Et quo; quod falsum esse nemo non sensit. Unde alii audacissime Auro, quod inde ab Aldinis editiones occupavit, alii (inter quos Lachm. et Iacob. Italos secuti) In quo reposuerunt. Quod quomodo in vulgatam, nulla litterarum similitudine et sententia tam aperta, tamque vulgari vocabulo, transire potuerit, nemo docuit. Ego vero una inversa lineola *d* pro *q*, et recepta, quam probi libri tuentur, scriptura erant, id quod carmina nunc praeferunt, effeci. Ne tamen duobus me templum curribus pro uno licentius donasse mireris: plura in fastigio eius templi signa fuisse, accuratissimus ille, quem scis, Plinius XXXVI, 4, 2. me docuit. Duo autem eiusdem dei signa in uno fastigio posita tantum abest, ut aut veterum consuetudini aut pulcri sensui aliena sint, ut consensu antiquitatis usus is probetur. Sic in aede Concordiae atque in ipso fastigio tres Victoriae fuerunt, una in culmine, reliquae duae per antefixa dispositae (Liv. XXVI, 23.), sic iuxta cul-

men templi Minervae Aeginetici ab utraque parte singula Nemesis simulacra conspiciuntur, cf. Müller. et Oesterl. Monum. Art. antiq. T. I. fasc. 1. Tab. VI. n. 28. Tab. VII, 29., sic diversos eiusdem argumenti status et species, et eiusdem dei vel hominis imaginem plurifariam in eodem loco proposita esse docent Od. Müller. de Archaeol. p. 435. 4. Thiersch. Ephemm. Ant. 1827. N. 18. Quinimmo in typo, quo templum Capitolinum a Vespasiano refectum videtur expressum fuisse (Piranesi Magnificenza ed. archit. de' Rom. p. CXCVIII. Monument. Ant. Müller. et Oesterl. T. II. fasc. 1. Tab. II, 13.), non modo in culmine fragmentum quadrigae (cf. etiam Plin. XXXV, 45. XXVIII, 4. Plutarch. Public. p. 103. all.), super altero vero antefixo biga Lunae apparet (altera enim pars mutila): sed in ipso fastigii tympano iterum Solis et Lunae currus iuxta lovem conspiciuntur. At, ne quidquam ad nostram sententiam stabiliendam desideretur: supra propylaeo fori Corinthiaci duo Solis currus aurei conspiciebantur, quorum altero ipsum Solem, altero Phaethontem Solis filium vectum, nescio quo indicio usus Pausanias interpretatur (Lib. II. Corinth. 3. prope init.). Quid si ad illud exemplar hi currus Romani efficti fuerunt? Quamquam rectius fortasse exorientis et occidentis Solis imagines hic atque illic significatas esse coniicias.

v. 8—10. (12—14.) Valvas caelatas iam Simonides commemorat Anthol. Pal. IX, 758. De praeclara metonymia, qua ipsi operi quodammodo sensus, moeror et misericordia tribuitur, cf. Q. P. II, 6. p. 154.

v. 9. (13.) Parnasi scripsimus, codd. mss. obsecuti, quamvis diversas de hac re VV. DD. sententias esse, notum sit. Cf. Broukh. ad h. l. Passov. ad Pers. Sat. I, 2. Perizon. ad Aelian. V. H. VIII, 11. Heins. ad Virg. Ecl. X, 11. Georg. II, 18. Drakenb. ad Liv. XL, 10, 1. Spanh. ad Callim. h. Del. v. 93. C. Schneid. de Elem. L. L. p. 441. Ad usum Latinum dissensisse iam veteres videbis coll. Terent. Scaur. p. 2257. Cassiod. p. 2283. Quintil. I, 7, 20. Mar. Victor. p. 2456.

v. 11. (15.) De Apolline Citharoedo v. quae supra disputaverimus.

v. 14. (6.) Recte comparant Callim. h. Apoll. 24. de Niobae statua: *Μάρμαρον ἀντὶ γυναικὸς ὀιζυρόν τι χανούσης*. Locus deinde certatim a poetis excultus (cf. ad El. III, 9, 9. Virg. Ge. III, 34. Aen. VI, 848 sq. [Platon?] ep. XV. Ann. Br. I. p. 172. Ioann. Barbucall. ep. VI. VII. Ann. Br. III. p. 11.). Sic aenea Erinna ap. Christod. Ecphras. 109.: *ἐνὶ σιγῇ Πιερικῆς ῥαθάμιγγας ἀποσταλάουσα μελίσσης*, et Helena ap. eund. *ἔπνει θερμὸν ἔρωτα καὶ*

ἀψύχῳ ἐνὶ τέχνῃ. Similis ratio versuum sequentium. Nam de nobilibus illis Myronis bubus cf. locos plurimos cum ab Interpp. h. l. tum a Fea ad Winckelm. Hist. Art. Opp. T. IV. p. 307. n. 3. ed. Eisel. 1825. citatos; quibus add. Euen. Anth. Pal. p. 476. Ann. Br. I. p. 165. n. 10.:

Ἢ τὸ δέρας χάλκειον ὅλον βοὶ τῷδ' ἐπικεῖται
ἔκτοθεν· ἢ ψυχὴν ἔνδον ὁ χαλκὸς ἔχει.

Pro artificis corrigunt artifices. Haud equidem illud moverim, sive ad Myronis rettuleris, sive, quod magis placet, in eam sententiam, quam correctura efficere voluerunt VV. DD., interpretatione explicueris. Nam fuisse aliquando etiam nominativi plur. eam terminationem haud dubie Varr. L. L. VII, 37. (VIII, 66. Müller.) pronuntiat, et in adiectivis, saepius fortasse quam hucusque factum est, eius formae vestigia criticos deprehensuros esse, si accuratius attenderint, confido. Nunc cf. Sil. Ital. II, 399. ubi omnes codd. albentis, de quo, quantum sciam, nemo editorum dubitavit, et quae Od. Müller. ad Varr. l. l. et V, 5. citat de L. L. V, 65. V, 143. VII, 74. 105. IX, 29. novendialis VI, 26. muliebris IX, 40. simileis IX, 43. disparilis VIII, 67. Add. VI, 83. V, 21. 56. IX, 62. 34. Plaut. Mil. Glor. III, 1, 84.

Elegia XXXII.

De dispositione egimus Q. P. II, 5. p. 90.

v. 1 sq. „Qui videt, is peccat.“ Cynthiae verba sunt, peccatum excusantis. Vid. Q. P. II, 6. s. II. §. 6. p. 117. ibid. p. 126. Quod qui praeterviderunt VV. DD. (et omnes credo praetervidisse), hos aut bis contra Latinitatem peccare aut tentare coniectura locum sanissimum necesse erat. Primum enim lumen pro oculo i. e. oculis amatorum dictum existimabant. Quod falsum esse sentiens Lachm. lumina crimen habent coniecit (Heinsiani enim libri in talibus nulla est auctoritas). Ac demonstrare debebant, lumen singulari numero positum oculos significare. Quodsi nos posse ea significatione poni, haec exempla illis subministramus: Ovid. Met. I, 740. de Io e vacca pristinae formae reddita: fit luminis artior orbis, IX, 27.: lumine torvo spectat, X, 293. ubi ὁμοιόπτωτον Ovidio familiare sententiam declarat: tumidumque ad lumina lumen Attollens, pariter cum coelo vidit amantem (cf. XIV, 200.), Trist. III, 3, 20.: nec nostro parcior imber Lumine, de verna quam nive manat aqua (add. Plin. N. H. XI, 37.): multum tamen abest, ut hic ferri posse eam interpretationem censeamus. Illis enim locis omnibus aliter accipi eam vocem reliquus sententiarum nexus

vetat. Hic omnia contra. Misere enim ille syllogismus pereat, quo amatores suos oculos criminari demonstrentur. Quid enim hoc ad Cynthiam? At quid, quaeris, ista interrogatio ad interpretes? qui, ut omnem, qui restat, nexum orationis rumpant: Nam quid pro Quidnam dictum docent. Rectius fortasse Scaliger, qui penitus dilacerata verba haec cum ceteris veluti Absyrti membra undique versus dissipaverit. At non commisit Barthius. Scilicet „τὸ nam non pro interrogandi particula quidnam? capit, sed pro caussali, quod rationem reddit omissae sententiae: id te non fugit.“ Et totum assentientem habet eum, quem scis, Kuinoelium. Vides, qualibus praestigiis tum interpretes verba, quae non essent, ut essent, effecerint. At missis nugis istis, quid poeta tota hac carminis parte (v. 1—20.) voluerit, quaeramus. Hoc enim certum, proximis qui sequuntur versibus (3—20.) nihil agere nisi ut Cynthiam libenter ab aliis peti se et tentari velle demonstret. Ipsam occasiones et opportunitates quam plurimas peregrinationibus quaerere, ipsam alienis amoribus alimenta praebere, ipsam custodis i. e. amici praesentiam fugere. Hinc necessario efficitur, ut verbis his: facti c. l. h., propter quae ista omnia exponuntur, non oculi amantium, sed ipsa Cynthia accusetur; deinde, cum tamen altera illa i. e. oculorum alienorum incusatio in primis huius carminis verbis apertissima sit: ut, quod initio diximus, illa verba non poetae sint, sed Cynthiae. Hoc igitur ille: „Tu frequentiam amatorum eo excusas, quod quicunque te viderit te tentet. Non equidem nego factum. Sed causam facti praecidere te iubeo. Fac, ne videaris.“ Vides enthymema, quo per particulam ergo Cynthiae verba in suum usum poeta vertit. At illa non se occultaverat. Iure igitur „lumen“ accusari ait; i. e. quod semper illa in publico et lumine versetur, assiduamque amantibus ut se videant, facultatem praebeat. Iam quam facile sequentia cedant, sponte apparet.

v. 3. Praenesti, quod probi libri omnes tuentur, non, ut Iacob. censet, genitivus est, quem in *i* desinentem tertia declinatio in solis Graecis iis admittit, quorum nominativus *es* habet. Cf. Schneider. de Form. L. L. pp. 166. 236. Ruddim. Instit. p. 59. n. 71. Nec tamen aut Praenestis corrigo (nedum Praenestis — sortes Praenestinis dictum censeam), nec cum Lachm. Praeneste. Nam ne Priscianus quidem me movet, qui (p. 759. Putsch. I, 328. Kr. coll. Char. p. 43.) illius oppidi nomen similem habere nominativum ablativo docet. Recte enim ille, siquidem verum dixit ablativum. Contra ille casus, quem locativum nunc rectius

appellant, quique aliis nominibus, veluti Tiburi, Carthagini, Troezeni, Anxuri, Heliconi (Lucret. III, 133. ub. v. Forbig.) ita absonus videbatur veteribus grammaticis, ut pro dativo eum haberent (cf. Serv. ad Virg. Aen. IV, 224. et ipse Priscianus XV. p. 1006. Putsch. T. I. p. 616. Kr.), etiam a Praeneste Praenesti fieri reliquorum proportione permisit. Cf. Schneider l. l. p. 236. Ruddim. l. l. T. II. p. 253. (p. 270. ed. Lips.) Haas. ad Reisig. Gr. Lat. p. 629. n. 520. Krüger. Gr. Lat. p. 518. n. 1. Schmid. ad Hor. Epist. I. p. 167.

v. 5. Curve te in. Primae Aldinae habent, ne Lachm. et Iacob. credas, qui Mureti eam emendationem esse suspicantur, recte ab editoribus omnibus, quamvis (quod in Burmanno mireris) tacite receptum.

v. 6. Idem sine dubio librariorum error, qui superiore versu vatem procreavit, hic Cynthiam anum fecit. Sed absurde hic et nullo sententiae commodo Propertium ea appellatione amicae conviciaturum esse, quis non sentiat? Probari posse, quod Mentelianus cum Heinsianis nostris praebet anus, iam interpretes coll. Catull. LXVIII, 46.: charta anus, Plin. N. H. XVII, 5.: terra anus, Martial. I, 105.: testa anus docuerunt. Adde Martial. VI, 27.: amphora anus, Ovid. Amorr. I, 766.: cerva anus et quod simili modo dictum quamvis multo etiam audacius Pers. VI, 74.: popa venter. Quamquam video, quid intersit. Coniecturas tamen: te via Terracinam, te via ducit? amas, t. v. d. onus, ideo solum commemoro, ut, quam parum iis proficiamus, intelligatur. Malim equidem: te via Lanuvium. Nam ducit glossemati deberi admodum est probabile. Quod cum semel in ordinem receptum esset, quam facili opera Lanuvium in anum detruncari potuerit, patet. Ad sententiam vero cf. El. II, 8, 3 sqq.

v. 8. sed. Groningani librarius solito hic doctior nam pro sed correxit. Interpretes contra te docebunt, sed pro nam per enallagen poeticam positum esse. Quod quam absurdum sit, demonstravimus Q. P. II, 6. s. II. §. 14. p. 130. Nec tamen ideo cum Lachm. Groning. scripturam interpolationis manifestam probamus. Nam si in contrario causa dicti cuiusdam inest, satis est poetae contrarium indicasse. „Hic", ait, „in solitudine spatieris — turba contra suspecta mihi est."

v. 10. Error corrigendus est in comment. ad interp. h. l. Germanicam a nobis commissus, ubi haec sacra Aricina, quae idibus Sextilibus celebrantur (cf. Martial. Ep. XII, 67.

Stat. Silv. IV, 1, 60. ibique Markland.) cum Lanuvinis confudimus.

v. 11. Ordo verborum Lachmanno debetur egregie confirmatus ab Hb. De usu ablativi eleganti cf. Q. P. II, 6. p. 136.

v. 14. Frustra hic vanam doctrinae iactationem Propertio exprobrari indicavimus Q. P. II, 4. p. 71. Nam recte iam Turnebus statuam Maronis intelligit, ornamentum aquarum salientium. Maro enim idem est, qui Silenus, Bacchi parvuli educator, quo nomine saepissime a veteribus commemoratur. Sic Fulgent. in Dion. II, 15.: Unde pater puerum tollens, in femore suo misit, Maroni postea nutriendum dedit. Eustath. Od. ι'. 197. secutus (Ath. I. p. 33. D. c. 60.): ἐν δὲ τοῖς τοῦ δειπνοσοφιστοῦ φέρεται καὶ ὁ Μάρων εἷς τῶν μετὰ Διονύσου στρατευομένων κ. τ. λ. Aliis, ut in talibus fabulis accidit, filius est Sileni, Nonn. Dion. XIV, 96.: Σειληνὸς τρισσοὺς παῖδας ἄγων θιασώδεας, εἰς ἑνοπὴν γὰρ — Ἀστραῖος κεκόρυστο, Μάρων κίεν, ἕσπετο Ληνεύς. Theophilo ad Autolyc. II. p. 86. Ariadnae et Bacchi filius est: cf. Eur. Cycl. 141. Ubique tamen Bacchi comes, nec obscuri nominis, sed adeo nobilis, ut non modo a Clearch. ap. Athen. (I. p. 28. C.) instar omnium, tamquam optimus vini artifex commemoretur: Οἶνος Λέσβιος, ὃν αὐτὸς ἐποίησεν ὁ Μάρων — sed sicut alias Bacchus pro ipso vino ponatur, Eurip. fl. l. v. 411. (412.): ἐμπλήσας σκύφος Μάρωνος αὐτῷ, Cratino praeeunte ap. Poll. IV. sect. 26.: οὔπω πίον τοσοῦτον, οὐδὲ πίομαι Μάρωνα. Cf. Musgr. ad Eur. l. l. ibid. v. 612. Sive igitur ille fuit, qui κατ' ἐξοχήν Silenus appellabatur, sive inter Silenos, quo nomine seniores omnes Bacchi comites intelligi notum est (cf. El. III, 3, 29. Müller. de Archaeol.), fama quadam excelluit, nec putida Propertii doctrina est, et locus inter publicorum lacuum ornamenta optimo iure ei tributus est. Bacchi enim comites, quibus gratissimum diversorium luci gelidi iugesque fontes erant — nam „Naida Bacchus amat“ —, ab antiquis scite admodum huic usui adhibebantur. Cf. Cuiac. Observv. II, 2. XIII, 3. Heyn. Comm. Soc. Gott. X. p. 88. Heron. Spirit. p. 190. 205. Od. Müller. de Archaeol. p. 518. et ridiculi illius Trimalchionis „Marsyae (Petron. XXXVI.) quatuor circa angulos repositorii, ex quorum utriculis garum piperatum currebat.“ Silenorum autem signa hoc in genere tam frequentia, ut ipsum nomen Silanum, ab incolis Magnae Graeciae sine dubio acceptum, Romani Graeca, ni fallor, voce ad Latinam stirpem relata, passim et promiscue pro aqua ex fistula saliente ponerent. Sic Glossae Philox. Silanus, Silana κρήνη. Item Κρου-

νός — tubus, silvanus. Ubi cave, ne cum Muncker. ad Hygin. fab. CLXII. p. 241.: Silanus corrigas. Nam Silvani quoque et Sileni, ut nomine, ita natura simillimi, passim a veteribus confusi sunt. Eaedem Glossae: Silvanum — ὑδρίον. Cf. Notas Tiron. p. 171. Lucret. VI, 1262.: Corpora Silanos ad aquarum strata iacebant. Cels. III, 18.: Confert etiam ad somnum Silanus iuxta cadens. Hygin. l. l. [de Amymone: Pro quo (Neptunus) beneficium ei tribuit, iussitque eius fuscinam de petra educere; quae cum eduxisset] tres Silani sunt secuti, qui ex Amymonis nomine Amymonius fons appellatus est. Add. Inscript. ap. Orell. C. I. n. 3821. et nummos ap. Morell. Fam. Rom. in gente Iunia T. I. n. 6., qui in parte adversa Silani personam habet, quo cognomen illud D. Iunii Silanus significetur. Extant etiamnunc eiusmodi monumenta antiquae artis, velut signum illud Sileni in aedibus principis Altieri, quod fonti destinatum fuisse fistulae apertura argui Visconti observat Mus. P. Cl. I. p. 282. interp. Gall. Alium Silenum ebrium, somno gravatum et utre nixum, unde aquas quondam cecidisse foramen etiamnunc conspicuum prodit, idem Visconti exhibet l. l. Tab. XLVII. Quinimmo Satyrum Bacchi comitem profundentem aquam ex utre, choro Nympharum circumdatum (cf. v. 15.) eundemque sopitum, describit auctor ep. Anthol. Pal. IX, 826.:

> Τὸν Βρομίου Σάτυρον τεχνήσατο δαιδαλέη χεὶρ
> μούνη θεσπεσίως πνεῦμα βαλοῦσα λίθῳ·
> Εἰμὶ δὲ ταῖς Νύμφαισιν ὁμέψιος· ἀντὶ δὲ τοῦ πρὶν
> πορφυρέου μέθυος λαρὸν ὕδωρ προχέω.
> Εὗκηλον δ' ἴθυνε φέρων πόδα, μὴ τάχα κοῦρον
> κινήσῃς ἁπαλῷ κώματι θελγόμενον.

Quidni, si talis effigies inter signa porticus Pompeiae Maronis nomine omnibus Romanis nota erat, Propertius eo ipso nomine eam significaret? Quare deo ex machina indigere hunc locum nego, sine quo semper obscurum fore eum Lachmannus censebat, neque illo: sopito quaeque Anione cadunt, quod Iacobus commentus est. Ceterum v. 15. lymphis scripsi, non quo alterum Nymphis ferri non posse Lachmanno concederem (cf. ad El. III, 16, 4.), sed quia illud et probis codicibus commendabatur, et rarior est vox minusque librariis prompta.

v. 16. Miror eos, qui Maronem v. 14. obelo percussissent, Tritoni tam patienter pepercisse. Nam unus est ex eadem Bacchi cohorte. Itaque Tritones etiam Centauri dicti (Tzetz. ad Lycophr. 34. ἰχθυοκένταυροι) cum ceteris istis semiferis fontium ornamentis adhibebantur. Exemplum

suppetit ap. Viscont. Mus. P. Cl. T. I. Tab. XXXIII., ubi fistula per ventrem missa pristinum statuae usum indicat. Receptae a Tritone per concham, qua buccinae loco utebatur (cf. Virg. Aen. X, 209. Ovid. Met. II, 8. El. IV, 7, 61.), aquae et per cuniculos tubosque tota urbe divisae a Nymphis fortasse iterum edebantur. Vides igitur, quo nomine Nymphae v. superiore optime ferri possint. Harum enim dearum usum in eo genere frequentissimum fuisse docet statua in Viscont. Mus. P. Cl. T. I. tab. 35. expressa, quam prope Veneris genitricis templum repertam Appiadum unam fuisse Viscontius coniicit, de quibus cf. Ovid. Amorr. III, 451. I, 81. Nihilo tamen minus lymphis hic recipiendum duximus, non quo cum Lachmanno Nymphas crepitare monstro simile habeamus (cf. ad El. III, 16, 4.), sed quia, quod raro contigit, consentiente Groning. et Pucc. codd. auctoritate haec scriptura defenditur.

v. 17. Falleris quid esset, nemo interpretum explicuit; unde Lachm. ed. Lips. durius: Fallor, et coniecit; neque enim falli Cynthiam, sed fallere. At dum frustra fallere Propertium illa studeat, ipsam falli, manifestum est. Atque hoc significat v. 11. vox scilicet, qua adversarii argumenta irrideri solent. Latet igitur enthymema: Tune censes te istis fabulationibus mihi verba daturam? — Falleris.

v. 23. nostras me laedit ad aures rumor. Structurae genus parum intellectum variarum coniecturarum causa fuit interpretibus. Et iam librarius Gron. cod. pervenit scripserat, quod non multum abfuit, quin Lachm. in ordinem reciperet. Iacob. nostras mala venit ci., Huschk. praecedit, Nic. Heins. pervadit, Keilius insederat maluit. At rectissime sunt omnia, modo praegnantis illius, quam grammatici dicunt, structurae memineris, de qua egimus ad El. II, 17, 6. Q. P. II, 6. §. 17. p. 133. Huc pertinet Ov. Met. X, 11.: quam satis ad superas Rhodopeius auras Deflevit vates. Stat. Silv. V, 3, 68. de uxore in rogum mariti ruitura: turbamque tenentem Vincit, in ardentem (liceat) moritura maritum. Sic Virg. Aen. VI, 51.: cessas in vota dixit, II, 347.: audere in proelia. Tacit. Ann. III, 67.: ausis ad Caesarem codicillis, et frequentissimum illud Plauti: ad coenam promisi foras (velut Stich. IV, 2, 16. Bacchid. III, 5, 4. coll. Ter. Phorm. I, 2, 2. Catull. XLVI, 6.), quod crassa Minerva vulgo per ellipsin solvere solent. Proximum autem nostro Lucretianum (N. R. V, 999.): Aequora laedebant naves ad saxa, quod cave sis: iuxta saxa interpreteris. Ut enim in hisce: „rumor

me laedit ad aures" pèrveniendi significatio, ita illic coniiciendi. De mutato vero numero „nostras — me" vid. Q. P. II, 6. s. II. §. 9. p. 121.; de praesenti denique pro perfecto ἀορίστως posito ibid. §. 8. p. 120.

v. 25. Subitam ἀποστροφὴν prorsus Propertianam illustravimus Q. P. II, 6. s. II. §. 5. p. 117. Cui si, quae ibid. cap. 5. p. 99. disputavimus, comparaveris, non opus esse Iacobi coniectura cedere consenties, quam tamen iam Wakker. occupaverat Am. Litt. c. 12. p. 89.

v. 28. De attractione v. Q. P. II, 6. p. 138.

v. 29. Iacobus e Gron. luxu praetulit, promiscua in hac voce similibusque Italorum scriptione. Sed longum luxum Latinum esse nego, ea quidem sententia, ut lusum istum, quem scis, Venereum usque ad mane protractum significet. Quod autem „suo nomine eam nequitiam Propertium non inducturum fuisse" ait: nugae sunt. Nam satis mite et honestum hoc vocabulum pro re significata; et apertius hercle, quid velit, quidque in Cynthia excuset, v. 36. proloquitur, ne nimis verecundum multis ambagibus delicias agere nostrum censeas.

v. 30. De enthymemate, quod in attributo parva latet, v. Q. P. II, 6. p. 126.

v. 32. sine decreto. Non multum abfuit, quin ingeniosam Laur. Santenii coni. dedecore est in ordinem reciperem. Hanc enim sententiam, quam interpretatione quoque Germanica expressimus, desiderari patet. Haec sola dubitatio manum retinuit, num forte, quamquam exempla non suppetunt, vox decretum simpliciter pro acerbiore decreto h. e. aut nota et ignominia aut pro poena capitali olim accepta fuisset. Interpretes nescio quid de ducum Graecorum suffragiis somniant, quod ad rem nostram minime pertineat.

v. 33 — 36. Non iniuria hi versus valde exercuerunt interpretes. Ac primum quidem pro corrupta Valckenar. litteris ad Santen. datis maluit correpta. De quo cum hic dubitasset, postea margini epistolae haec allevit. Ovid. Met. IX, 454.: Byblis Apollinei correpta cupidine fratris; 733.: Femina femineo correpta cupidine nulla est. Fast. VI, 575.: Arsit enim magno correpta cupidine regis. At aliud est cupidine, quae vox in omnibus illis locis obtinet, aliud libidine. Cupidine enim alicuius corripi recte dicitur, qui ipse illum alterum cupit, et genitivus est ille, quem grammatici dicunt, obiectivus. Contra hic non tam Venus, quam Mars cupisse dicitur, cuius libido non corripere potuit (ipse enim correptus erat), sed corrumpere Venerem. Et proprium est illud vocabulum, quo quis ad amorem pel-

lici ab alio significetur. Exempla domi sunt Propertio, ne aliunde quaeras, I, 8, 21.: Nam me non ullae poterunt corrumpere taedae. II, 19, 9.: Illic te nulli poterunt corrumpere ludi. II, 34, 69.: Utque decem possint corrumpere mala puellam. II, 32, 57.: Uxorem magni Minois — Corrupit torvi candida forma bovis. — In breviori deinde versu optimi haud dubie libri Nec exhibent; quod defendi aliquo modo posse intelligo, nec tamen eo, quo interpretes voluerunt, qui nec minus pro non minus sic dictum affirmant, ut nec opinantes pro non opinantes. Credant, qui omnem orationis proprietatem miscere solent. Itaque si cui codd. scriptura quovis pretio redimenda videatur, ad id hyperbati genus referat, quo particulae copulativae cum ea enuntiati parte nectuntur, quae utrique membro communis est, non, ut cogitandi normae iubent, cum altera earum, quae diversae sunt et oppositae. Ita horum versuum haec sententia fuerit: Venus, quamvis corr. l. M., honesta fuit. nec minus honesta fuit, quamvis Ida Parim cett. Sed cum nimis impedita oratio sic evaderet, tum totum illud genus, aliis poetis non infrequens, a Propertio ne in simplicioribus quidem enuntiatis saepe admitti docuimus Q. P. II, 6. s. II. §. 10. p. 123. s. IV. p. 173. Omnia vero plana essent, si memorabilem illam Neapol. discrepantiam fertur pro quamvis in ordinem recipere liceret. Sed ita hic liber cognatorum ope destituitur, ut uni confidere religio sit. Itaque non dubitavimus rescribere non minus, quod Itali aut ex incorruptis libris servaverunt, aut feliciter ipsi invenerunt. Accedit enim Hamb. cod., et ita fuisse in antiquissimo exemplari alii (Leid. II. Voss. I. et III. D'Orvill. ap. Burm. et huius uterque) ipso errore significant. Nunc enim habent, quod quam simili nota exarari a librariis, et quam frequenti errore cum altero non confundi soleat, demonstrare non attinet. Magis dubites, an cum Burmanno num pro non scribas. Ad sententiam enim perinde plane est; nec compendia magis discrepant. Interim, quod tamen aliquorum librorum certa auctoritate commendatur, retinuimus. Quamvis vero, ne erres, priore tum colo artius cum participio coniungendum pro quantumvis dictum erit. Maiores turbas sequens distichum movit, in quo primum monendum est, quod iam Q. P. II, 6. s. IV. p. 173. indicavimus, ut deam in pentametro utriusque infinitivi subiectum habeatur, ideoque post amasse virgula tollatur. Quod ni fiat, quod, quaeso, opprobrium fuerit Veneris, si Paris amasse quondam dicatur? Sed hoc imprimis sollicitos habuit interpretes, quod alias nunquam Paridem a Venere amatam esse referretur. Neque ego

diffiteor, „tres illos quatuorve locos“, quibus Lachmannus eum amorem Theocriti testimonio confirmari ait, invenire me adhuc non potuisse. Itaque alii, quos tamen apertissima sententia refutat, de Oenone nympha Paridis amica cogitaverunt, alii ad coniecturas refugerunt; inter quas memorabilis sane et ingeniosa Valckenarii est, quam litteris illis privatis Santenio primum approbatam publici exinde iuris fecit in Callimacheis p. 72.: Quamvis Ida boum pastorem d. a. Cui ut audacia, ita elegantia longe cedit Frid. Kaemmereri inventum (Observatt. iuris civilis. Rostoch. 1827. p. 91.): Quamvis Ida impar past. d. am; impar pro: impari conditione, deam — hominem. Cf. Iacob. in Corrigendis p. novissima. — Nos vero omnia, sicut in libris scripta sunt, sarta tecta habemus, quia hic ut toties uni huic poetae nostro doctissimo notitiam eius amoris deberi, minime invidemus. Cf. Q. P. II. de inventione c. 4. p. 70.

v. 40. Naica dona. Scal. ci. Nai caduca. At „cur illud adiectivum, quod si usus non tuetur, analogia certe non aspernatur, reiiciamus?“ Sic recte Lachm. Cf. Q. P. II, 6. s. III. p. 163.

v. 41. stuprorum. Operarum vitio in ed. Gotting. expressum: studiorum, quod exinde in alia exemplaria irrepsit. Item v. 44. pro mores in ed. Iacob. morem legitur.

v. 47. durosque Sabinos. Sic codd. mss. ad unum omnes. Tamen Heinsii dictata: durasque Sabinas omnes recinerunt. Quod ut scribere Propertius potuerit, — quis enim neget? — nihil tamen eum vetuit ad rigidam disciplinam significandam non solum mulieres Sabinas, sed totum populum, quo mulieres simul continentur, in exemplo ponere. Sic Iuvenal. X, 299.:

Rara est adeo concordia formae
Atque pudicitiae! Sanctos licet horrida mores
Tradiderit domus ac veteres imitata Sabinos.

et quod propius etiam ad nostri loci naturam accedit — modo enim Tatios, i. e. homines castos, qualis Tatius fuit, commemoravit, — Virg. Ge. II, 532.:

Hanc olim veteres vitam coluere Sabini,
Hanc Remus et frater.

v. 53 sq. Valckenarium offendit particula et a versuum initiis repetita. Frustra; eadem enim est ἀναφορά, qua Propertius El. II, 23, 21. utitur: Et quas Euphrates, et quas mihi misit Orontes. Sed quam ipse profert emendationem, ea ne Latina quidem est, non modo nimis subtilis in digerendis temporibus. Nam maiore signo post fuit interpunctam senten-

tiam cum superiore hexametro coniunxit, ut hic mos esset „mos, qui nunc non est, scilicet per quem nolint peccare puellae," — quam Latine, ipse videre poterat. Hinc iam sponte labuntur sequentia, quae sic ille constituit: Sed quum Deucalionis a. f. p. o. Et post — aquas, Dic mihi — cett.

v. 61. si — tuque es mirata. Quod codd. mss. nostri omnes exhibent: es imitata, non ferendum esse iam ante nos omnes VV. DD. consenserunt, nisi quod Broukh. „saepe magnos poetas sic migrare canones grammaticos" censebat. Et tamen Beroaldi emendationem seu sis imitata ingenio potius viri quam libris deberi certum est. Itaque Leidens. II. et Vossianorum duorum vestigia secutus, qui mirata exhibent, cum Iacobo rescripsi, quod lemma indicat. Ad sententiam enim vix hoc verbum distat alteri. Quam prope enim admiratio ab imitatione absit, Quintilianus docet, cui admirari idem est, quod cum admiratione probare Inst. X, 1, 31. de imitatione Senecae cum modo instituenda: Multa enim, ut dixi, probanda in eo, multa etiam admiranda sunt: eligere modo curae sit. Virg. Aen. VIII, 517.: Primis et te miretur ab annis; ubi recte Servius: „Miretur, imitetur." Neque multo aliter Non. c. IV.: Mirari cum voluptate intueri, delectari, accendi. Passim autem haec verba a librariis confundi, ut ipsa litterarum similitudo, ita exempla docent. Sic Quintil. X, 2, 19. pro imitabilia Voss. I. habet mirabilia, et plane ad nostram rationem Liv. XXV, 40, 2.: initium mirandi Graecarum artium opera, i. e. cum admiratione expetendi, ubi codd. plurimi habent: imitandi. Sed similior nostro locus vix inveniatur, quam Ovidii est Heroid. II, 77. ubi Phyllis Demophoonti exprobrat, quod neglectis virtutibus Theseum patrem sola perfidia imitatus sit. Etenim: „Quod solum", inquit, „excusat, solum miraris in illo," ubi cum item atque hic plurimi codd. imitaris exhibeant, metrum, quid verum esset, prodidit. Et hercle plura praesto futura esse eius usus exempla confido, nisi in tanta litterarum mensurae similitudine librariis eius elegantiae nesciis, vulgarius verbum imitari ut reponerent, nimis pronum fuisset.

Elegia XXXIII.

De dispositione v. Q. P. II, 5. p. 86. 87.

v. 5 sqq. Argutantur in his versibus sollicitandis, dum omnia ad vivum quasi resecant, Lachm. et Iacob. Hoc autem velle Propertium constat: „Dura profecto ea dea fuit, quae amantes toties dividere poterat. Isidem vero hoc omnium

minime decebat. Haec enim experta scire poterat, quam aegre ferrent amantes dividi et per varias vias circumvagari.“ Nam quod Ionem non hanc ob causam errasse vir doctissimus ait, eatenus tamen similia eius fata Propertio fuerant, quod divisa a Iove amato, frustra et diu erraverat. Praeterea summa sententiae vis in verbis hisce (v. 8.): „multas ire vias“ posita est. VV. deinde 9—12. ad cetera, ut fit, probra oratio deflectitur, quae, dum puella in terris versabatur, Io passa est. Horum certe memorem deam superbia non decuit. Haec enim voluntas est coniunctionis an, per quam cum irrisione quadam percontamur. Deinde illud: Quaecunque illa fuit, de quo Lachm. ita dubitavit, ut pro utroque fuit — facit legendum divinaret, sanissimum esse censeo. Non enim de nomine aut persona deae quaerere se significat Propertius — unde absurdissima Kuinoelii interpretatio, qui et virginem et vaccam et deam saevam semper fuisse Isidem ait —: sed non se curare quantacunque sit ea vel qualicunque honore inter numina fruatur; hoc se affirmare, saevam esse deam, quae tam crudelia iubeat. Pronomen enim quicunque saepe pro qualiscunque poni lexica docent. Nec minus in versibus 11. et 12. argutantur viri docti, quorum alter multas inire vias nescio quomodo in sensum obscoenum interpretatus post Mansisti — ut inserit; alter, in breviore versu idem dici ratus quod in longiore, mansisses coniecit. Lachmannum vero non prorsus me intelligere fateor; tantum video, figuram Propertio maxime familiarem, amplificationem, pentametro contineri, qua, postquam duri pabuli semibovem deam admonuerit, nunc post pastum tristem stabulorum solitudinem addat. Nec tamen quisquam pabulum et stabulum idem esse dixerit. Altera figura, non minus frequens nostro, ἀσύνδετον est (de quo v. Q. P. II, 6. s. II. §. 13. p. 125.), quod cum toties fraudem fecerit interpretibus, aliis exemplis edocti cavere hic debebant. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 30. p. 158 sqq. Itaque ne N. quidem Heinsii commento indigemus, qui post Mansisti et intrudere voluit.

v. 20. fuit. Broukh. Scaligero obsecutus fuat contra libros scripsit. At de usu perfecti ἀορίστως pro praesenti posito nunc exponere longum est. Cf. Schmid. ad Hor. Epist. I, 2, 47. I, 19, 48. Hermann. ad Viger. p. 210. Krüger. Gr. L. L. §. 445. n. 1. p. 592.

v. 21. nimium placata. Lachm. ed. Lips. Heinsii coniecturam: nimium implicata dolore receperat. At aliud est implacatus, aliud non placatus. Illud enim si cum ablativo coniungatur, quod tamen non memini unquam

fieri, plane contrarium significet ei quod ipse vult. Praeterea Propertius nunc iam placatam esse Cynthiam confidit, quippe qui ad concubitum et lusum amicam v. 12. invitet. Verius ad sententiam, nec tamen magis Latine Passeratius interpretatur: „quam magno cum meo dolore placare studui.“ Unde enim subito illud studui irrepserit, in quo summa eius sententiae versaretur, non indicavit. In Propertio certe non comparet. Nec Iacobus rem expedivit hac explicatione: „quum ego doleam, tu tamen nimis deae facilis, mihi lenta es.“ Videtur tale aliquid etiam Scaligero suboluisse, qui dolori reposuerat. At quomodo, quaeso, mortalis deo placatus dicatur, cum hoc verbum, ubicunque ad religionem et ceremonias sacras referatur, semper de numine usurpetur, non de homine supplicante. Nec modo usus, sed rei ratio ipsa aliter fieri vetat. Superior enim, qui irasci potest et punire, ab inferiore placatur, non vice versa. Erat igitur, quum tentarem: At tu, quae nostro nunc iam placata dolore es. Similiter El. II, 16, 13.: At tu nunc nostro, Venus, o, succurre dolori. Sed manum a litura retinui, quoniam illud nunc iam nescio quam habeat celeritatis speciem hoc loco alienam, ut malis nunc demum vel nunc tandem. Fortasse aut altius haeret ulcus, aut placari activa vi positum existimandum est. Quod dum probetur, aut dum praesentior medicina proferatur, codd. scripturam intactam reliqui, quae aliquo certe modo in probabilem sententiam explicari potest, si nimium artius cum nostro dolore coniungas, ut sit: Tu, quae, cum nimium nos doleremus (quam ut ferre posses), placata nobis es. Non multum differre videatur ab adiectivo nimio dolore, quod fortasse propter ingratum ὁμοιόπτωτον nostró nimió vitasse Propert. dicas. De adverbiis autem more Graeco adiectivorum vice positis cf. Ter. Heaut. I, 1, 1.: Quamquam haec inter nos nuper admodum notitia est. Add. Donat. ad eund. Andr. I, 2, 4. Lucret. I, 242.: satis causa. I, 650.: si partes ignis eandem Naturam, quam totus habet super ignis, haberent. II, 929.: gigni posse ex non sensibus sensus. V, 1326.: infra locus. Wakefield. ad Lucret. II. cc. Staver. ad Nep. Epam. 4. Davis. ad Cic. Legg. I, 10. Burmann. ad Virg. Aen. III, 348. Goerenz. ad Cic. Fin. II, 26. p. 248. Ernest. Clav. Cic. v. Satis. Ruddim. II, 304. ed. Lips. I. G. Voss. Constr. c. 61.

v. 22. ter faciamus iter. Recte de itinere Venereo interpretatus est Passeratius. Batavi, quod mireris, subito pudici facti alia omnia coniectant. Et Broukh. quidem Scaligerum secutus inauditum aliquod verbum, quod contra me-

trum et proportionem linguae Latinae pariter offendit: refaciamus procudit. Burmannus vero perficiamus proposuit, additis quae minime ad rem pertinerent exemplis, quibus illam vocem amatam Propertio demonstraret. Sed nostro loco favet Lucret. IV, 1190.: spatium decerpere amoris, et qui talia amplius describere et per omnes numeros sectari solet, Ovid. Amorr. II, 725.: Sed neque tu dominam velis maioribus usus Desine: nec cursus anteat illa tuos. Ad metam properate simul cett. Eandem metaphoram expressit Paull. Silent. imitator Prop. assidnus Ann. Br. III. p. 75. ep. XII. v. 3.: ὡς δὲ κελεύθου ἥμισυ Κυπριδίης ἤνυον — et deinde v. 7. μαρναμένης δὲ τὸ λοιπὸν ἀνύσσαμεν ἔργον ἔρωτος.

v. 24. „Apposite Icarii sidus h. l. commemoratur, cum poeta alloquatur Cynthiam vino indulgentem.“ Haec Kuinoel. Vides, quas facetias doctrina interpretum ex simplici poetae oratione elicere sciat. At qualis doctrina! Scilicet bonus homo, qui ter in una annotatiuncula Icarii sidera loquitur, non sensit Icarum v. 29. dici a Propert. (et sic Hygin. fab. 224. 248. Serv. ad Virg. Georg. I, 19. 33. 67. 218. Prob. ad eund. II, 385.) vini cultorem, non Icarium, neque hic Icarii sidera commemorari, sed boves Icarii. Pigeret talia referre, nisi etiamnunc hae et similes editiones in manibus hominum elegantium et versarentur, et magni adeo penderentur.

v. 32. Fortasse animo Propertii obversabatur Alcaei illud Anthol. Pal. p. 508. Ann. Br. XV.: Οἶνος καὶ Κένταυρον ὤλεσεν κ. τ. λ.

v. 35. est. Nescio, unde in plurimas editiones es venerit, cum tamen alterum, quod omnibus libris mss. firmum est, optime se habere coll. Q. P. II, 6. s. II. §. 5. p. 116. appareat.

v. 37. meo errore, quem serius quam emendare licebat animadverti, demissa serta in carmine expressum est, cum Neapol. et Hb. scripturam demissae — sertae antiquissimam esse satis locuples testis Sos. Charisius I. p. 83. doceat: „Sed Propertius feminine extulit (serta), Cum tua praependent demissae in pocula sertae; et Cornel. Severus, Hue ades Aonia crinem circumdata serta.“

v. 38. deducta voce. Multum in hoc verbo interpretes argutantur. Neque enim cum Burmanno submissa voce explicandum censeam; multo vero minus ab opere textorio ductam metaphoram Drakenborchio ad Liv. V, 38, 1. concesserim. Hoc enim simile, quod ad El. I, 16, 47. illustravimus, cum aptissimum sit carminibus pangendis a voce

legentis, de qua hic agitur, maxime alienum est. Est potius deducta vox molliter in muliebrem modum fracta et cum plasmate cantui simili flexa, quam in oratore iure vituperat Quintil. I, 8, 2. Rem declarat Lucilii locus ap. Nonium (IV, 144.) de leone vulpi adulante et blandiente: Deducta tunc voce leo: Cur tu ipsa venire non vis huc? Afranius Virgine, de voce conquerentis: Verbis pauculis respondit tristis voce deducta. Omnium autem apertissime Pompon. in Atellan., quae Calendae Martiae inscribitur: Vocem deducas oportet: ut mulieris videantur verba. Iube modo afferatur unus, ego vocem reddam tenuem et tinnulam. Uterque locus ap. Macrob. extat XI, 4. Atque hic ipse sicut Nonius l. l. primi videntur duas illas significationes confudisse, cum Virgilii (Ecl. VI, 5.) deductum carmen hinc putarent explicandum. Eleganter vero Oudend. ad Frontin. Strateg. I, 5, 26. deducto mugitu coniecit nostri loci non oblitus.

Elegia XXXIV.

Dispositionem carminis uberius illustravimus Q. P. II, 5. p. 94 sq.; de Lynceo autem poeta, cui inscriptum est, ibid. egimus I, 5. p. 20. De tempore, quo scriptum sit, III, 2. p. 220.

v. 1. credit Iacob. recte ex optimis membranis restituit. Vulgo enim credat legebatur, quippe quod percontationi dubitanti accommodatius videretur. Errat tamen ille, cum indignationem potius quam dubitationem hoc indicativo significari ait, cui nostrates *wirklich* addere soleant. Illius enim adverbii hic nullus esset locus. Immo ea ipsa dubitatio, quae negativam totius enuntiati efficit sententiam, ut alibi coniunctivo ita hic pronomine quisquam significatur. Quod cum iam per se negandi vim aliquam contineat, coniunctivum, ut supervacuum, respuit. Et sic, quantum memini, semper indicativum sequentem habet. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 7. p. 119. Add. Ovid. Amorr. III, 8, 1.: Et quisquam ingenuas etiamnum suspicit artes! Eleg. in obit. Drus. 7.: Et quisquam leges audet tibi dicere flendi. Hor. Serm. II, 2, 103.: Cur eget indignus quisquam te divite? Unde recte Wagner. Virgilio ex optimis libris reddidit Aen. I, 48.: Et quisquam numen Iunonis adorat Praeterea, aut supplex aris impōnet honorem? — Neque idem Iacobus, quem deinde Lachm. secutus est, pro amori Italorum inventum amico, quod e v. 9. effecerunt, Propertio obtrudere debebat, non quo cum Burmanno deum Amorem hic significari creda-

mus, ad quem v. 5. (ille deus) referátur: sed amori credit est periculo ei exponit, ut expeti et adamari ab aliis possit. Amor igitur non Cynthiae est — haec enim casta et constans v. 8. — sed vel Lyncei, vel cuicunque aliquis imprudens tam carum pignus commiserit. Nec tam *κατ' ἐνέργειαν* quam *κατὰ δύναμιν* amor dicitur. Prorsus autem eadem ratio est, quae El. I, 11, 18.: Non quia perspecta non es mihi cognita fama, Sed quod in hac omnis parte timetur amor — non intellecta interpretibus coniectandi causa, item ut hoc loco, fuit. Ad sententiam apte conferas El. II, 31. initium, ubi Cynthia ipsa hac omnium, quicunque se viderint, ad peccandum proclivitate suos errores excusat. Hinc etiam cur faciem dominae falso credi amori dicat, apparet. Cf. El. II, 2, 3 sqq. „Ille deus" vero (v. 5.), cuius gratia priores critici Amori scripserunt, Iacobus vero ad v. 3.: „in amore" provocavit, non certo quodam eget vocabulo, ut qui sit intelligatur, non magis quam v. 60. vel I, 1, 31. I, 4, 26. aut ille puer (III, 10, 28. I, 6, 23.) et quae sunt eiusmodi *ἀντονομασίαι* plurimae, quibus intellectus *ἀπὸ τοῦ κοινοῦ* venit. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 29. p. 158.

v. 9. 10. In verborum ordine optimas membranas secuti sumus; et solidiorem sic versuum texturam fieri, quam si post curam sententiam integram absolveris, satis patet. Ceterum cecidere manus, cum quo Markland. Ruhnkenio plaudente Virg. Aen. VI, 33.: „Bis patriae cecidere manus" comparavit, Burm. ita interpretatur, quasi Propertius miretur, brachia et manus ex humeris non excidisse velut in poenam perfidiae. Quod non ideo commemoramus, quasi refutatione egeat, sed ut cum chimaeris et hydris nobis certamen futurum esse exemplo intelligatur, si tam absurda commenta ubique et sigillatim destruere velimus.

v. 23. Si in tali loco aliena imitatione usum esse poetam putare liceat, non inepte conferas pulchros Hermesianactis versus Athen. XIII. p. 598. F. frgm. 5. v. 79 sqq. Bach.:

Οὐδὲ μὲν οὐδ' ὁπόσοι σκληρὸν βίον ἐστήσαντο
ἀνθρώπων, σκολιὴν μαιόμενοι σοφίην,
οὓς αὐτὴ περὶ πικρὰ λόγοις ἐσφίγξατο μῆτις
καὶ δεινὴ μύθων πῆδος ἔχουσ' ἀρετή·
οὐδ' οἳδ' αἰνὸν Ἔρωτος ἀπεστρέψαντο κυδοιμόν.

Certior tamen res est v. 45. ubi vid. annotata.

v. 25. seros. Valckenar. de Eleg. Catull. Callim. coniecit serus. Dicti pudet. Nam neque sententia illud efflagitat, et versus perit. Nunquam enim Propertius, nisi in *πενθημιμερεῖ* brevem natura syllabam producit.

v. 29—46. Nexum horum versuum et voluntatem ve-

ram primi turbaverunt, qui de toto securi in singula verba inquirere conati sunt. Plurimum autem fraudis fecit Broukh., qui Lynceum hunc nostrum eundem esse, quem vero nomine (El. I, 7. I, 9.) Ponticum Propertius appellat, credebat. Atqui eam opinionem iam utriusque nominis numeris et syllabarum mensuris refutari demonstravimus Q. P. I, 5. p. 20. et amplius Specim. I. p. 2 sqq. Unde iniuria v. 41. pro Aeschyleo cothurno Achilleo restitutum esse, sponte apparet. Neque enim qui sit Achilleus cothurnus, aut quam Latine dicatur, quisquam docuit. Multo vero minus carminis epici orationem cothurni nomine significari posse patet. Nam longe diversa sunt exempla, quae ipse Broukh. de cothurnato Marone ex Martiali affert, aliud etiam III, 17, 39. Itaque de Thebaide, epico Pontici vel Lyncei carmine, hic quaerere supervacuum est, ne dicam absurdum. Tragoediam scripsisse et Aeschyli ad exemplum septem ducum fata composuisse Lynceum, si ulla libris scriptis et ipsi Propertio fides est, coll. v. 39 sqq. pro explorato habendum est. Hinc, quid hoc ipso versu 29. legendum sit, facile colligitur. Neque enim audiendi sunt, qui Italorum libros infimae notae secuti et nescio quid de Epimenide Cretensi somniantes Cretaei scripserunt, quod sic ne Latinum quidem esse iam Nic. Heinsius (Advv. p. 358.) vidit. Nec magis placet Scaligeri inventum, Lucreti, quem iuvenem mortuum senem dici non posse obliti sunt, aut Aetnaei, quod vix ullo codd. mss. vestigio relicto Iacobus proposuit de Empedocle cogitans. Quid de Puccii Tirtaeo dicam, aut quem idem mirabili doctrina commendat, Criteo? Homerum enim inaudito hoc attributo significari vult. Tu vero, quo omnes, qui quidem in aliquo numero sunt, libri necessario ducunt, nobiscum Erechthei scribe, quo nomine idem, quem Scaliger v. 41. exulare iussit, Aeschylus significatur. Erechtheus enim senex Atheniensis est (sic Erechtheae arces Ovid. Met. VIII, 547. Erechtheae domus Fast. V, 204. Athenienses dicuntur) eadem analogia, qua ad significandam terram vel populum gentiliciis appellationibus ab antiquo primi regis nomine ductis Prop. alias etiam utitur. Sic, ne de Dardanis aut Danais dicam, Linus Argolicus Inachius (II, 13, 8.), Leda cum partu suo Inachiae heroinae (I, 3, 31.) audiunt, sic Athenienses ipsi Erichthonius populus dicuntur (II, 6, 4.). Atqui cum Erechtheus et Erichthonius non modo eiusdem nominis positiones tantum diversae sint (cf. Creutzer. de Symbol. II. p. 276 sq. id. ad Cic. N. D. III, 19. p. 575.), sed ad Erechtheum τὸν γηγενῆ λεγόμενον (Herod. VIII,

55.) iam primus omnium Homerus tamquam ad atavum et ἐπώνυμον populum Atheniensem referat (Il. β. 547.: Οἳ δ' ἄρ' Ἀθήνας εἶχον ἐυκτίμενον πτολίεθρον δῆμον Ἐρεχθῆος μεγαλήτορος, ὃν ποτ' Ἀθήνη θρέψε Διὸς θυγάτηρ — τέκε δὲ ζείδωρος ἄρουρα) quis talia exempla secutus, Erechtheum (producta penultima) eundem quem Atheniensem esse non videat? De ἀντονομασίᾳ autem, figura Propertio frequentissima cf. Q. P. II, 6. p. 158. Iam vides cur v. 39. Amphiaraeae quadrigae et Capanei ruina nihil prodesse Lynceo dicantur. Quid enim in amore senex ille durus iuvaret, δρᾶμα ποιήσας Ἄρεος μεσσόν — ὃ θεασάμενος πᾶς ἄντις ἀνὴρ ἠράσθη δάιος εἶναι (Arist. Ran. 1022.), qui quod nunquam mulierem amantem fecerit, vel apud inferos glorietur (ibid. v. 1053.).

v. 31. Hic quoque versus vexatissimus. Nec iniuria. Quamquam, quod Lachmannus satius sic positum Latinum esse negat, eam sententiam iam exemplis ex Propertio repetitis Q. P. II, 6. s. II. §. 23. p. 143. reprobavimus. Conferre iuvat praeterea Ter. Andr. V, 4, 52.: Pa. Pater, non recte vinctu's (h. e. non reotum, sive non recte factum est, eum vinctum esse). Quae ambiguitas illic ne poetam quidem ipsum fugit. Iocabundum enim patrem respondentem facit: „Haud ita iussi", quasi id voluisset Pamphilus, non recte h. e. non satis valide vinctum esse Davum. Adde Ovid. Fast. II, 225.: male creditur hosti. Cic. N. D. II, 28.: Haec et dicuntur et creduntur stultissime. Audacius etiam Horat. Epist. II, 2, 216.: lasciva decentius aetas, quod recte Schmid. l. l. explicat: aetas, quam magis decet lascivire et ludere. Od. III, 16, 39.: Contracto melius parva cupidine vectigalia porrigam, h. e. melius est, me porrigere; et sic voce melius saepius poeta is usus est, velut Sat. II, 8, 33. Od. II, 12, 11. A. P. 439. Sat. II, 4, 72. A. P. 129. Adde Ovid. Fast. VI, 661.: Alterius prolem melius mandabitis illi. Met. VIII, 487.: melius lugebitis ambo. Quod autem in cognatas et συνωνύμους voces valet, cur in unum satius non valere dicamus, nihil causae est. At decepit magnum criticum coniunctivus. Quem cum pro imperativo vel optativo haberet, non pro eo quem dicunt modo potentiali, in omnibus fere iis quae ex Horatio attulimus exemplis obvio, factum est, ut satius pro potius positum esse crederet. Hinc quoque interpungendi ratio, qua Iacobus versui subvenire studuit, vocabulo satius parenthesis signis incluso. Istud vero omnino Latinitas vetat, et recte Ernestius et Orellius in Cic. Ep. ad Att. IV, 16. (coll. III, 2. p. 161. Orell.) vocem eam hac sententia positam, quamvis obnitentibus codd. mss. eliminave-

runt. Multo vero difficilior quaestio de sequentibus verbis, quae in libris, nullo idoneo sensu scripta: memorem Musis aut Musis memorem comparent. Neque nunc aliorum coniecturae me morantur, inter quos Struchtmeyer. Animadvv. Crit. p. 98. Musae numeros, Burm. mollem Musis, Eldik. teneri lusus — Philetae, Santen. Musam leviorem — Philetae, N. Heinsius: Mimnermum aut Coum tentaverunt: Lachmanni inventum „Tu Battus memorem Musis imitere Philetam", primo certe aspectu quibusdam doctrinae blanditiis se commendat. De Philetae enim amica cogitavit. At primum nescio quid *καχόζηλον* et tamen frigidum habeat illud Musis imitari pro carmine imitari nullo attributo positum. Deinde, quod maximum est, Bittida non Battida, nedum Batto eam mulierem appellatam fuisse docuimus Q. P. II, 7. p. 207. Mihi in mentem venit:

Tu socius Musis Mimnermi imitere Philetam.

Musae Mimnermi enim sunt elegiae amatoriae Musae. Nam Hermesianactis notissimis illis versiculis (ap. Ath. XIII. p. 597. F.):

Μίμνερμος δὲ, τὸν ἡδὺν ὃς εὗρετο πολλὸν ἀνατλὰς
ἦχον καὶ μαλακοῦ πνεῦμ' ἀπὸ πεντα μέτρου —

quamvis inventorem carminis elegiaci Mimnermum fuisse nequaquam demonstrari Bachio (Hermesian. frgm. p. 137.) et Silligio (ap. Bach. frgm. Mimnermi p. 11. not. 13.) concedamus, recte tamen hoc idem Bachius vidit (ad Hermes. et Mimn. ll. cc.), a primo Mimnermo illud metrum in usum carminis amatorii adhibitum esse. Quare merito suo Mimnermus elegiae eius, quae amat, conditor semel et princeps habeatur. Hinc Propertius Eleg. I, 9, 11.: „Plus", ait, „in amore valet Mimnermi versus Homero," eadem, qua hoc loco, sententia. Musae autem Mimnermi recte dicantur, quae ei poesis generi, quod M. primus et optime excoluit, praesidere finguntur. Sic vel suam Musam II, 10, 10. et II, 16, 34. et a se natam (III, 1, 10.) — Propertius elegiae Latinae praesidem appellat. Socium autem Musis Mimnermi ut se faciat, Lynceum admonet, eadem allegoria, qua El. III, 2, 13. Musas sibi comites esse gloriatur [cf. Virg. Aen. IX, 775.: Crethea Musarum comitem. Boeth. Cons. Phil. I, 1.: Has (Musas) nullus potuit pervincere terror, ne nostrum comites persequerentur iter; quem Burm. citat ad El. III, 1, 13., nam Ovid. Amorr. I, 3, 11.: Phoebus comitesque novem, huc non pertinet. Prorsus vero

huc facit epigr. ἄδηλ. Anthol. Pal. VII, 41. p. 214. T. I. p. 319. Iac. Ann. Br. III. p. 270. ep. 566. de Callimacho: Ἀμάχαρ ἀμβροσίῃσι συνέστιε φίλτατε Μούσαις.] et El. III, 5, 19. Musarum choris se implicuisse manus ait. Sic etiam Propertium socium Musae in curru triumphali vid. El. III, 3, 25 sqq. II, 30, 27 sqq. Cf. Horat. Od. I, 1, 30. Hesiod. Theog. 5, 22. — Quam prope denique nostra coniectura vestigia librorum mss. legat, neminem fugiet, qui quantum a librariis Prop. in nominum propriorum scriptione turbatum sit, reputet. Interim ad litterarum speciem faciliorem etiam Scaligeri medicinam esse, non negamus, quam, donec melius probaretur, in ordinem recepimus. Neque enim ineptam sententiam effícit. Nam de ethici q. d. dativi usu et voluntate vix credo quemquam futurum, qui etiamnum dubitet. Itaque Musis meliorem erit iudicio Musarum meliorem. Sic Catull. LXXXVI, 1.: Quinctia formosa est multis: mihi candida, recta. id. XXX, 1.: falsus sodalibus. Virg. Aen. XI, 416.: mihi fortunatus. id. Georg. II, 315.: tibi prudens. Prop. IV, 4, 32.: formosa oculis arma Sabina meis, ubi v. comm. Ovid. Fast. II, 625.: Cui pater est vivax, i. e. qui patrem suum nimis diu vivere cenſet. Eodem modo explicandum I, 8, 2. I, 11, 21. et quem locum iam Scaliger contulit, Ovid. Rem. Am. 766.: Me certe Sappho meliorem fecit amicae. Cf. Bernhardy. Synt. Gr. p. 84. not. 35. Meliorem autem iudicio Musarum atque acceptiorem illis deabus, praesertim ipsis amandi artis non nesciis (cf. El. II, 30, 34.), carminis amatorii potius auctorem, quam severae tragoediae a Propertio dici quis miretur?

v. 32. non inflati artius et in unius notionis ambitum coniungenda, et somnia Callimachi Αἴτια interpretanda esse demonstravimus Q. P. II, 7. p. 194 sq. In eadem commentatione verss. 33 sqq. non modo argumenta ex libris Callimacheis hic deprompta, sed fortasse etiam locum hunc ex ipsis Αἰτίων versibus expressum et consarcinatum esse demonstravimus p. 195 sqq. Hinc satis apparet, v. 53. particula Non, quam primus, quod sciam, Scaliger pro Nam contra omnes codices intrusit, sententiarum nexum prorsus eversum iri, et quod idem retinuit, rursus, absurdum quorundam librorum foetum, neque ullius pretii esse. Omnia contra optime coeant, modo licet non, quod isti fecerunt, pro quamvis accipias, sed propria sua significatione positum esse intelligas, qua adhortationem quandam continet. Sic fere apud Propertium id invenies, velut I, 8, 24.: Falsa, licet, cupidus deponat gaudia livor. II, 22, 23.: Percontere,

licet. II, 26, 44.: Me, licet, unda ferat, te modo terra tegat. III, 8, 36.: nunc sis iure superba, licet. Cf. II, 17, 15. II, 20, 9. I, 8, 43. I, 18, 3. I, 19, 25. II, 26, 42.

v. 34. Heins. coni. Luxerit, quod pro Fluxerit a Broukh. receptum editiones diu obtinuit. Nec ferri id posse nego: necessarium esse nemo unquam evincet. Amorem enim Deianirae significari, quo incensus Hercules Acheloum vicerat, iam Beroaldus sensit; iam igitur victus fluvius debilius fluxisse fingitur. Nam optime et alii poetae et Propertius ea quae dii patiuntur ad res eas, quibus praesunt, referre solet: confusis, velut de industria, deorum et elementorum naturis. Sic II, 1, 31.: Aut canerem — Nilum cum tractus in urbem Septem captivis debilis ibat aquis. Cui loco cf. Virg. Aen. VIII, 726.: Euphrates ibat iam mollior undis, ubi recte Serv. „sentiens se quasi superatum", et Horat. Od. II, 9, 21.: Cantemus — Medum flumen gentibus additum victum minores volvere vertices; et quod prorsus ad nostram rem pertinet Claudian. de Laud. Stilich. III, 23 sqq.: Hinc Libyci fractis lugerent cornibus omnes. Quod si quis pro altera potius scriptura hunc locum facere credat, nihil iuvabit; nam fluxisse etiam victum fluvium, licet lentius fluxerit, quis neget? Quinimmo ipse Achelous apud Ovidium in eadem hac causa (Met. IX, 17.): „Regem", ait, „me cernis aquarum Cursibus obliquis inter tua regna fluentem." Cogitasse autem revera de certamine illo Propertium eo verisimilius fit, quod participium fractus fabulae eius admonet, qua Hercules fregisse alterum fluvii semibovis cornu vulgo ferebatur. Cf. Apollod. Bibl. II, 7, 5. Schol. ad Homer. Il. φ'. 194. Ovid. l. l. Diodor. IV, 35. Neque in Propertio, qui tanta et tam insolentia in usu metonymiae ausus est (cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 150 sq.), quisquam miretur, si verbis magno amore Hercules vehementer amans significatur. Quamquam nihil vetuerit, sed fortasse expeditius etiam videatur, si Fluvium antea ingenti undarum strepitu superbientem iam magno sed infelici amore ipsum fractum, tristius tardiusque serpere fingas. Sic fractus amore III, 21, 33.: Seu moriar, fato, non turpi fractus amore, quod non de exhausto libidinibus animo Burm. explicare debebat. Est potius pressus infelicis ardoris aerumnis, cf. comm. ad e. l. Nam non modo victorias vel clades, sed etiam teneriores affectus undis suis sentire liquidi illi dei finguntur. Cf. ad El. I, 13, 21. III, 19, 14. Q. P. II, 4. p. 78. Et tanto hercle aptius illud verbum fractus, quod tam de animo afflicto et presso, quam de impetu aquae rupto et mitigato dictum usu Latino probatur. Sic Lucan. I, 222.: molli tum

cetera rumpit Turba vado faciles iam fracti fluminis undas. Horat. Od. II, 14, 14.: fractisque rauci fluctibus Hadriae. Drakenb. ad Sil. Ital. III, 55. Heins. ad Valer. Flacc. VII, 583. Ovid. Met. XI, 729. Burm. ad Val. Fl. III, 36. ad Ovid. Epist. VII, 69. et ad Petron. c. 123. Utut est, et Fluxerit et fractus recte habet, ne cum Scaligero librariorum quorundam errorem: factus recipiendum ducas, quasi Achelous deus antea, tum demum amoris flammis velut quidam lapis liquefactus in fluminis naturam mutatus sit. Fabulosum sane facinus, et quod, si unquam narratum esset, lequax Metamorphoseon scriptor profecto non tacuisset.

v. 37. 38. Non ita facile est, de horum versuum ratione iudicium ferre. Nam cum vv. antecedentes ad Αἴτια Callimachea haud dubie pertineant, insequentes vero Aeschyleam tragoediam aperte significent, hi in medio positi quorsum referantur, non iniuria ambigas. Argumenti autem similitudo ut in Aeschylum potius dicta sint, quam in Callimachum, suadet. Atqui Aeschylum Archemori fata et Arionis victoriam Nemeensibus relatam celebrasse non dissimile est. Vide enim de Arione, Adrasti equo fatidico, praeter eos locos, quos iam priores citaverunt (Muncker. ad Hygin. fab. 70. 74. Barth. ad Stat. Thebaid. VI, 296. Apollodor. III, 6, 4. 8. ibique Heyn. p. 634.), Müller. ad Aeschyl. Eumenid. p. 173 sq. Fatidicum hunc equum fuisse omnes consentiunt. Quidni autem equus, qui humana voce (hoc enim significat vocalis, cf. Plin. Nat. Hist. X, 1.: aves cantu aliquo aut sermone humano vocales. interpp. ad Tibull. II, 5, 78.), mente vero plus etiam quam humana praeditus erat, praematura Opheltae morte luxisse et tristis fuisse a poeta ille, unde Prop. haec deprompsit, fingi potuerit? Quare miror, Heinsii coniecturam Tristia vel Lachmanne, qui tamen Broukhusii eam esse credidit, adeo placuisse, ut in ordinem reciperet. Haec autem omnia in prima parte trilogiae, quam Thebaidem vocat, exposita fuisse Welckerus coniicit (Aeschyl. Trilog. Prometh. A. I. p. 389.), testimonio nixus Schol. ad Pindar. Nem. ὑποθ. γ'. ap. Boeckh., qui de Nemeensium ludorum origine in honorem mortui Archemori primum celebratorum Aeschylum auctorem refert. Iuvaret hanc suspicionem in nostro loco aequa sententiarum dispositio, quae quattuor versus Callimachi poematis, quattuor item Aesohyli tribueret. At incerta haec omnia sunt et dubia. Itaque, quo structura facilior et velut pronius orationis flumen elucere videatur, cum antecedentibus hos versus coniungere et e verbo referas dependentes facere malim. De argumento enim etiam Callimachi Αἰτίοις aptissimo amplius diximus Q. P. II, 7. p. 197.

Nec nos nunc dubitamus, quin versus Callimachei illi a Plutarcho citati (Quaestt. Symposs. V, 3. Fragm. CIII. Bentl.), quibus Origo coronamentorum Nemeensium exponitur, metro elegiaco et ipsi scripti, ex eodem *Αἰτίων* libro III. deprompti fuerint, quo fragm. XXIX. Bentl. pertinere ariolati sumus. Sed hoc quoque prorsus Propertianum, ut vocabulo eo, in quo summa sententiae vis versatur (ut hic Amphiaraeae), ab initio commatis posito fortissimam per *ἀσύνδετον* efficiat oppositionem. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 13. p. 129.

v. 39. Amphiaraeae haud. Hanc unice veram huius loci scripturam esse confido. Nam libri mss. nihil nisi male dissimulatos librariorum conatus produnt, quibus metro, ut crediderunt labanti, aut transpositis verbis aut inserto dativo tibi aut denique negandi vocabulo mutato, subvenire studerent. De locis enim similibus, quibus intempestiva sciolorum cura vulnera afflixit, docte egit Weichert. de Helvio Cinna poeta p. 161. n. 10. Hiatus autem in arsi versus heroici neminem credo offendet, praesertim cum in fine prioris vocis duae vel plures vocales continuantur. Sic Virg. Ge. I, 221.: Ante tibi Eoae || Atlantides abscondantur; id. Ecl. II, 24.: in Actaeo || Aracyntho; VIII, 53.: castaneae || hirsutae; Ovid. Met. V, 312.: Fonte Medusaeo || et Hyantea || Aganippa; VIII, 310.: Cumque Pheretiade || et Hyanteo || Iolao; VIII, 315.: cum Parrhasio || Ancaeo; Horat. Epod. XIII, 5.: Threicio || Aquilone sonant. Cuius generis exempla plura collegit Heinsius ad Claudian. de sec. consul. Stilich. 24, 16. Schneider. de Elem. L. L. De artioribus autem finibus, quibus hunc usum Propertius circumscripsit, egimus Q. P. II, 6. s. IV. p. 178. Hinc, cum vocem longiorem eo ipso quo nos collocavimus loco movere vetamur, tum alia accedit compositionis lex, quam perpetuo fere sibi Prop. scripsit, ut voces et nomina imprimis paullo magis porrecta in *πενθημιμερεῖ* posita esse vellet. Qua de re cf. Q. P. l. c. p. 180 sq.

v. 41. De Achilleo cothurno, quo Scaliger Propertium ditavit, iam supra ad v. 29. diximus. Et tamen ipse inventor humanius, ne dicam doctius, de eo iudicabat quam Broukh. Scaliger enim tragoediam Achillem intelligendam censebat. Hic vero Belgicarum venerum flos postquam eos, qui Aeschyleo coth. mallent, tamquam quosdam in Velabro olearios increpavit, breviter suum „frustra!“ proclamat. „Nam epos Ponticus scripsit, non drama.“ Quasi hoc loco de Pontico, non de Lynceo poeta agatur. Achilleum igitur cothurnum *Μῆνιν* intelligit, singulari sine dubio inter veteres Iliadis appellatione.

v. 42. Quo nomine mollitiem versuum expetisse se Propertius significet, docuimus Q. P. II, 6. s. IV. p. 176 sqq.; ad metaphoram vero a choreis repetitam cf. comm. ad El. III, 1, 4.

v. 43. Tornus hic non est caelum τορευτικόν, ut Virg. Ecl. III, 38., quod non satis animadvertisse interpretes video, neque circinus fabrorum, sed quod ipsum verbum includere declarat, instrumentum eorum, qui torquendo ligna poliunt. Neque vero haec metaphora exemplis Graecorum caret, quibus oratio polita τετορευμένη dicitur, vel λόγος τετορευμένος. Cf. Platon. Phaedr. p. 234. Plutarch. de Audit. VIII, 147. T. VII. Apsines Τέχν. Ῥητ. p. 713. (Longin. frgm. VIII, 198.) Nicet. Ann. XVI. n. 318. quos locos Lobeck. citat ad Phrynich. p. 324. coll. Eichstaedt. Epist. ad Ast. p. 177. Ernest. Lex. Rhet. Graec. p. 40. Fortasse eodem pertinet Καλλιμάχου τορευτὸν ἔπος (de quo vid. Q. P. II, 7. p. 194.), quamvis τορεύειν proprie de operibus caelatis dicatur, neque inepta haec ipsa translatio esset ad genus dicendi tenue et diligenter elaboratum significandum. Sed frequenter haec verba inter se confundi docet Meinek. ad Menandr. p. 294. Ceterum angustus tornus non dictus quasi eo laevior fiat versus compositio, sed quod angustiori elegiacae poesis spiritui accommodatus est. Unde ipsi Callimacho angustum pectus tribuitur. Alterum igitur verbum proprium, alterum translatum est; quo de genere Propertio perquam familiari vid. quae disputavimus Q. P. II, 6. s. II. §. 27. p. 147. coll. II, 4. p. 76.

v. 44. Quid esset durus poeta, et quo iure haec appellatio iam per se epicum genus significare posset, demonstravimus Q. P. II, 7. p. 199 sq.

v. 45. 46. Hunc locum Lachmannus coniectura immerito tentare, Iacobus non recte defendere videtur. Ille enim: Antimachus — Homerus scripsit, ut sit: „si sis A. vel H.“ Hic contra ablativos Antimacho et Homero — per Ant. et per H. interpretatus, vereor, ne contra Latinitatem commiserit. Haec enim in hominum appellationibus simplici ablativo q. d. instrumentali locum esse negat. Nam quod huc afferri possit ipsius Prop. versus (El. II, 30, 29.): Ut Semela est combustus, ut est deperditus Io, de eius diversa ratione ad usum verborum amandi referenda cf. comm. ad e. l. Recte igitur contra Beroaldum h. l. Broukh.: „Pudet“, inquit, „et dictum nollem.“ Pendet enim ablativus ex comparatione: Tu quamvis magnus poeta, eadem quae maximi ante te passi sunt, ne spera evitaturum esse. Nam Homerum et Antimachum, utrumque amoris vinculis irretitum

Phaeacem dixeris Propertium, quia III, 2, 11. dicat: Nec mea Phaeacas aequant pomaria silvas.

v. 59. Languorem et coronas iam poetae Graeci inter insignia lusuum nocturnorum referunt. Conferre iuvat Meleag. Anthol. Pal. V, 175. p. 112. T. I. 132. Iacobs.:

Οἶδ' ὅτι μοι κενὸς ὅρκος, ἐπεί σέ γε τὴν φιλάσωτον
μηνύει μυρόπνους ἀρτιβρεχὴς πλόκαμος.
μηνύει ἄγρυπνον μὲν, ἰδοὺ βεβαρημένον ὄμμα
καὶ σφιγκτὸς στεφάνων ἀμφὶ κόμαισι μίτος.

Cf. epigr. ἀδέσπ. 285. Anth. Gr. Br.

v. 61. 62. Descriptionem pugnae Actiacae Virgilianam (Aen. VIII, 675 sqq.) hic tangi non dixerim. Neque enim, ut in sequentibus, ubi versus Aeneidis paullum in usum elegiae deflexos (uti 67. 74. Ecl. V. et VII.) referri manifestum est (cf. Q. P. I, 4. p. 70.), colores ex ista descriptione delibat. Sed hoc tantum dicere vult: Me amores iuvant, Virgilium maiores animi, quibus vel Caesaris victorias canere possit. Egregia vero (v. 63. 64.) illa figura et vere poetica, cum quod fingit Virgilius vel carmine tantum prosequitur, ipsum agentem facit Propertius. Ad quem usum cf. exempla Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 157. congesta, et comm. ad El. III, 3, 41. Prorsus tamen ad nostrum locum faciunt Iuvenal. II, 162.: Securus licet Aeneam Rutulumque ferocem Committas: nulli gravis est percussus Achilles. — Omnia de poeta qui talia fingit Ovid. ex Pont. IV, 16, 18.: Largus — Gallica qui Phrygium duxit in arva senem. Trist. II, 318.: Cur non — Vexata est iterum carmine Troia meo. Stat. Silv. III, 2, 142.: Ast ego (narrabo) devictis dederim quae busta Pelasgis (busta enim ea cecinit in Thebaide). IV, 7, 75.: Et qui per freta ducit Argonautas, et qui corpora prima transfigurat; et paullo ante (v. 37.): Tu sedes reserabis inferorum, et noster tibi proferetur Orpheus; sic enim lege pro: praeferetur, quod in libris est; nam Marklandi referetur aut metro adversatur, aut sententiae. Cremutii Cordi dicta ap. Tacit. Ann. IV, 35.: Nam cum armatis Cassio et Bruto ac Philippenses campos obtinentibus belli civilis causa populum per conciones incendo? — locus ab interpretibus non satis intellectus. Descripserat enim ea; ut, si metonymiam solvas, haec futura sit sententia: Dum scribo et memoriam redintegro Bruti et Cassii cett. — num incendo? Ceterum Gron. discrepantia (Troianaq.) a librario venisse videtur, cui „Arma virumque“ obversabatur. — Attributo Lavinis denique, unde Iacobus Propertium Aen. I, 2.: „Lavinaque venit Littora“ legisse vult, hoc certe evincitur, frustra a Wagnero

(ad Virg. l. l.) institutam esse subtilem illam disputationem, qua „Lavinia-que“ Virgilio vindicare studeret. A quo cum hunc Propertii locum neglectum iure quis miretur, apertior tamen error, quod a nomine Lavinio adiectivum Lavinus recte fieri negat. Neque enim tam Lavinus a Lavinio factum dicere debebat, quam Lavinium a Lavinus eadem proportione, qua Italia ab Italo ducitur. Nam et alios poetas et imprimis Propertium brevioribus his nominum gentilium formis, utpote versui saepe commodioribus admodum delectari Q. P. II, 6. s. III. p. 163. docuimus. Neque vero si quis hic Lavinîs pro Laviniis per synaeresin dictum existimaret, quidquam calumniis proficeret. Nam lex illa *πολυθρύλητος*, qua genitivi sing. nominum in ius vel ium desinentium per simplex *i* debeant vel certe possint efferi — quot enim quibusque locis acriter de hac re decertatum sit, si discere libeat, diligenter enumeratos invenies in docta Forbigeri dissertatione de T. Lucretio not. 41. et ap. Haas. ad Reisig. Gr. Lat. n. 54. p. 74 sqq. — illa autem lex in plurali numero non valet, nedum in ablativo vel dativo plurali. Nam praeter formas dî, dîs; î, îs; îdem, îsdem, quarum tamen longe diversam esse rationem iam Priscianus videtur sensisse (cf. A. Gr. VII, 4. p. 300. Kr. Schneid. de Etym. p. 68.), nominativi unum tantum exemplum inveni, idque apud ipsum nostrum El. IV, 1, 34.: Gabî pro Gabii; dativi vero vel ablativi nullum in Latinitate omni extare credo. Nam quod quis huc referre possit Virg. Aen. III, 151.: in somnîs pro in somniis: ex perversa id Servii interpretatione in quasdam editiones irrepsit; verum est, quod emendatiores libri omnes tuentur, in somnis a singulari somno ductum. In adiectivis vero ne genitivo quidem illi in *i* desinenti locum esse Conr. Schneider. (l. l. p. 60.) deinceps se demonstraturum olim promisit, quo magis a recentioribus grammaticis eam rem prorsus neglectam esse doleas. Rectissime enim ille; neque ap. Prop. usquam talis forma comparet (contra Ionii II, 16, 14.); et ceteris quoque casibus plenior semper duabus *i* iunctis scripta exhibetur, velut II, 8, 38.: Aemoniis. I, 18, 20.: Arcadio. I, 20, 12. II, 33, 4. IV, 4, 43.: Ausoniis. II, 30, 36.: Bistoniis. II, 33, 29. II, 20, 6.: Cecropiis. II, 3, 43.: Hesperiis. I, 1, 11.: Partheniis. IV, 6, 8.: Mygdoniis. III, 3, 7.: Curii. II, 33, 24.: Icarii. Ceterum hunc nostrum poetam eorum ordinem ducere, qui usum, a Ciceronis certe aequalibus religiose observatum, pro metri opportunitate deseruissent, primus ni fallor Bentleius indicavit ad Ter. Andr. II, 1, 20. Nam cum III, 9, 56. Antoni, IV, 1, 45. Deci, IV, 10, 1. 45. Feretri, II, 1, 24.

III, 11, 46. Mari, III, 9, 55. Pelusi, II, 34, 93. III, 10, 15. Properti, IV, 2, 52. Tati, IV, 10, 37. Tolumni habeat, contra tamen leguntur III, 3, 9.: Fabii. IV, 8, 48.: Lanuvii. II, 30, 6.: Mercurii. III, 11, 47.: Tarquinii.

v. 68. Non satis cohaerere haec cum antecedentibus Lachm. censet. Ego vero tanto magis tralatitium ordinem servari volo, quanto minus in interpretatione vv. 83. 84. cum illo consentio. Nec quidquam hiulci in hoc loco video, nisi poetam omnia velut aliquem dialectices autorem particulis suis nectere postules. Atqui eas coniunctiones, quas facillime et alii poetae et Propertius omittunt, post causales adversativas esse, Q. P. II, 6. s. II. §. 13. p. 129. docuimus. Quodsi hic Tu canis pro Tu vero etiam canis dictum apud animum intelligas, hoc quasi bacillo, quo tamen noster non eget, orationem fultam minime claudicare senties.

v. 69. puellas — quod libri mss. omnes tuentur, non expellendum esse singulari puellam, Aldinarum ni fallor invento, consentient qui saepe generatim per pluralem pronuntiari meminerint, quae de certa persona intelligantur. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 151. ad El. II, 7, 15. At ne illud quidem, quod volunt, critici effecerunt, cum eo, quem hic Propertius expressit, Maronis loco (Ecl. III, 71.) non puellae sed puero mala mittantur. Nec maiore successu Schraderus (Emend. VII. p. 143.) v. 71. mercatus rescripsit. Nam ne de persona II. et III. toties a Propertio commutata dicam (cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 5. p. 115.), hac demum re omnes horum versuum veneres continentur, quod argumentis carminum Virgilianorum ita utitur, ut quae poeta cecinit, ipse passus esse videatur (cf. Q. P. II, 4. p. 70.). Sic demum v. 75. recte intelligas.

v. 72. In hoc versu Heynii interpretatione acquiescendum duxi, qui (ad Virg. vit. ann. 717. p. CXIV.) „huic puellae, inquit (latet enim nomen singulare *κατὰ σύνεσιν* in plurali amores), licet ingrata sit, tamen, cum amores eius tam parvi emantur, ipse Tityrus canat, qui Galateam amabat, nullo ad peculium fructu.“ Nam cum omnia hic ad Virgilium ipsum referantur, non refert quod Tityri et Menalcae (Ecl. III, 70.) personae confunduntur.

v. 75. sua — avena. Scaliger suam — avenam. Quod non modo necessarium, sed ne Latinum quidem esse, Iacobus docta ad El. III, 15, 25. (i. e. II, 21, 25.) disputatione evicit.

v. 79. Virgulam post carmen posui, non, ubi vulgo, post testudine, tum quod hic fortiorem percussionem numerus Propertianus postulat, tum quod alioqui comparatio

dilaceraretur. Nunc **una visione** et **articuli impositi** et **docta testudo** continentur, et alteri enuntiati parti **propositio** (carmen facis), alteri **redditio** tribuitur (Apollo cithara ludens).

v. 83. 84. Super his versibus egregie Weichert. disputat (De C. Helvio Cinna §. 4. n. 10. Poett. Latt. rell. p. 160.), qui postquam Scaligeri coniecturam „nec se minor" cum antecedentibus verbis pugnare optime demonstravit, Lachmanni commentum (aut, si minor ore, canando) multo minus etiam ferri posse iudicat. Miror autem Iacobum, emendandi ut solet hic quoque continentiorem, interpretationem tamen superioris critici amplexum esse. Quis enim Virgilium a Prop. **anserem indoctum** dici ferat? Etiamsi enim illud modestiori poetae concesseris, ut tali metaphora **ipse se** aliis **inferiorem** esse significet, admirator tamen et amicus malam hercle gratiam ineat, si eam bona fide repetierit. Nihilo tamen minus id, quod nunc nullo modo concedimus, fortasse concederemus, si Virgilium Ecl. IX, 35.:

Nam neque adhuc Vario videor, nec dicere Cinnâ
Digna, sed argutos inter strepere anser olores —

(qui versus hic Propertii animo obversabantur) **Lycidae** persona ipsum se significare exploratum esset. Nunc cum in omnia alia elegantissimus eius carminis interpres abeundum esse doceat, absurdum sane foret, si tanto convicio Virgilium a Propertio petitum esse eo loco censeremus, ubi summas in eum laudes cumulari videmus. Vix enim dici potest, quantum Lachmannus erret, qui sine opprobrio a Propertio concedi posse existimat, Virgilium „indoctum carmen ceciuisse, velut cycnum cum suo omisso rudem anserum cantum imitetur." Nam doctrinam ita propriam et necessariam poetis veteres censuerunt, ut caruisse ea opprobrium potius, quam habuisse laus videretur (cf. ad v. 89.). Haec igitur, quatenus et Graecorum exemplorum studio et polita compositionis elegantia cernitur, tum limae industria et urbanitas et rudis sermonis fuga atque odium, hae sunt virtutes, quas a tenero amorum cantore ante omnia et plus etiam quam ab epico poeta poscere Propertium cum alibi tum Q. P. II, 7. p. 199 sqq. uberrimis argumentis exposuimus. Praeterea, quid haec confessio ad nostram elegiam? In qua cum hoc unum Propertium demonstrare velle apertum sit, suum esse etiam huic leviori generi pretium suumque honorem: quod ait, „nec minor his animis", illud quidem recte, sed si addit „**aut si minor**," quid aliud expectare aut flagitare debemus, quam ut concessa maiore carminis heroici laude, tamen his etiam Virgilii lusibus aliquam laureolam relinqui dicatur? Iam vero quid Iacobi

et Lachmanni interpretatione eruimus nisi hoc: „si minor fuit, indoctus quam doctus esse maluit“ —? quasi quis, minorem fuisse, poetae ideo condonet, quod minor esse voluerit. Itaque istis abiectis Weichertus huius loci sententiam sic exposuit: Nec minor est his i. e. Eclogis et Georgicis Virgilii spiritus, aut si minor est, non tamen hic olor ore canorus, i. e. Virgilius, cessit indocto carmini Anseris i. e. non tamen ab Ansere, indocto carminis auctore, superatus est. Aut enim post negandi particulas pro nec positum, saepissime vero ut hic quoque a librariis in haud vel nec mutatum, rem ceteroquin notissimam, more suo docte demonstravit coll. interpp. ad Virg. Aen. II, 779—786. III, 43. 662. Bentl. ad Horat. Epod. XV, 6. Sat. I, 6, 68. Burm. ad Ovid. Met. III, 492. Sil. Ital. XVI, 32. Bach. ad Tibull. I, 9, 6. p. 102. Lachm. ad Prop. I, 15, 24. p. 64. IV, 21, 25. p. 310 sqq. Addere vero etiam hoc debebat, Anseris nomine male ominato Propertium amabiliter ludentem item ut Virgilium l. l. ad eam metaphoram abusum esse, qua doctae et limatae Maronis arti rudes inepti versificatoris conatus opponeret. Nam poetas oloribus comparare iam Graecis proclive erat, ex quo Hesiod. Sc. v. 316. cantus eorum praedicaverat. Nescio tamen, an primus Plato hac allegoria usus sit, cum de Rep. X. p. 520. A. Orphei animam cycni figuram sumpsisse traderet, Tamyram lusciniae. Hinc Theocrit. Id. V, 136 sqq. proxime iam nostro: *Οὐ θεμιτὸν ἐρίσδεν — ἔποπας κύκνοισιν.* Antipater vero Sidonius ep. LXXVI. T. II. p. 27. Anth. Br. haud dubie Anacreontem *Τήιον κύκνον* appellat; idemque de Erinna ep. XLVII. Anth. Br. T. II. p. 19.: *λωίτερος κύκνου μικρὸς θρόος, ἢὲ κολοιῶν κρωγμὸς ἐν εἰαριναῖς κιδνάμενος νεφέλαις.* Similiter Leonid. Tarent. LXXX. Anth. Br. I. p. 241.: *Τὸν χαρίεντ' Ἀλκμᾶνα, τὸν ὑμνητῆρ' ὑμεναίων κύκνον.* et Epigr. ἀδ. CDLXVIII. Anth. Br. T. III. p. 250. (IV. p. 218. Iacobs.): *Εἰ κύκνῳ δύναται κόρυδος παραπλήσιον ᾄδειν.* De hoc vero ipso Virgilio Christodorus Ἐκφρ. v. 414. fortasse non sine huius loci imitatione:

Καὶ φίλος Αὐσονίοισι λιγύθρους ἕρπεπε κύκνος
πνείων εὐεπίης Βεργίλλιος, ὅν ποτε Ῥώμη
Θυμβριὰς ἄλλον Ὅμηρον ἀνέτρεφε πάτριος ἠχώ.

Alia dabunt interpp. ad Horat. Od. II, 20, 9. — De sententia igitur constat. At vereor ut de librorum scriptura. Quamvis enim Weichert. animus in animis librariorum conatu abiisse dicat, quo labanti, qui sibi videretur, versui subvenirent: tamen, cum in omnibus libris mss., etiam iis qui nec exhibent, quod ipsum Weichert. isto conatu ortum esse ait, animis compareat, contra libros facere non ausus sum. Nec

vero opus est. Quidni enim poetam ipsum, minore carminis impetu minorem videri quis dicat? Animos autem pro animo et spiritu recte et Latine dici notissimum est. Hi igitur animi animi erunt, qui his carminibus apparent, trita nostro pronominis demonstrativi enallage, de qua diximus Q. P. II, 6. s. II. §. 24. p. 144. s. f. et amplius ad El. IV, 11, 35. De Ansere autem poeta, quem Heynius contra Servii fidem, atque adeo Ovidii (Trist. II, 455.) et Ciceronis (Phil. XIII. c. 5.) patrocinium non reveritus, de medio tollere frustra conatus est, omnia sedulo congesta invenies ap. Weichert. l. l.

v. 87. cantarunt scripta. De hac metonymia, quae infra v. 89. iterum comparet, Q. P. II, 6. p. 134. diximus. Graeci hic quoque exemplum praeiverunt. Cf. Posidipp. ap. Athen. XIII. p. 596. D.: *Σαπφῶαι φθεγγόμεναι σελίδες Οὔνομα σὸν μακαριστόν.* Sed facilius v. 89. confessa est pagina. Nam illud iam vulgatum, cf. II, 21, 1.: Ah quantum de me Panthi tibi pagina finxit. Sic Catull. LXVIII, 46.: charta loquatur anus, quo expressum Aeschyleum illud *ὡς λέγει γέρον γράμμα* Valcken. tensuit ad Eurip. Phoen. v. 103. Claudian. XXIX, 162.: Antiquos loquitur Musarum pagina reges. Audacius cum metaphoris iuncta est metonymia, ut III, 1, 18.: opus hoc de monte Sororum Detulit intacta pagina nostra via, vel III, 3, 21.: Cur tua praescripto sevecta est pagina gyro? IV, 6, 3.: Cera Philetaeis certet Romana corymbis.

v. 89. Non ita parcos fuisse veteres in doctrinae laude poetis tribuenda hic unus locus satis docere possit. Nec vero Broukh. assentiar, qui Burmanno teste mutare attributa v. 87. et 89. voluerat (Haec etiam docti — Catulli — Haec quoque lascivi Calvi.). Satis enim fuit, ut Graecorum studia aliquatenus delibassent, atque hinc carminibus suis condimenta quaesiissent. Cf. Horat. Sat. II, 1, 50.: Ennius et sapiens et doctus. ibid. 56.: aufert — Pacuvius docti famam senis. Quintil. Inst. X, 97.: Pacuvium doctiorem videri, qui esse docti affectant, volunt. Quae si non sine aliqua irrisione dicta esse videantur, in universum tamen omnes poetas quasi hoc perpetuo cognomento serio ornat Tibullus I, 4, 61.: Pieridas pueri, doctos et amate poetas. Cf. qui uberius de hoc *ἐπιθετῷ* tractarunt, Heindf. ad Horat. Sat. I, 10, 52. p. 219. Mitscherl. ad Hor. Od. I, 1, 29. Heyn. ad Tibull. III, 6, 41. Schmid. ad Horat. Epist. I, 19, 1. Bernhardy. Hist. Litt. Rom. p. 95. Weichert. de Licin. Calv. §. 8. n. 27. Dissen. ad Tibull. I, 4, 61., cui nos non id velle concedimus, ut iam

ipsius vocis doctus notione Graecarum litterarum peritia contineatur.

v. 90. Lachm. ed. Lips. Quinctiliae edidit. Quintiliae scribendum esse Spalding. docet Praefat. Quintil. p. XXIII. Adde Weichert. l. l.

v. 91. De Cornelio Gallo Foroiuliensi cf. Q. P. I, 5. p. 21. de Lycoride ibid. c. 6. p. 34. Ablativi vero huius usum Propertii proprium illustravimus ibid. II, 6. p. 136. Hinc sequitur, ut vulnera amore inflicta intelligenda sint, metaphora Graecis item et Romanis trita, quamvis eo hic sit elegantior, quod non Amori, sed ipsi puellae tela ista tribuantur, ut ap. Achill. Tat. I, 4.: *κάλλος γὰρ ὀξύτερον τιτρώσκει βέλους*. Cf. ad El. I, 1, 1. Sed hoc iam interpretes viderunt, neque ego annotarem, nisi iidem „simul mortem Galli violentam, qui — se ipsum interfecit, indigitare" suspicarentur. Quasi eadem vulnera simul propria et translata esse possint! — quam (vulgo qui de Scaligeri coniectura legebatur, primum in ed. III. (Paris. a. 1600.) expressa cum Antwerpiana anni 1582. adhuc qua exhibeat. Quod cum sententiam nullam, nisi Latinitati vim facias, praebeat, et nimis languens attributum multa videatur, varia utrique vitio fomenta adhibuerunt. Sed praestantissima Lachmanni medicina, qui vulnera simul cum emplastris abluit et pristinam antiquitatis formam e libris mss. restituit. Hanc et verbis et interpunctione secuti sumus. Ceterum ipsius Galli versum ex Euphorione expressum hic fortasse relatum esse a Propertio indicavimus Q. P. II, 4. p. 70.

(Halis, formis excusum Ploetzianis.)

Commentarius

in

Sex. Aurel. Propertii Elegiarum

Librum III.

Elegia I.

De dispositione huius carminis egimus Q. P. II, 5. p. 84. de translationibus vero consilio mutatis ibid. II, 4. p. 76.

Initium carminis a criticis et interpretibus pariter vexatum, qui in uno vocabulo sacra Ph. maxime haeserunt. Atque Eldyk. quidem Epist. ad Santen. data ci: Coi serta Ph. coll. 19. et IV, 6, 3. absurde. scripta voluit Valckenar. (in Frgm. Callim. 1.), sed qui ita penitus laceratum Propertium putavit, ut omnia coniecturis licere crederet. Nec melius Wassenb.: Cois care Phileta, aut Suringar. Progr. 1806.: Coum fama, Phileta. Contra ingeniose sane Kaemmerer. (Annall. Iahn. III. Suppl. 2. vol. II. ann. 1835.): simulacra, ut compendio scripturae corruptelam ortam esse censeret. De loco enim Hermesianactis cogitabat (Athen. XIII. p. 598. F. frgm. 5. p. 75 sqq. Bach.):

> Οἶσθα δὲ καὶ τὸν ἀοιδὸν, ὃν Εὐρυπύλου πολιῆται
> Κῷοι χάλκειον θῆκαν ὑπὸ πλατάνῳ κ. τ. λ.

quo loco sepulcrum imagine mortui poetae ornatum significari credebat. Sic Callimachi Manes et imaginem Philetae mortui pariter invocari. At primum, si de vero luco et de vero simulacro certo loco posito agatur, mirum hercle fuerit, Propertium precari ut in diversa loca, Alexandriam et Co insulam, simul admittatur. Deinde, id quod maximum, statua illa non mortuo, sed vivo adhuc Philetae posita est. Etenim Philetam, aequalem Callimachi et Alexandri Aetoli (Vit. Arat. T. I. p. 2. ed. Buhl.), Ptolemaeo Philadelpho discipulo suo (Suid. s. v. *Φιλητᾶ*) Aegypti regnum ab Ol. CXXIV, 1. — CXXXIII, 3. tenenti superstitem fuisse alter grammaticus, vitae Arateae scriptor (T. II. p. 442. ed. Buhl.) testatur. Hermesianax vero, quamvis illum a Pausania (I,

9, 8.) Ol. CXIX, 3. quo tempore Colophon a Lysimacho expugnaretur, iam mortuum esse praepropera coniectura tradi, Bachio (Hermes. frgm. p. 90 sqq.) concedamus: tamen quin vivo familiari suo (Schol. ad Nicandri Theriac. v. 3.) Leontium composuerit, ne Bachius quidem dubitat. Quin participia praes. *μολπάζοντα* et *ῥυόμενον* de vivo agi significant. Restant, qui sacra Philetae pro divo Phileta dictum accipiant; et, si meminissent, in exemplum afferre poterant Aeschyleum illud: *τάδε — Περσῶν πιστὰ καλεῖται*, et quae eius generis apud Lucretium plurima sunt. Sed usus Latinus vetat, quo sacer de rebus diis sacratis, nunquam de ipsis diis, qui sancti sunt, dicitur. Unde sacer homo et sacer poeta convicium potius foret, quam invocatio religiosa. Cf. Ael. Gall. ap. Fest. v. Sacer mons. p. 251. Lindem. p. 318. Müll. (QU. XIV, 24 [128.]). At pugnant Broukh. Vulp. Burmann. et cum his Bach. (de Ingen. Eleg. Rom. p. 181.) et Becker. (Elegeia Rom. p. 290.), cum sacra pro ipsis diis poni coll. Virg. Aen. II, 293. Ovid. Met. X, 696. Fast. VI, 449. demonstrare conantur. Alios duos locos indicabo, ex quibus, si liceat, facilius etiam id colligas, Martial. XI, 5.: „Sacra Laresque Phrygum, quos Troiae maluit heres, Quam rapere arsuras Laomedontis opes“ et ubi vel per appositionem iunguntur, Ovid. Heroid. VII, 158.: Penates — fugae comites, Dardana sacra, deos. Similia vid. III, 4, 11. Nec tamen loco cedo. Nam illis locis omnibus non dii penetrales ipsi, sed sigilla, deorum imagines, fortasse etiam (Ovid. Met. X, 696. coll. El. IV, 1, 22. De diis Rom. patriis II, 12. p. 91.) vasa et apparatus sacer cultui destinatus intelliguntur. Unde sacra Philetae abstractum, q. d., pro concreto sanctum Philetam significare non posse satis apparet. Contra El. II, 10, 24. quem locum Broukh. cum Barthio tamquam suae opinionis firmamentum in partes vocat, prorsus contrarium persuadet. Nihil enim frequentius, quam poetas sacerdotibus Musarum et Apollinis se comparare — hinc boni poetae pii (Virg. Aen. VI, 662.), mali impii dicuntur (Catull. X, 7.), qui diis suis tutelaribus non turibus aut mactato tauro, sed carminibus faciunt. Haec carmina potissimum iugis aquae fontibus comparantur, et propter modestiam vilis doni, et propter fluentis versus similitudinem, et propter puritatis significationem. Hinc Callim. h. Apoll. 100 sqq. suavi allegoria:

Ληοῖ δ' οὐκ ἀπὸ παντὸς ὕδωρ φορέουσι Μέλισσαι,
Ἀλλ' ἥτις καθαρή τε καὶ ἀχράαντος ἀνέρπει
Πίδακος ἐξ ἱερῆς ὀλίγη λιβὰς ἄκρον ἄωτον.

Hinc Propertius IV, 1, 59. (ubi vid. comm.) carmen suum

rivum e pectore fluentem dicit; hinc El. IV, 6, 4. urna Cyrenaea aquas in sacrificium vates libat; hinc denique hoc ipso loco, Callimachum diligentius imitatus v. 3. puro de fonte sacerdotem se appellat. Purum enim fontem tum, ut Callimachus, castigatum et Musis dignum carmen ait, tum novum atque adhuc intactum poesis genus. Vid. enim, quae ad v. 6. collegimus exempla. Contrarii sunt lacus publici et rivi aperti (Horat. Epist. I, 3, 11. coll. comm. ad El. II, 14, 12. II, 23, 2.). Poeta autem ut sacerdos sua quoque sacra habeat necesse est. Haec enim sunt sacra vatum, ad quae auctor prologi satirarum Persianarum semipaganus carmen suum offert (cf. ad v. 6. et 18.). Haec sunt paupera illa sacra, quibus vilia tura se dare Propertius profitetur (El. II, 10, 23 sq.); haec denique hic sunt „sacra Philetae", ad quae ut ipse admittatur, Umber poeta orat. Cf. El. IV, 6, 1.: Sacra facit vates, sint ora faventia sacris. Add. Ovid. Tristt. IV, 10, 19 sq. Ep. ex Pont. II, 10, 17 sq. Martial. VII, 62, 3. quos iam Broukh. contulit. Philetae autem sacra Propert. invocare, quo sacrificantem vel sacerdotem Philetam significet, nemo mirabitur, qui meminerit, quantum ab eo illi metonymiae generi datum sit, quo Arionis lyra pro ipso Arione citharista, Bruti secures pro Bruto consule, Caesaris arma pro Caesare belligero dicta sunt. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 151. comm. ad El. I, 6, 19. Neve, quod hic mutatum (sacra Philetae) iuxta proprium (Callimachi Manes) positum est, offendaris: sic El. II, 6, 28.: Felix Admeti coniux et lectus Ulixis. — Iam vero poematum delubra cur in umbrosis lucis potissimum posita cogitentur (v. 2. vestrum nemus), vix quaeras, si amorem, quo hos tacitos et vulgi strepitu vacuos recessus omnis Apollinis cohors omni tempore amplexus sit, reputaveris. Cf. comm. ad III, 3, 26. Horat. Od. I, 1, 30. Bentl. ad eund. I, 32, 1. Schmid. ad Hor. Ep. II, 2, 78. Plin. Epist. IX, 10. Quintil. Inst. O. X, 3. Dialog. de Oratt. 9. Ex hoc autem nemore, quod in vita frequentaverant, quod ne mortuos quidem recedentes illos Elegiae duumviros Prop. facit, Manesque etiam Callimachi orat, ut sibi introitum permittant, vere poetice id institutum est. Possidere enim defunctorum animae eas sedes credebantur, quas vivi coluerant, et Genii vel Lares propitii adesse frequentantibus. Qua de re separatim egimus in libello De diis Rom. patriis I. c. 4. p. 9 sq. c. 5. p. 10 sqq. c. 13. p. 31 sqq.

v. 4. De infinitivo: ingredior (nemus) — ferre cf. Q. P. II, 6. p. 156. 157. Verborum autem nexum sic solven-

dum esse: Graïos choros ferre per orgia Itala, quod iam in Observv. (Halberst. 1836.) p. 8. significavimus, etiamnunc contendimus. Hoc enim ait, Graeca carmina Romanos docere se velle; res est Graeca, quae Latinam speciem trahit. Sic Virg. Ge. III, 176.: Ascraeumque cano Romana per oppida carmen. Horat. Od. III, 30, 13.: Aeolium carmen ad Italos deduxisse modos. Ep. I, 3, 12.: fidibusne Latinis Thebanos aptare modos — studet? Chori autem Graecci poesin Graecam significant, cui qui studet, choros ducere fingitur, metaphora haud sane inconcinna, tum quod numeroso versuum incessu saltantibus carmina similia sunt, tum quod novem sorores iunctis choreis Heliconem frequentare perhibentur. Cf. El. II, 10. init.: Sed tempus lustrare aliis Helicona choreis. Nam aliud genus alios choros sibi quaerit. II, 30, 38. III, 2, 14. III, 5, 20. II, 34, 42. qui loci in eadem translatione versantur. Hos igitur choros primum se in sacra vatum Romana (cf. ad v. 1.) adduxisse ait, quae, prorsus ut noster, Christodorus Λατινίδος ὄργια Μούσης (Ecphr. 303. Anthol. Pal. p. 50.) appellat. Similiter Stat. Silv. V, 5, 3.: — quae vestra, sorores, — Orgia Pieriae, quas incestavimus aras? Ne vero ferre choros pro ducere choros dictum non Latinum credas: κατὰ σύνεσιν facta est structura; choros enim quum ait, carmina significat, unde plane ad nostrum exemplar Stat. Silv. II, 7, 21.: „Musas" (hae enim ipsae chorus ille sunt) „per geminas artes" (h. e. eloquentiam et poesin) „ferre" ait. — Unice autem veram esse quam proposuimus interpretationem iam ante nos VV. DD. senserunt, quamvis quod in medio positum erat, inauditae et vere immanis hypallagae machinis extorquere studerent, ut dictum esset pro: „Graia orgia per Italos choros ferre." Humanius Valckenar. qui tamen, ut erat manu promptus, hoc ipsum voluit reponere: Graia per Italicos orgia ferre choros (de eleg. Catull. Callimach. p. 2.). De hyperbato vero, si quod eius est, aut certe de praepositione insolentius transposita cf. Q. P. II, 6. p. 122. Ceterum non dubito, quin Propertius more suo (de quo diximus ad El. II, 34, 92. Q. P. II, 4. p. 70.) Philetae versus aliquos hic expresserit, ubi poeta is choros ducentem se finxisset. Verisimilius hoc fit comparato Stat. Silv. I, 2, 254.: „Hunc ipse choro plaudente Philetas, Callimachusque senex — Umbroque Propertius antro ambissent celebrare diem", ubi praepropere Markland. Bernartio obsecutus Coo reposuit (cf. III, 3, 27.).

v. 5. De antro Musarum cf. ad El. III, 3, 27. Tenuare autem carmen, quod post Beroaldum per „tenue,

i. e. levis argumenti et humile, carmen condere" omnes interpretes explicuerunt, nulla id unquam analogia evincent. Nam tenuare ubique erit tenue reddere. Nihil igitur aliud est, quam quod v. 8. tenui pumice exigere, i. e. polire et laevigare (cf. III, 9, 10. 21, 30.) appellat. Hac enim significatione positum invenies ap. Stat. Silv. IV, 7, 9. ubi de lyrico carmine, nequaquam tenuis argumenti, sermo est. Recte igitur Bach. comparat Hor. Epist. II, 1, 225.: tenui deducta poemata filo, modo ne aliam illic atque hic subesse metaphoram obliviscaris. Sed omnia miscet, cum idem Ovid. Amorr. I, 1, 17. adhibet: Attenuat nervos protinus ille (Apollo) meos. Cui ne quis dicat v. 8. repugnare, qui oppositum sibi postulet: oppositio vero inest illa quidem, ita tamen, ut tenuem versum, h. e. limatum, gracilis argumenti carminibus potius quam grandiloquis epicorum et tragicorum ampullis convenire facile coniicias. Cf. de toto hoc loco Q. P. II, 7. p. 199 sqq. Tenuem autem pumicem de castigato et limato versu, non de incuria ut Burmann. vult, accipiendum esse, et ipsius imaginis ratio docet (exigere enim de summa in perficiendo opere diligentia dicitur — cf. Schmid. ad Horat. Epist. II, 1, 72.), et quod mollem versum tamquam proprium elegiae tribuit: v. Q. P. l. l. p. 200.

v. 6. Quove pede ingressi. Absurdum est, cum Broukh. interrogare dextro sinistrove pede poetae ingressi sint antrum. At ne Latinum quidem. Hoc enim si Prop. voluisset, accuratius percontari debebat: utro pede? Immo modum et rationem incessus quaerere poetam apertum est. Nec, si quis in vocabulis ingredi et pes dilogiam latere dicat, quo carminis incessus et versuum pedes significentur, equidem tantopere repugnem. Nam non raro in ambigua verborum voluntate ludere Propertius amat. Cf. ad El. II, 34, 84. III, 3, 48. — quamve bibistis aquam? Cave ne cum interpretibus eadem metaphora hic aquam commemorari credas, qua supra fontem. Illic enim sacrificatur; hic furor poeticus bibendo hauritur. Iniuria autem Bachius cum Valckenar. (Ep. crit.) ex Ven. 1475. et Vicent. 1481. quave — pro quamve restituebat. Nam non modo celebratissimi illi Heliconis et Parnassi fontes divinandi vel canendi indole imbuere crediti sunt, sed variis poetis pro vario carminum genere suae tribuuntur et quasi propriae aquae. Sic Prop. III, 3, 5.:

Parvaque tam magnis admoram fontibus ora,
Unde pater sitiens Ennius ante bibit.

II, 10, 25.:

Nondum etiam Aeraeos norunt mea carmina fontes.

Ascraei enim fontes illi sunt, ex quibus Hesiodus hausit. Eodem modo interpretandus Lucret. I, 925 sq. (qui versus recurrunt IV. init.):

Avia Pieridum peragro loca nullius ante
Trita solo: iuvat integros accedere fontes
Atque haurire —

qui integros fontes dicit usque adeo intactos (cf. ad v. 18.), quo nomine Hippocrenen et Aganippen intelligere eum non posse patet. Hoc igitur ait: Genus carminis aggredior a nemine adhuc cultum. Add. Virg. Ge. II, 175. Eadem opinione nisus Statius Silv. I, 4, 25. ad Rutil. Gallicum poetam: „Licet enthea vatis Excludat Pimplea sitim, nec conscia detur Pirene, largos potior mihi gurges inhaustus, Qui rapitur de fonte tuo.“ id. V, 7, 11.: Nec maior sitis et bibendus castior amnis. Unde apparet, non tam in loco et nomine fontium, quam in diversis poetarum, qui inde hauserint, ingeniis discrimen positum esse. Quid autem hoc mirum, cum in universum fontium numinibus divina illa vis tribueretur, Musaeque ipsae proprie nihil nisi sacrorum fontium deae tutelares essent. Cf. Observv. l. l. p. 7. Sic igitur Pindarici fontis haustus ap. Horat. Ep. I, 3, 10. interpretandi, sic versus Propert. III, 3, 52.: Talia Calliope, lymphisque a fonte petitis Ora Philetaea nostra rigavit aqua, et IV, 6, 4.: Cyrenaeas urna ministret aquas, ubi vid. comm.

v. 7. Cf. ad El. III, 3, 42.

v. 8. ad v. 5.

v. 9. In mentem venit picturae Herculanensis (ap. *Barré*. T. III. tab. 100.), in qua ἀποθέωσις exhibetur; genius alatus, qui iuvenem in coelum sublimem aufert.

10. Lachm. Nota pro Nata corrigere voluit; neque ego intelligo, quod Iacob. Natam Musam non minus se ferre ait, quam humorem equi IV, 2, 2. (i. e. III, 3, 2.). Nihilo tamen minus non modo ferendum esse Nata, sed omni laude dignum existimo. Nam in his atque sequentibus versibus ne unum quidem verbum languere aio; ita singulae metaphorae docte et accurate per partes suas exactae et ad certas vitae rationes accommodatae sunt. Ac primum quidem, quod Elegiacae Musae parentem se significat, quid hoc inconcinni habet, aut quod non sit Latinum? Quin Herodotum parentem Historiae vel a Cicerone dici, nemo miratur. Iam egregie hoc facit, quod per suam filiam triumphum agere se fingit. Cum hac simul ipsum currum ascendit. Nam Apollini (Nemesian. Cyn. 9. cf. ad El. III, 3, 13.) et Gratiis currus tribuitur. Apud Phocylidem, sive is

est Simonides suavissimi epigrammatis auctor Anthol. Pal. XIII, 28. v. 10. T. II. p. 542. Iacobs. Ann. Br. I. p. 141. n. 76., clientem suum in currum secum recipiunt: *Ἱππόνικος Στρούθωνος υἱὸς ἅρμασιν ἐν Χαρίτων φορηθείς.* Cf. Sapph. ap. Himer. Sophist. I, 4. p. 330.: *ἄγει καὶ Ἀφροδίτην ἐφ' ἅρμα Χαρίτων.* Hemsterhus. ad Lucian. I. p. 205. Iacobs. Animm. (hic cf. v. 11.) ad Anth. Gr. VI. p. 252. Musarum vero curru poetas vectos aliquoties Pindarus fingit Olymp. IX. v. 121.: *εἶην εὑρησιεπὴς ἀναγεῖσθαι πρόσφορος ἐν Μοισᾶν δίφρῳ· τόλμα δὲ καὶ ἀμφιλαφὴς δύναμις ἔσποιτο;* et quos locos Bach. indicat Isthm. II. init.: *Οἱ μὲν πάλαι φῶτες ὅσοι χρυσαμπύκων ἐς δίφρὸν Μοισᾶν ἔβαινον.* VIII, 134.: *ἔσσυται δὲ Μοισαῖον ἅρμα Νικοκλέους μνᾶμα πυγμάχου κελαδῆσαι.* Sed accuratius etiam apud Romanos ad veritatem expressum simile senties, si triumphatores liberos suos vel equis funalibus vel ipso curru vectos in triumphum adhibuisse memineris. Tacit. Annall. de Germanico: „Augebat intuentium visus eximia ipsius species currusque quinque liberis onustus" et Liv. XLV, 40. de Aemilii Paulii filiis ante ipsum triumphum fato abreptis: „quos praetextatos curru vehi cum patre sibi ipsos praedestinantes triumphos oportuere." Add. Eutrop. IV, 8. et Sardonychem illum clarissimum (de quo Iongius egit *Notice sur le Cabinet des Médailles de S. M. le Roi des Pays-Bas. Premier Supplément.* 1824. p. 14.), in quo Claudius imperator scalptus Iovis triumphatoris figura, et iuxta Messalina, Octavia, Britannicus in eodum curru. Vid. Müller. de Archaeol. p. 195. 2. e. De equis coronatis vid. ad El. IV, 11. extr. Ovid. Trist. IV, 2, 25. Fast. V, 52. — Quid deinde v. 12. scriptorum turba rotas secuta velit, neminem fugiet, qui milites victoriarum socios imperatoris triumphum sequi reputet. Cf. ad El. IV, 3, 68. Sunt igitur imitatores poetae, de quibus horoscopus, metaphora item ut hic a re militari sumpta, IV, 1, 135.:

At tu finge elegos, fallax opus: haec tua castra,
Scribat ut exemplo cetera turba tuo.

Unde falsos esse interpretes apparet, qui hic iam alteram translationem a curriculo ductam incipere censent, quam v. 13. et 14. persequitur, contra morem Propertii, qui a pentametro novam sententiam ordiri non solet. Cf. Q. P. II, 6. s. IV. p. 169.

v. 14. Bachius Musas solas Callimachi et Philetae intelligit, Iacobs. iudices certaminis curulis, Becker. cur angusta via dicatur, obscurum esse ait, atque post via inter-

rogandi signum ponit. Mirum, quod in re satis expedita tot modis VV. DD. se cruciaverunt. Eadem est sententia, quamvis fortius enuntiata, quae El. III, 9, 7.: Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta. — *Οὐ παντὸς ἀνδρὸς εἰς Κόρινθον ἔσθ' ὁ πλοῦς.* — Musarum autem sedem Heliconem in universum significari certum est. Sed diversae viae sunt; haec angusta, quippe intacta usque adhuc (cf. ad v. 18.).

v. 16. canent. canant propter unum Groning. non recipiam. Utrumque recte dici certum est, alterum ingenium poetarum canentium significat, alterum confidentius est vaticinantis.

v. 17. Novum est, paginam opus deferre Heliconе, quod ipse poeta detulit. Sed vid. El. II, 34, 87. 89. Q. P. II, 6. p. 134. Ad metaphoram autem imprimis facit locus Lucretianus supra citatus: Avia Pieridum peragro loca nullius ante Trita solo. Sed propius etiam nostro Manil. Astr. II, 50, 53. quem locum omissum ab interpretibus miror: Omnis ad accessus Heliconis semita trita est — Integra quaeramus rorantes prata per herbas. Add. Virg. Ge. III, 292.:

Iuvat ire iugis, qua nulla priorum
Castaliam molli devertitur orbita clivo.

Horat. Epist. I, 19, 21.: Non aliena meo pressi pede. Alia vid. ad El. III, 3, 18. 26. Sed huius quoque locutionis exempla Alexandrini praeiverunt, siquidem Callimachus rationem probat suam viam secantis: *δραμόντος — ἑτέρων ἴχνια μὴ καθ' ὁμά*, ut est ap. Eustath. ad. Iliad. *ψ'*. p. 1436, 36. itemque in inedito Olympiodori in Platon. commentar., quem ad Callim. frgm. illud (CCXCIII. Bentl.) Ruhnken. profert. Eodem redit *Πυθαγόρειον* illud *παράγγελμα, φεύγειν τοὺς λεωφόρους* eiusdem Olympiodori testimonio communicatum, et alterius poetae dictum, qui dubito an et ipse Callimachus fuerit: *τὰ μὴ πατέουσιν ἅμαξαι — τὰ στείβειν.* Certe in eodem hoc simili versatur epigr. XXX.: *Ἐχθαίρω τὸ ποίημα τὸ κυκλικὸν, οὐδὲ κελεύθῳ Χαίρω, τις πολλοὺς ὧδε καὶ ὧδε φέρει.*

v. 19. Carmina ipsa floribus foliisque comparare poetis vulgatum est. Videntur autem ea fronde se cingere, quae deo illi sacra est, cuius ipsi in tutela sunt, vel laudem canunt, aut quae cum argumento carminis aliquam habet similitudinem. De altero hoc cf. Lucret. I, 926. IV, 3 sqq. Stat. Silv. III, 66 sqq. Anth. Palat. c. IV., totis carminibus 1. et 2. Prop. IV, 6, 3. III, 3, 35 sqq. — de altero Prop. IV, 1, 63. IV, 6, 10. Sic Ovidius amores canturus myrto se cingit,

Veneri sacra, Amorr. I, 1, 29. I, 15, 37. A. A. II, 7, 33. add. Stat. Silv. V, 7, 10. Iacobs. ad Anth. Gr. I, 1. Animadvv. I. p. 1 sqq. Itaque innumeris Anth. Pal. versibus ad significanda variorum poetarum ingenia varii flores quaeruntur, quorum natura cum illis simile quid habeat. Hoc certum, neque hic duram neque El. IV, 1, 61. hirsutam coronam tantum propter „aspera et rigida“ lauri folia dici, ut interpretes volunt. Nam El. IV, 6, 10. prorsus contrarium est: „Pura novum vati laurea mollit iter.“ Sed mollia serta et dura corona diversum tantum utriusque et elegiacae et epicae poesis genus significant (qua de re cf. Q. P. II, 6. s. IV. p. 176.), usu eo in metaphoris Propertio admodum familiari, quo ita solet propria cum translatis miscere, ut dum in substantivo aliquo simile ponat, in attributo veram rationem retineat. Cf. quae de angusto torno ad El. II, 34, 43. diximus; add. Q. P. II, 6. §. 27. p. 148. ad El. III, 9, 29.

v. 25. De ablativo cf. ad El. III, 24, 2.

v. 27. Idaeum Simoenta. Fraudem hic Lachm. frustra suspicatus est. De fabulis enim propter eundem nominis sonum passim confusis v. Interpp. ad. Virg. Ecl. VI, 74. collatis Georg. I, 405. Heyn. exc. ad Ecl. VI.; de Atlantis Iasii et Schoenei filiabus Interpp. ad Callim. h. Dian. v. 216 sqq. Schol. ad Eurip. Phoen. 152. Apollodor. I, 8, 2. Ovid. Amorr. VII, 14. ad Prop. I, 1, 18.; de Helena et Adrasteae et Ledae filia Spanh. ad Callim. h. Dian. 232., de Auge Aulei Arcadis vel Priami sorore eund. ibid. v. 70. Hic autem locus pertinet ad solemnem rerum Cretensium et Phrygiarum confusionem, de qua cf. Interpp. ad Lucret. II, 629. Serv. ad Virg. Aen. III, 104. Muncker. ad Hygin. f. 139. Spanh. ad Callim. h. Iov. 52. Diodor. V. c. 64. Heyn. exc. V. ad Virg. Aen. III. Strabo (X. §. 7. t. IV. p. 154. Tzschuck.), testis hac in re classicus. Ipse enim nominum in utraque regione similitudinem variis erroribus et confusionibus occasionem fuisse (p. 205.) ait. Nec modo Ida mons Cretae et Mysiae erat, sed etiam Dictae Cretensis cognominis locus Scepsiae, et Pydnae et Hippocoronae et Samonii appellatio utrique terrae communis. Hinc Matrem deum cuius cultum solis Phrygibus patriam Strabo l. l. vindicat, tamquam indigenam Cretenses asserebant. Quid, si etiam Simois duplex fuit et ambiguum nomen? quid, si cum Matre deum etiam Iovis originem usurpaverant vel Cretenses vel Phryges? Nobis certe tam prona in tam cognatis fabulis confusione magis mirum videretur, si non fecissent, quam si fecissent. Quid multa? Satis locupletem testem eius rei

Propertium, tam reconditarum fabularum investigatorem censemus, ut alienis exemplis non egeamus.

v. 28. per campos. ter c. Fruterius coni., egregie. At, quoniam librarios corrigere nostrum est, non modo probabile sed etiam probum per retinemus.

v. 29. Pulydamantas in armis legendum esse iam Puccius perspexit. Hanc autem ingenuam fuisse scripturam libri mss. fere omnes clarius obscurius indicant, cum Pulydamantes librariis debeatur solitam pro insolentiori forma rescribentibus. De Pulydamante armato vel non armato nodum, ut aiunt, in scirpo hic quaerunt critici. Ne enim plus quam ceteros bellatorem hic laudari Pulydamantem credas: in armis ad omnes, qui hoc versu nominantur heroes tamquam commune attributum referendum est. Qualiscunque vero rectius describat Paridis ingenium, si nude illud pronomen positum fuerit, quam si cum Lachmanno (Pulydamanta) et in armis Q. P. addas. Nam non solum bello, sed domi etiam plus quam dubiae fuerunt Paridis laudes.

v. 30. Improbus imitator Ovidius Trist. V, 5, 35.: Forsitan Euadnen vix sua nosset humus.

v. 33. memorator. Cf. Q. P. II, 6. s. III. p. 163.

v. 34. sensit recte Lachm. et, quod magis mireris, primus restituit, „nempe iamdudum.“ Recte; vulgo enim unum Heinsianum secuti sentit scribunt.

v. 39. carminis — redeamus in orbem. Haec locutio quo valeat, accuratius explicuimus Q. P. II, 5. p. 85. Ceterum cf. initium insequentis carminis.

v. 40. Libri sat multi absurde: insolito; unde in solito Burm. Lachm. alii effecerunt. Sed hiare sic sententias et compositionem Bach. recte observat, nec raro a librariis in ex ut factum coll. Tibull. IV, 1, 102. annotat. At ne illud quidem, quod Puccius habet et, probaverim, cum quod ab omni parte optimum videtur ut, a libro interpolationis minime suspecto veniat.

Elegia II.

Hoc carmen, in codd. mss. omnibus a proximo superiore segregatum, primus Muretus coniunxit, versu potissimum 39. primae elegiae nisus. Secuti sunt interpretum plerique. Frustra. Quamquam enim hanc etiam imaginem aliquis sibi fingere potest, ut linea non ipsa in se, h. e. orbem quem efficit, colligatur, sed ut declinata ab orbe ad eundem redeat, hic tamen quid sit in orbem redire Q. P. II, 5. p. 85. docuimus. Apertius Virg. Aen. I, 273. (269.) orbes ex-

plere ait. Nam ne id quidem, quod velint, efficere illos, ut aut priore elegia argumentum deseratur, aut ad propositum altera redeatur, ibidem demonstravimus.

v. 1. 2. Orphea detinuisse — sustinuisse. Sic codd. probi omnes, nisi quod in breviori versu nonnulli facili errore detinuisse repetierunt. Itali: Orphea te tenuisse Qui vero in hexametro detinuisse coniecturis tentantes aut te duxisse cum Heinsio, aut cum Ayrmanno (quem Lachm. sequitur) delinisse rescripserunt, iam in eo falsi sunt, quod efficax hic ὁμοιόπτωτον de industria perdiderunt. Recte enim ad eam figuram Iacobus confert Rutil. Itin. I, 154.: Thybris — opulenta tibi placidis commercia ripis Devehat hinc ruris, subvehat inde maris. Nam de sententia dubitare potuisse viros doctos, vix adducor. Quinimmo ut detinere iam per se optime de bestiis efferis et natura sursum petentibus dicitur, quas quasi compedibus (cf. Horat. Od. I, 33, 14.) Orpheus citharae sonitu depressit et blandientes humiliter sibi effecit, sic tanto hercle melius, quod brutos dulcedine et praestigiis cantus mente quodammodo et sensu humano derepente praeditos Prop. significat. Nam de animis proprie audientium hoc verbum usurpari, quos sermone benigno vel studiis gratis devincimus et moramur, plurimi loci declarant. Ovid. Trist. II, 519.: Et mea sunt populo saltata poemata saepe: Saepe oculos etiam detinuere tuos. Trist. V, 7, 39.: „Detineo studiis animum falloque dolores“, et dum tempori tribuit, quod hominum est, Ep. ex Pont. IV, 10, 67.: Detinui, dicam, tempus curasque fefelli. Met. I, 682.: detinere diem sermone. Similia sunt ap. Martial. VII, 92, 4.: Narnium — Quintum — iuvat — lenta detinuisse mora. Plaut. Pers. IV, 3, 36.: „Itaque hoc est quod me detinet negotium“; et Cic. Famil. XII, 15., qui detinere et morari tamquam συνώνυμα coniungit. Sustinere vero, quod Lachm. quoque intactum reliquit versu breviori, in fluviis aliisque rebus deorsum labentibus, quarum impetum excipimus, proprium et paene necessarium vocabulum esse vel tironibus notum est. De altero vero, quoniam etiam ea quae rationibus satis conficere licet, ut alienis exemplis insuper demonstrentur, vulgo flagitari videmus, cf. Martial. XIV, 166. qui de eadem hac cithara Orphea: De Pompeiano saepe est eiecta theatro Quae duxit silvas detinuitque feras.

v. 5. equos. Broukh. aquas coniecit. Sed recte Bachius ad Virg. provocat Georg. IV, 388 sq.: Caeruleus Proteus, magnum qui piscibus aequor Et iuncto bipedum curru metitur equorum.

v. 7. De Baccho simul cum Apolline poetarum et Propertii patrono cf. ad El. IV, 1, 62.

v. 9. Quod. Ayrmann. volebat Quid? Sed nota est usus eius elegantiae in locutionibus: quod ais, quod scribis, vulgatissimi, ut obiectionem aliquam illa particula ducat, cui in apodosi respondetur. Unde non multum abest ab significatione vocis quamvis; et sic interpretati sunt Broukh. et Burm. qui et alia exempla afferunt, et Ovid. Heroid. XVII, 51.: „Quod genus et proavos et regia nomina iactas." Rectius etiam contuleris Terent. Eunuch. IV, 7, 15.: „Sane, quod tibi nunc vir videtur esse hic: nebulo magnus est"; quem locum frustra coniecturis sollicitaverunt. Cf. ibid. V, 9, 34. ibiq. Bentl. Plaut. Mil. Glor. II, 2, 7. Asin. IV, 1, 16. 51. — De Taenario marmore ab interpretibus cum Laconico confuso docte egerunt Platnerus et Bunsenius in Descript. Urb. Rom. T. I. p. 336 sqq. Illud enim in Taygeto caesum viride fuit (nunc *Serpentino* dictum), de quo vid. Pausan. III, 21, 4. — hoc contra nigrum. Cf. Strab. VIII. p. 367. Dissen. ad Tibull. III, 3, 14.

v. 11. mea pomaria. Frustra hinc colligas, pomaria fuisse Propertio. De usu enim hoc pronominis possessivi vid. Q. P. II, 6. s. II. §. 20. p. 140. — Phaeacias vel simile quid libri mss. Nestor in vocabular. Phaeaces. Phaeacas recte restituit Scaliger. Cf. Q. P. II, 6. s. III. p. 163. et ad El. III, 9, 44.

v. 12. De aqua Marcia omnia collegerunt VV. DD. ad hunc locum, nec tamen unde in privatas domus ea venire potuisset, quisquam docuit. Concedebantur autem post Agrippae aedilitatem certis privilegiis fistulae ex publicis castellis in aedes privatas ductae. Hoc significat Stat. Silv. III, 1, 62.: magni — ducis mihi munere currens unda domi; et de ipsa aqua Marcia Frontin. de Aquaeduct. II. p. 245. Keuch.: Sentit hanc curam — domina orbis — aucto castellorum cett. — numero, nec minus ad privatos commodum, quod ex incremento beneficiorum eius diffunditur. Add. capita sequentia quae tota in exponendis, quae huc pertinent, iuribus et privilegiis versantur. Operosum pro artificioso eleganter dictum interpretes observant. Ego primum credo Propertium hoc sensu et hic et IV, 8, 52. ea voce usum esse. Post eum Ovidio imprimis frequens est. Cf. Metam. XV, 666.: templa operosa. I, 258.: mundi moles operosa. Add. Heroid. III, 31. Amorr. II, 10, 5.

v. 13. cara Lachm. e Groning. maluit grata. Non magni refert; *συνώνυμα* enim sunt verba. Cic. Off. I, 17, 57.: Omnium societatum nulla est gratior, nulla carior,

quam ea cett. Sed gratus sine dubio vulgarius; carus plus coloris habet et ἠθούς: colunt enim scripta eius puellae (v. 8.); deum Propertium clamant et sacra ei ferunt; quapropter consensu Hb. et N. tutum id retinuimus. Scioppius ter positum at voluit pro et; sed non Propertiana est ea anaphora. Cf. Q. P. II, 6. s. I. §. 1. p. 107.

v. 14. Allegoriam illustravimus ad El. III, 1, 4. Fundus et origo eius ab Hesiodo repetenda. Theog. 3. de Musis: — *αἵτε — περὶ κρήνην ἰοειδέα πόσσ' ἁπαλοῖσιν ὀρχεῦνται.* Cur autem Calliopen potissimum inter novem sorores suam quodammodo tutelam Propertius sibi elegerit (cf. El. III, 3, 38 sqq. IV, 6, 12. II, 1, 3. I, 2, 28.), cum tamen Erato alias prae ceteris lyrici carminis ars tribuatur, non ita facilis quaestio. Credo aut quia cantantibus in universum praesidet — saltandi enim artem cum poesi coniunctam videmus in Erato — aut quia poeta boni ominis causa pulcherrimi nominis deam quaesivit, quae Hesiodo teste (Theog. 79.) *προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασῶν.* Add. Leonid. Alex. ep. XXVII. Ann. Br. II. p. 195. Ovid. Met. V, 662. Munck. ad Hygin. p. 191. Quinimmo Musam *κατ' ἐξοχήν* significare eam videtur Leonid. Alexandr. Anth. Gr. T. II. p. 179. ep. XXIII. T. II. p. 194. Ann. Br.: „*Μῆνιν ἄειδε θεά*" καὶ „*Ἄνδρα μοι ἔννεπε, Μοῦσα*" *Εἶπεν Ὁμηρείῳ Καλλιόπη στόματι.* Alteri tamen opinioni faveat inscriptio picturae Herculanensis (T. III. t. 9. Le Roux.): *ΚΑΛΛΙΟΠΗ ΠΟΙΗΜΑ.* Accedit Schol. ad Apollon. Rhod. Argon. III. init.: *Καλλιόπη ποίησιν.* Pallad. Alexandr. ep. LIII. Ann. Br. T. II. p. 418.: *Πάντων μουσοπόλων ἡ Καλλιόπη θεός ἐστιν.* Elegis praecesse videtur epigr. *ἀδ.* Anth. Gr. DCCXIV. T. IV. p. 272. ed. Lips. Hinc etiam I, 2, 27. lyra ei tribuitur, quae alias Terpsichorae propria est. Nam in iisdem iconibus n. 6. imagini eius inscriptum: *ΤΕΡΨΙΧΟΡΗ ΛΥΡΑΝ.* Sed alii aliter. Cf. Heyn. Opusc. Acad. T. II. p. 309. Iacobs. Animadv. ad Anthol. Gr. T. X. p. 403. Neque ego magnopere pugnem, si quis amatorem poetam hanc sibi inter novem sorores ceteris propitiorem credidisse coniiciat, quippe amoris non nesciam, si quidem haec fuit, quae (II, 30, 35.) Oeagri compressa figura — Bistoniis olim rupibus accubuit.

v. 15. Recte, quod ab Italis oblitteratum erat est, Lachm. restituit. Cf. Q. P. II, 6. §. 5. p. 116.

v. 21. Aperta est Pindari imitatio Pyth. II.: *ὕμνων θησαυρὸν — οὔτε χειμέριος ὄμβρος ἐπακτὸς ἐλθὼν ἐπιβρόμου νεφέλας οὔτε ἄνεμος ἐς μυχοὺς ἁλὸς ἄξοι παμφόρῳ χεράδι τυπτόμενον.*

v. 23. ab aevo. De vi praepositionis ab v. Q. P. II, 6. p. 134.

Elegia III.

De argumento v. Q. P. II, 4. p. 77. c. 5. p. 83. Callimachi Somnia imitatum esse hic Propertium Iacobs. suspicatur coll. epigr. ἀδ. Anth. Pal. VII, 42. p. 214. T. II. p. 319. Iacobs. vv. potissimum 6. et 7. nisus: εὖτέ μιν ἐκ Λιβύης ἀναείρας εἰς Ἑλικῶνα ἤγαγες ἐν μέσσαις Πιερίδεσσι φέρων. Quodsi de forma carminis et de initio fortasse verum est, argumentum tamen et consilium longe abhorruit. Nam de Callimacho ille: αἱ δέ οἱ εἰρομένῳ ἀμφ' ὠγυγίων ἡρώων Αἴτια καὶ μακάρων εὗρον ἀμειβόμεναι. Hic vero contraria prorsus ratio. Nam ab historiarum narratione Propert. vel invitum Phoebus abducit (v. 13 sqq.). Cf. praeterea El. IV, 1, 71 sqq. Q. P. II, 2. p. 55. III, 2. p. 216.

v. 1. molli in umbra. Iacobs. interpretatur: in qua molliter, suaviter quiescas. At umbra non modo luminis defectus et aer obscurus est, sed locus umbrosus et opacus (cf. ad El. I, 18, 21. III, 9, 29.), hic saltus Heliconius mollibus herbis et salubri gramine consitus. Cf. Ovid. Met. V, 265. Pausan. L. IX. Boeot. 28. Haec Musarum arva de quibus v. ad v. 18.

v. 4. Reges — et facta, tantum operis hiscere. Praeterviderunt interpretes elegantem accusativi usum, ad ἐπεξήγησιν pertinentem, cuius alia quaedam genera illustravimus ad El. II, 1, 5. (9.) II, 20, 8. Cave enim alterum accusativum tantum operis appositionem credas superioris: Reges. Nam reges non sunt opus. Immo vero hoc altero totius enuntiati eventus continetur. Proxime nostro Virgil. si tamen est Virgilius qui primos Aeneidi versus praetexuit: Ille ego, qui — vicina coegi, Ut quamvis avido parerent arva colono — Gratum opus agricolis. Neque aliter interpretor Ovid. Met. V, 112.: Sed qui pacis opus, citharam cum voce moveres. Nam opus movere Latinum non est, contra illud ipsum movere, i. e. cantus et citharae modi recte pacis opus dicuntur. Add. Virg. Georg. III, 40.: silvas saltusque sequamur Intactos, tua, Maecenas, haud mollia iussa. Aen. X, 161.: Primus turmas invasit agrestes Aeneas, omen pugnae, stravitque Latinos. Ovid. Fast. II, 113. I, 641. Virg. Aen. VIII, 486.: Componens manibusque manus atque oribus ora — tormenti genus. III, 304.: tumulum, viridi quem cespite inanem, Et geminas, causam lacrimis, sacraverat aras. Cf. comm. ad El. III, 11, 40. Plura nunc dabit Krüger. Gramm. Lat. p. 389. quamvis falso cum interpretum turba huc referens Tacit. Ann. I, 27.: „Postremo deserunt tribunal, ut quis

praetorianorum militum amicorumve Caesaris occurreret, manus intentantes, causam discordiarum et initium amorum.“ Nam hi accusativi ad praetorianos pertinent, quos intentant manus. Nec vero Lachm. ad El. IV, 5, (i. e. III, 6.) 9. recte intellectum locum coniectura falso tentavit. Hinc emendo Ovid. Trist. II, 43.: „Iunxit Aristides — Milesia crimina — sexus“. Iungere sexus (secum vulgo) enim ad σχῆμα γυναικεῖον Vet. Gloss. refero, quae Milesiis fabulis exponebantur. Haec dum enarrabat Aristides — crimen commisit. Neque igitur (quod absurdum foret) crimina appositio est vocis sexus, sed totius enuntiati: Quod autem Aristides ipse fecisse videtur, quum tantum facta descripsit: hac de figura cf. ad v. 41. Ceterum diversa interpretes falso miscent, qui et El. II, 31, 6.: carmen hiare, Virg. Aen. III, 314.: „raris turbatus vocibus hisco,“ et Pers. V, 3.: „fabula hianda tragoedo“ simul comparant. Nam hic impetus oris significatur, quod impar est cantus magnitudini. Apud Virgilium intermortua vox et pressa. Multo vero etiam dissimilior locus de Phoebo marmoreo, cuius labra aperta spiritum emittere viderentur, cum tamen vox non audiatur. Persii denique versus maxime alienus rictum personae tragicae describit. Neque igitur quicquam his omnibus locis commune, praeter os apertum.

v. 5. 6. De metaphora cf. ad v. 52. et ad El. III, 1, 6.

v. 7. cecini operarum vitio in ed. Lachm. Berolin. irrepsisse quondam credidi; nunc ex Puccii libro receptum intellexi (cf. Iacobs. Floril. p. 205.). Utut est, inter reliqua plusquamperfecta visus eram, admoram perfectum ἐκ παραλλήλου positum ferri non posse, contra rectissime iuxta bibit — cecinit scribi, iam olim in Annall. Halenss. a. 1839. p. 1039. demonstravimus. Et sententia ita demum integra erit, ut quae maxime. Nam Ennium veteres Romae historias cecinisse vel pueris notum est. Propertium quidquam de Curiatiis et Horatiis concinnasse nemo rettulit. Hic tamen error interpretum corrigendus, in quem cum prioribus nos quoque olim incidimus, Aemilia rate et regiis tropaeis triumphum Aemilii Paulli Macedonici de Perseo rege latum (Liv. XLV, 35.) significari; cum tamen Ennius neque in Annalibus neque alio loco eius rei mentionem fecisse potuerit. Obiisse enim eum poetam Q. Marcio, Cn. Servilio coss. a. U. 485. ex computatione Varr. satis constat (coll. Cic. Brut. 20. §. 78. Euseb. n. MDCCLXX.), i. e. anno integro ante quam bellum Macedonicum finitum et spolia Persei Romam ducta sunt. Haec igitur quae commemorantur spolia regia Demetrii Pharii ut fuerint, a L. Aemilio M. F. Paullo recepta,

qui cum M. Livio M. F. Salinatore consul a. U. c. 534., ex Illyriis iterum debellatis triumphum splendidum egit (Polyb. 19. Liv. Epit. 20.), ratio aperta cogit. Et sic rectius etiam versuum ordo cum temporum serie concinit, cum post Horatios et Curiatios primum Illyrica bella, tum demum Punicum secundum referantur. Ceterum quod solum poetarum Romanorum Propertium hac breviori forma nominis gentilicii Curii usum esse Q. P. II, 6. s. III. p. 163. diximus: apud Manilium Astr. I, 785. Bentleius pro eo quod libri tuentur, Fabricius Curiusque pares: hoc nostro loco nisus praeposterа coniectura Curiique restituit. Nam de regum temporibus et de Horatiis iam dudum Manilius (v. 774.) egerat; hic historiarum series iuxta Fabricium Manium illum Curium simplicitate parem Fabricio sibi postulabat (cf. Hor. Od. I, 12, 42.: Fabricium — et incomptis Curium capillis coll. Ep. I, 1, 64.). Sin tamen quid corrigendum censeas, malim Fabricius Curiusque patres. Horatia pila in universum pro armis dicta interpretes opinantur. Sed doctior, quam illis videbatur, Propertius eam narrationem secutum esse se significat, qua Horatii Romani, Curiatii Albani fuisse tradebantur. Alii enim aliter. Cf. Niebuhr. Hist. R. I. p. 306 sqq. ed. III. Pila autem telum Romanum: Niebuhr. l. l. III. p. 120.

v. 11. Romana sede recte Broukh. defendit a Passeratii coniectura: Romana ex aede. Hostilios Lares dici certum est, „quibus“ Festo auctore (s. v. p. 76. Lindem.) „immolabant, quod ab his hostes arceri putabant.“ Horum unum Tutanum appellatum Varro testatur Ἡρακλεῖ ap. Non. p. 1315, 33. ed. Basil.:

> [*Nostu*] *Annibalis cum fugavi exercitum*
> *Tutanus, hoc Tutanus Romae nuncupor:*
> *Hacpropter omnes, qui laborant, invocant.*

Vid. de Diis Rom. patr. c. 13. p. 34.

v. 13. 14. Castalia ex arbore. Kuinoel. peior etiam geographus quam interpres: „Parnassus,“ ait, „haud procul ab Helicone situs.“ Persei tamen talares fuisse Propertio oportebat, si vera loqueretur. Immo, cum totum hoc carmen in allegoria versetur, Musarum fontes et colles idem omnes valent, nec nomina anxie urgenda sunt. Sic non modo Ovid. Fast. V, 8. Hippocrene = Aganippis dicitur, quamvis diversam longe utramque aquam esse Pausan. Boeot. p. 766. doceat (coll. Ovid. Met. V, 312.), sed Stat. Silv. II, 7, 29. eundem fontem Hippocrenen Acrocorinthi fuisse fingit: „Quisquis collibus Isthmiae Dionaeo Docto pectore concitatus oestro Pendentis bibit ungulae liquo-

rem.“ — Nixum lyra Apollinem, qualem hic Propertius describat, saepissime in numismatis aliisque veterum operibus exhiberi, recte interpretes annotant. Iuvat conferre statuam eius dei Capitolinam (Mus. Capitol. T. III. tab. 13. ap. Müller. et Oesterl. II, 1. t. XI. n. 128.) itemque gemmae incisam imaginem Lippert. Dactyl. Scrin. I. n. 55. Müller. l. l. n. 129. Adde typo exsculptam figuram ap. Stuart. Antiqq. Athen. I. p. 25. l. l. T. XII. n. 130.; — alia signa Mus. Capitol. III. t. 15. Müller. l. l. T. XII. n. 131. Mus. Bourbon. X, 20. Müller. l. l. n. 136. His vero imaginibus plurimis vel citharam arboris trunco impositam vel deum ipsum in arborem reclinatum videmus. Unde fortasse v. 13. ex arbore proprie accipiendum coniicias, nec pugnare eam descriptionem, quae erat Marklandi sententia, cum v. 14. ad antra. Quid enim arborem illam proxime antrum sitam fingi vetuerit? Vulgo tamen Burmannum secuti ex arbore per συνεκδοχήν pro ex silva dictum interpretantur. Et habet ea explicatio, quo se commendet. Quamquam ad El. III, 22, 33. non debuisse eos provocare certum est. Vid. enim comm. ad e. l. Rectius contuleris IV, 4, 4.: Multaque nativis obstrepit arbor aquis.

v. 17. hic. Mala est Fruterii correctio hinc, quae per editiones vulgata in Iacobi quoque librum, ipso credo nolente, irrepsit. Sed hic recte in libris mss. „Non hoc fonte aut hac sede“, ait, „sed altero illo, quem Phoebus deinde v. 25. designat.“ Illud alterum igitur quamvis de sententia nihil mutaret, allegoriae tamen evidentiae detraheret. Et recte iam Lachm. restituit, quamvis quod huc affert I, 7, 9.: „Hic mihi conteritur vitae modus; haec mea fama est“ haud prorsus illud ad rem.

v. 18. Post rotis Iacob. maiore signo interpunxit, deleto altero, quod v. 20. post virum positum erat. Quo non modo compositionem sed sententiam male turbari censeo. Hoc enim Phoebum dicere apparet, non magnificis heroi carminis versibus, sed mollibus elegiis et in universum et apud puellas famam quaerendam esse Propertio. V. El. III, 2, 8. II, 34, 57. III, 3, 49. coll. I, 7, 21 sqq. De mollibus vero pratis, quibus mollitiem elegorum epicae poesis gravitati oppositam significat, v. Q. P. II, 6. s. IV. p. 176 sqq. Prata autem Μουσῶν λειμῶνα intelligo, de quo Aristoph. Ran. 1334.: ἵνα μὴ τὸν αὐτὸν Φρυνίχῳ λειμῶνα Μουσῶν ἱερὸν ὀφθείην δρέπων. Himer. Eclog. X, 13. p. 189.: — ὅσα Μουσῶν τε καὶ Ἀπόλλωνος λειμῶνες βρύουσιν. Add. Pindar. Pyth. VI, 1. Olymp. IX, 39. Platon. Io. T. IV. p. 187. Bip. quos locos mihi suppeditat Iacobs. ad Meleag. ep. I, 1.

Anu. Br. T. I. p. 1. Anim. Iacobs. T. VI. p. 1. Huc etiam pertinet Manilii locus ad El. III, 1, 17. citatus: Integra quaeramus rorantes prata per herbas. Ad alteram vero metaphorae partem a curribus repetitam maxime facit incerti poetae, quem tamen Callimachum fuisse ibidem suspicati sumus, dictum illud: τὰ μὴ πατέουσιν ἅμαξαι τὰ στείβειν — unde vulgo iam acceptam translationem Dion. Halic. II. p. 129. 49. expressit: πειράσομαι λέγειν — οὐδὲ κοινὰ οὐδὲ καθημαξευμένα τῶν προτέρων. Curru enim vehentem modo Musam modo poetam ipsum fingi eodem loco observavimus; eademque metaphora v. 21. redit, ne illic iam de navigante sermonem esse ex v. 22. coniicias. Poema enim vel equo pernici comparatur (El. II, 10, 1.), vel quadrigis vectorem rapientibus (III, 9, 57 sq.). Add. comm. ad v. 39. Sed optimam huius loci interpretationem, qua alia quoque carminis pars (v. 26 sqq.) illustratur, e Nemesiano repetas, haud inficeto poeta, nisi loquacitas nocuisset. Iuvat omnem locum exscribere, sed purgatam ulceribus, quibus librarii eius faciem dehonestaverunt, v. 5 sqq.:

Castaliusque mihi nova pocula fontis alumno
Ingerit et late campos metatur apertos
Imponitque iugo vatem retinetque corymbis
Implicitum ducitque per avia, qua sola nunquam
Trita rotis. Iuvat aurato procedere curru
Et parere deo: virides en ire per herbas
Imperat: intacto premimus vestigia musco
Obvia Calliope, facies insistere prato
Complacito, ruribus qua luceat orbita sulcis.

v. 7. scripserant iugum vati scilicet, ut iumentum Apollinis poetam facerent, cui ipse modo deus pocula Castalia propinaverat; post v. 11. autem Pithoeus alium intrusit huic argumento alienum: „Et quamvis cursus se ostendat tramite noto.“

v. 21. praescriptos evecta est pagina gyros. „Sic Lipsius et Scaliger ceteris nimis secure probantibus. Quis enim ita locutus est evehi gyros pro ex gyris, vel extra gyros? Potior est scriptura librorum: praescripto sevecta est p. gyro.“ Haec Lachm. rectissime. De novis enim vocabulorum formis a Prop. vel ad aliorum analogiam inventis vel apud illum certe primum obviis cf. Q. P. II, 6. s. III. p. 163. Ceterum huius versus metaphoram etiam ad antecedentia pertinere ipsa vox gyrus docet, in equestribus exercitiis propria. Cf. Interpp. ad Tac. Germ. 6. Ovid. Amorr. III, 384. Markland. ad Stat. Silv. p. 273. Aperta translatio Cic. Off. I, 26.: Homines secundis rebus effrenatos sibique praefidentes tamquam in gyrum rationis et doctrinae

duci oportere. Hinc aestimanda Cic. de Orat. III, 19.: Ex ingenti quodam oratorem immensoque campo in exiguum sane gyrum compellitis. Ovid. Rem. Am. 398.: gyro curre, poeta, tuo. Stat. Silv. IV, 7, 1.: ingens opus in minores (Erato) contrahe gyros. Ceterum, quod paginam, non ipsum poetam, gyro sevectam esse ait, cf. comm. ad II, 34, 87.

v. 22. Navigationi poeticam comparare antiquum est. Ex nostro huc pertinet III, 9, 3. 35. Ab Ovidio deinde usque ad taedium tritum simile. Vestigia prima ni fallor apud Pindarum sunt Olymp. XIII, 49. (68.): ἐγὼ δὲ ἴδιος ἐν κοινῷ σταλείς. Pyth. IV, 5.: Μοῖσα, Λατοίδαισιν ὀφειλόμενον Πυθῶνί τ' αὔξῃς οὖρον ὕμνων. Add. Pyth. II, 62. Nem. VI, 29.

v. 27. De antris, gratis Musarum et Nympharum domiciliis omnia nota sunt. Cf. Interpp. ad Hor. Od. III, 4, 37. Stat. Silv. II, 253. IV, 6, 31. Martial. XII, 11. Ovid. Met. III, 157. VIII, 561. X, 692. Fast. II, 315. Hic tamen affixi lapilli indicare videntur, poetae eiusmodi antra Musarum ob oculos versata esse, qualia in domibus divitum fixis arte pumicibus naturam imitantia extrui solebant. Illa certe sunt III, 2, 12. operosa antra, de quibus Plin. N. H. XXXVI, 42.: „Appellantur quidem ita (pumices) et erosa saxa in aedificiis, quae Musea vocant, dependentia ad imaginem specus arte reddendam.“ Unde postea emblematis tesselatis nomen musivum opus haesisse, veri non dissimile est. Huius sine dubio generis imitatio erat illud „museum ex margaritis, in cuius fastigio horologium erat,“ quod Plinio teste (N. H. XXXVII, 6.) in triumpho Pompeii cum aliis pretiosis ornamentis circumferebatur.

v. 29. Ergo. Lachm. praeter necessitatem hic addit. Nec tamen ergo pro deinde positum censemus, sed id quod proprie significat revera; perinde igitur est ac si dicat: Conieceram Musas tibi futuras: en vero ipsas. Eadem penitus significatio Horat. Sat. II, 6, 70. Hinc demum altera nata, qua idem quod igitur sonat. Et tamen est, in quo sic quoque haeream. Nam et Musarum imagines hic, ubi mox ipsae Musae comparent, fuisse et singularem imago, cum nisi Latinitas, tamen Propertii certe proprietas dicendi pluralem paene flagitet, non iniuria aliquis miretur. Quapropter verum nunc puto, quod Eldykius coniecit, etiam Santenio in litteris mss. probatum: Organa Musarum. Tum deleto post pumicibus interpunctionis signo omnia enumerata videbis musicae instrumenta, ex antro suspensa simul cum Sileni imagine, quam personam puta vel oscillum, quale taeniis ornatum inter varium apparatum musicum vel bacchicum passim in mo-

numentis antiquis conspicimus. Cf. Mus. P. Cl. T. V. tab. 18. Müller. Archaeol. p. 510. n. 4. Pausan. I, 2, 7. Athen. XII. p. 533. C. De cultu autem Musarum et Bacchi coniuncto nota sunt omnia. Cf. tamen ad El. II, 30, 38. IV, 1, 61. IV, 6, 76. III, 2, 7. Keil. (p. 31.) longius codd. vestigiis relictis nec causis additis, unde tam vulgare vocabulum a librariis temere mutatum esse demonstraret: Circum pro Ergo scribendum coniecit.

v. 31. mea turba. Lachm. maluit sua turba. Quod post gen. Veneris vehementer langueret. Meus est a me amatus, mihi carus. Exemplis lexica abundant.

v. 33. Diversaeque novem. Burmannus ex uno Colotiano, nullius pretii libro: Et diversa novem. Absurdum autem quod ad eam scripturam confert Virg. Aen. V, 166.: Quo diversus abis? et VII, 150.: fines et litora gentis Diversi explorant. Hi enim loci prorsus contrarium, optimumque esse quod libri integri tuentur, declarant. Adde Georg. IV, 432.: Sternunt se somno diversae in littore phocae. Diversa rura optime illustres ex locis ad v. 18. collatis. Neque enim modo pratis poesis comparatur, ubi sponte flores (i. e. carmina) veniant, sed agris, quos coli oportet. Ad hanc potissimum metaphoram pertinet Pindar. Pyth. VI, 1.: Ἑλικώπιδος Ἀφροδίτας ἄρουραν ἣ Χαρίτων ἀναπολίζομεν. Nem. VI, 32. (55.): Πιερίδων ἀρόταις δυνατοὶ παρέχειν πολὺν ὕμνον. X, 27. (49.): Μοίσαισί τ' ἔδωκ' ἀρόσαι. Add. Dissen. ad Olymp. IX, 26. qui conferri iubet Monk. et Valckenar. ad Eurip. Hippol. 72. Dona igitur v. 34. sunt flores varii, coronaeque inde sertae, inter quas quod v. 35. etiam ipsa carmina aptare fidibus dicitur, non accusabis allegoriae varietatem, qua proprium translato de industria miscere poetae solent. Illam vero locutionem nihil significare quam carminis vocem citharae sonis accommodare certum est, ne Burmanno credas, qui coll. Nemes. 90. fidibus ablativum esse censet. Nam plane ad nostrum exemplum Horat. Epist. I, 3, 12.: fidibusne Latinis Thebanos aptare modos studet. —

v. 37. dearum. Meliores libri omnes; et retinui, quamvis non inelegans hic Heinsiani inventum, sororum.

v. 38. Calliopea. Cf. ad El. III, 2, 14.

v. 39. De curribus poetarum diximus ad v. 6. Recte autem cycnis vectum ideo fingi interpretes perspexerunt, quod ea avi Venus quoque in curribus utatur, coll. Stat. Silv. I, 2, 42. Horat. Od. IV, 1, 10. III, 28, 15. Neque aliter Amor, cuius oloribus vecti imago extat in picturis Herculanens. T. IV.

p. 40. Barré. Dubito autem an Ovidio noster locus obversatus sit Amm. III, 809.: Lusus habet finem: cycnis descendere tempus, Duxerunt collo qui iuga nostra suo.

v. 41. 42. Optime de his versibus restituendis meruit Lachm., qui et Nil et praeconia ex optimis libris reddidit et egregiam Iani Douzae coniecturam Flare in ordinem recepit. Falso tamen primum ad illam φράσιν, Nil tibi sit, pro quo Fruter. Nec tibi sit, Passerat. all. Ni tibi sit reposuerunt, comparatis IV, I, 142.: „Nil erit hoc" atque adeo II, 13, 8.: Tunc ego sim Inachio notior arte Lino. Immo ad sententiam idem est, quod El. I, 20, 13.: Ne tibi sit — adire, vel Tibull. IV, 3, 3.: Nec tibi sit duros acuisse et pectora dentes. Virg. Ecl. X, 46.: Nec sit mihi credere. Tibull. I, 7, 24.: Tunc mihi non oculis sit timuisse meis. — Eadem verbi substantivi vis est III, 14, 30.: Nec digitum est — inseruisse. Alia invenies apud Ruddim. II. p. 227. ed. Lips. Idem igitur fere significat quod posse aut debere, at, cum negatio accesserit, optativo modo, ut nostrum „*moegen*", mox optantis est, mox vetantis. In hoc tamen minime haerere debebant critici, quod nihil hic adverbii ratione pro simplici non vel ne positum est, usu perquam vulgato. Nam flere, quod non tentandum erat El. I, 10, 10., hic ubi de fortissimo carminum genere cornuum sonitui comparato agitur, ferri nequaquam potest. Ne de immani fletu dicam, qui cornu edatur. Contra flare aptissimum, quod iam Burm. coll. Virg. Georg. II, 539. Tibull. II, 6, 10. tuitus erat, extra omnem dubitationis aleam ponit Martialis locus a Lachm. citatus XIII, 3.: At quam victuras poteramus pangere chartas, Quantaque Pieria praelia flare tuba. Pulcherrima autem sic efficitur figura, quam iam inde a v. 40. orsam toties in Propertio admirati sumus, ad evidentiam pariter et ad brevitatem dicendi efficax. Ipse enim poeta interesse rebus, quas canit, atque adeo efficere eas fingitur (vid. Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 157. ad II, 1, 5—10. II, 34, 63.); ipse ad arma vocatur (40.) et quamvis iam (v. 41.) celebrare potius classica bella dicatur, non tamen tibiis vel cithara ludit, sed ipse cornicen adest et fera murmura clangori bellico miscet (haec enim „praeconia" sunt; praetoria a Beroaldo est). Vides igitur hic quoque orationem figuratam cum propria egregie alternantem, ne inventione lasciviente simplex sententiarum perspicuitas laboret, et intellectus perdatur. Qua de arte cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 27. p. 147. Huc vel insolentior verborum structura facit, qua ex verbo flare, vel adeo cingere, percontationem illam v. 43.: „Aut quibus in cam-

pis proelia — stent" nectere — videtur. Revera enim, cum propria illorum versuum sententia haec sit: Noli res bellicas describere — hanc potius quam verba spectans *κατὰ σύνεσιν* enuntiatum addit, quod in oratione pedestri nisi ex verbis declarandi pendere non possit. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 156. coll. ibid. §. 15. p. 130. Plura dabimus ad IV, 5, 35. Alia vero huius loci virtus haec est, quod cum metonymia illa metaphoram arte pertextam videmus. Cingere enim — Marte nemus Aonium sive Musarum dicit, i. e. arma et bellum ipsum in poesin inferre huiusque mollitiem strepitu dissono perdere. Atque translatio illa, sive malis, allegoria per se quidem facilis; cf. quae de Musarum nemore diximus ad El. III, 1, 2. Duplicis vero figurae elegantiam illam vix dixerim cui alterius poetae loco conferam, nisi is est Meleag. ap. Brunck. 2. Anthol. P. p. 607.:

Πάγκαρπόν σοι Κύπρι, καθήρμοσε χειρὶ τρυγήσας
παίδων ἄνθος, Ἔρως, ψυχαπάτης στέφανον.

Florem enim puerorum messuisse, unde coronam necteret, is dicitur, qui florentes pueros cecinerat. Ceterum cingere hic, quod nos dedimus, an tingere legendum sit, non codicum auctoritate, quae in tam ambiguis litteris nulla est, sed sola interpretatione disceptatur. Ego vero „tingere Marte" — quod esset „cruore implere nemus" in re tam atroci nimis tenue vocabulum crediderim, cum tingere gladium vel vestem sanguine recte dicatur: campum vel adeo nemus putide. Haec enim fluunt potius, quam tinguntur.

v. 43. 44. Proelia — stent quid sit, vid. ad El. III, 5, 2.

v. 45. Suevo egregium est Italorum inventum, quod primus Beroaldus in ordine exhibuit, commemoratum tamen iam a Puccio. Certi populi nomen desiderari, nisi eximie languidus sit hic versus futurus contra tam fortia argumenta, qualia antecedentibus continentur, manifestum est.

v. 48. Nocturnae — ebria signa fugae. „Amatorum a rivalibus vel maritis fugatorum." *Kuin.* pessime. Aperte enim poeta ludit in verbis ambiguis: coronati, signa, fuga ferire, excantare, et est suavissima facinorum bellicorum *παρῳδία*, qualia II, 1, 28. describuntur: Siculae classica bella fugae. Igitur ebria signa (de enallage adiect. cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 24. p. 144.) nocturnae fugae sunt spolia ab ebrio amatore nocturnis rixis de puellis recepta, „aut pignus ereptum lacertis aut digito male pertinaci." Tales exuvias Veneri dedicatas vides apud Hedyl. Anth. Pal. p. 117. Ann. Br. T. I. p. 483.: *παρθενίων*

ὑγρὰ λάφυρα πόθων, σάνδαλα, καὶ μαλακαὶ μαστῶν ἐκδύματα μίτραι, ὕπνου καὶ ἀκυλμῶν τῶν τότε μαρτύρια. Rursus autem coronae et carmina postibus affixa tropaea sunt amicae. Cf. El. I, 16, 7 sqq. Fuga autem aut de vera fuga puellae proelia amatoria recusantis accipiendum, aut de tumultu talibus pugnis non alieno. Cf. El. IV, 8, 55—66. et ad II, 7, 15. Unde simul epigramma Asclepiadis (Anth. Pal. V, 202. p. 117. T. I, p. 142. Iac.) illustratur, ubi v. 4. cum verba πώλων ἄρτι φρυασσομένων apertam παρῳδίαν versus Callimachei Lavacr. Pall. 2. contineat, ἑσπερινοὶ πῶλοι, vespertini equi, quin ad improbas istas coitus figuras referendi sint, dubitari non potest.

v. 49. excantare. De praestigiis veneficorum Broukh. duce interpretantur, quibus fruges ex agris alienis eliciuntur, ego vero eo, quo metaphorae ratio ducebat, secutus de sacro illo carmine, quo dii ex urbibus hostium evocari credebantur. Qua de re vid. Seren. Sammonicum ap. Macrob. Saturn. III, 9. Verr. Flacc. ap. Plin. XXVIII, 2. Liv. V, 21. Serv. ad Virg. Aen. II, 351.

v. 52. Philetaeam aquam, fontem ex quo Philetas hauserit, esse significavimus ad El. III, 1, 3. Quod nisi huius carminis v. 6. certissimo argumento confirmetur, dubitare possis an Philetaea aqua alia translatione ipsa carmina Philetae intelligenda sint. Sic certe Ὁμηρικὸν ῥεῦμα (epigr. ἀδεσπ. DXIX. Ann. Br. T. III. p. 260. Anth. Gr. T. IV. p. 227.) in carmina sua derivasse Stesichorus dicitur. Sic simillimum foret nostro Ovid. Amorr. III, 9, 25.: Adiice Maeonidem, a quo ceu fonte perenni Vatum Pieriis ora rigantur aquis. Cf. tamen ad El. IV, 1, 59. Ceterum Philetaeus veram attributi formam esse, non, quod adhuc in Burmanni editione habetur, Philetus, nunc nemo nescit. Vid. tamen Bach. Philetae Coi rell. p. 1. n. 1. Idem valet in adi. Tegeaee v. 30. quod verbum variis modis corruptum libri exhibent.

Elegia IV.

Annum ab U. c. 732. hanc elegiam sibi poscere demonstravimus Q. P. I, 4. p. 13.

v. 1. De divino Augusti numine diximus in libello de diis Patr. I. c. 20. p. 47 sqq.

v. 3. Vulgo: Magna viri merces. Quod cum absurdum esset, Caesarem modo deum dictum, iam virum appellari, Heins. viae coni. quod a Broukh. Burm. all. receptum est. Sed optime Lachm. interpunctione subvenit coll. v. 7. 8.

v. 4. sub tua iura fluent. Interpretor: Sub tuam

ditionem venient. Nam iura tua fines dicuntur, quaqua valent iura tua. Cf. ad El. IV, 11, 3. Recte autem provinciae et populi venire (v. 5.), flumina fluere sub iura dicuntur. Neque igitur propter v. 3. Lachm. sub sua iura Broukh. obsecutus reponere debebat, quam debitam ditionem ipse interpretatur, ego quid rei sit non intelligo. De personis enim ἀποστροφῇ subito mutatis a Propert. cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 5. p. 115.

v. 5. Sera, sed Ausoniis veniet. Nicol. Heins. docte quidem et eleganter: Seres et A. venient, quod certatim exinde critici arripuerunt, Lachm. primus repudiavit. Recte; sive enim (ut v. 16.) interruptum esse verborum ambitum, et provincia cum terra artius iungendum, sive ad proxima referri eam vocem verbumque veniet notissimo attractionis genere (de quo vid. Q. P. II, 6. p. 139. §. 19.) praedicatum sequi censes, salva res erit et oratio Latina.

v. 7. Olim cum plurimis interpretum alloqui Propertium proras, ut v. insequenti equos armigeros credebam. Nec certe inauditam in nostro tantam sermocinationis varietatem aut illam προσωποποιίαν Q. P. I. l. §§. 4. 5. decimus. Ad ne id quidem absonum, quod ipsae prorae vela dare iubentur. Multa enim id genus eaque etiam insolentiora collegimus l. l. §. 28. p. 153. s. f. et p. 154. Adde ad El. IV, 8, 76.

Munus v. 8. tam interpretandae erant exuviae curribus et equis impositae. Iam vero rectius coire omnia intelligo, si imperativi hi atque v. 9. et 10. positi ad commune subiectum referantur. Nam non modo simplicior sic erit oratio, sed etiam scrupulus ille, in quo iure haereas, removebitur, quod hic ante inceptum bellum equi triumphum ducere iubeantur, praesertim cum et antecedentibus et insequentibus versibus adhuc in expeditionis apparatu et in ominibus poeta versetur. Postea demum quam suae gloriae cladisque piandae ut meminerint milites adhortatus est (10.), precibus ad deos fusis (11. 12.) eventum faustum optat potius, quam animo occupat. Iam vero, cum qui sit armiger equus quem munere ducere militaturi iubeantur, iure quaeras: Broukh. de equo phaleris variisque insignibus ornato interpretatus est, qui offerri imperatori in bellum profecturo solitus esset, teste imprimis usus Lips. ad Tacit. Annal. XV, 7. (de Milit. Rom. III, 7. cui assentiuntur Harduin. ad Plin. T. II, 48. Heins. ad Valer. Flacc. III, 13.) At ille ceteris quidem locis nihil aliud, quam duces Romanos equis magnificentius exornatis, interdum etiam insignia eorum honorum gestantibus, usos esse demonstravit, Dionysii vero Hal.

l. X, 24. hoc amplius, legatos Quintium Cincinnatum ab aratro ad dictaturam vocantes equos phaleratos cum reliquo apparatu adduxisse. Sed nec creato iamdudum magistratui, qualis haud dubie Augustus erat, et in bellum profecturo eum honorem publice tributum esse, inde sequitur, nec cur inter alios equos bellatores hic praecipue armiger diceretur, Broukh. declaravit. Quare gratias ille fortasse nobis haberet, si locum ei a prioribus VV. DD. neglectum nobis liceret indicare Liv. XXIII, 14. ubi populi suffragiis M. Iunio Pennae dictatori equum escendendi ius permittitur. Sed eam sine dubio formulam solemnem fuisse, qua lege curiata imperium dictatori tribueretur, docti eius loci commentatores evicisse videntur. Nec ea formula in alio magistratu locum habere poterat quam in dictatore, cui soli, nisi in bellum ituro, equo vehi non liceret. Cf. Plutarch. Fab. p. 175. Zonar. VII, 13. Utut est, de equo imperatoris hic agi, nullus eorum locorum evincit. Itaque variis coniecturis hunc versum adorti sunt, tamen, ut nobis videtur diva Critica invita. Nam Burmann. patruus pro ducite — discite repositum ne suo quidem nepoti probare potuit; quis enim solitum munus disci ab equis ferret? Nec tamen ipse hic felicius: „sumite munus" tentabat. Iacobsius adeo, cui alias semper Veneres arridere solent omnes, cludite proposuit, scilicet ut equi iam extremum belli laborem adiisse viderentur. At verum, ut saepe fit, in medio positum hic quoque longius evagantes fugit. An nemo VV. DD. reputavit, certo, neque hercle parvo (Dion. Hal. VI, 13. p. 351.) numero equitum Romanorum, qui stipendia facerent, equi pretium e publico solutum esse, eumque equum publicum optimo iure munus reipubl. a Prop. dici posse. Qua de re alias uberius exposituri, hic solum hoc monemus, ne quis illud Servii institutum (Liv. I, 43, 9.), quod libera republica semper obtinuisse coll. Liv. V, 7, 13. Polyb. VI, 59. 12. 13. Cic. de Rep. II, 2. Dion. Halic. VI, 13. p. 351. Liv. IX, 46. XXIV, 18, 14. XXIX, 37. XXXIX, 44. Nieb. H. R. I. p. 452 sqq. Valer. Max. II, 2, 9. certum est, Augusto iam principe exoluisse credat. Nam aetate etiam multo inferiore, donec ordo equester Romae manebat, equo publico transvectos Censorem et in pompa Id. Quintil. equites cum aliunde (Sueton. Aug. 38. Pers. Sat. III, 29.), tum ex Inscr. Grut. 1026, 4. Orell. C. I. n. 3052. DIIS MANIBUS SEX. GAVI. SEX. F. VIX. ANN. XVI. EQUO PUBLICO TRANSVECTUS EST. constat. Unde in equestrem ordinem ob bene merita ascitos — equo publico ornatos vel honoratos dici in lapidibus inscriptis usque ad extrema tempora inveni-

mus. Cf. Orell. I. n. 804. 313. 1229. 3457. 2676. — Munus equi autem pro equo muneri dato prorsus Propertianum est (Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 149.), ne forte in eo haereas, quod munus ducere parum Latinum videatur. Fortasse tamen magis etiam proprie verbum illud ducere positum esse apparebit, si quando sorte ductum equum publicum demonstraverimus. — Omnes igitur Propertius hic alloquitur, quibuscunque equum publicum in bellum ducere licebat.

v. 9. clademque. Itali cladesque. Sed illud rectius; unam enim cladem apud Carras intelligi certum est. Nec talia augendi hic locus erat. Haesit tamen alterum inde a Regiensi in omnibus edd., donec Lachm. expulit. Ceterum figura illa, quam ἓν διὰ δυοῖν vulgo appellant, quamvis satis familiarem et aliis poetis et Virgilio, rarissimam tamen in Propertio esse Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 150. demonstravimus.

v. 11. sacrae — Vestae. Recte et docte; quamvis sacros deos dici ad El. III, 1, 1. negaverimus. Atqui Vesta eadem est, quae fatalia lumina. „Nec tu aliud Vestam quam vivam intellige flammam“ Ovid. Fast. VI, 291. Dion. Halic. II, 11.

v. 13. oneratos — axes omnes codd. Ante Lachm. tamen onerato axe Mureto obsecuti vulgo reposuerant. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 13. p. 125.

v. 15—18. spectare — Incipiam — legam, Tela — et — sedere. De verborum structura audaciori cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 10. p. 123. Add. Lachm. ad h. l., qui ex nostris poetis versiculos aliquos in comparationem hyperbati adhibet. Magis vero mirum, quod ne Tullius quidem proprietatis Latinae vindex talia admittere veritus est, ut de Legg. I, 1. init.: Lucus quidem ille, et haec Arpinatium quercus, saepe a me lectus in Mario. Cf. Nat. D. I, 29. Ep. ad Fam. X, 24, 1. de Orat. VII, 11. Rath. Elocutionis Rom. Praeceptt. p. 56 sqq. Non intellexit eum usum Keil. (p. 39.), qui cum non hyperbati hoc esse genus, sed „interruptionis“ (illud dicere voluit: interiectionis, παρενθέσεως) crederet, plurimis quae ad rem non pertinerent exemplis congestis, tandem sic transponi verba iussit: Qua vid. — Ad vulg. — Tela fug. — Et subt. — Inque sin. — Incipiam. Elegans illa quidem per se transpositio: sed tamen vereor, ne dum id potissimum agamus, ut quam facillimus lectu poeta fiat, ideoque quae vulgari dicendi usui officiant, corrigendo laevigemus: nobilem quodammodo aeruginem atteramus, multumque de grata illa elegantia demamus, quam in magnis vi-

ris non solum tolerare sed tamquam impressum divinitus ingenii sigillum admirari solemus.

v. 18. Dubitare possis, an veros intelligas sub armis in plaustris triumphalibus sedentes, an tropaeorum imagines victoriae loco positorum. Utriusque enim usus exempla invenies ap. Viscont. Mus. P. Cl. V. tab. 31. Alterum tamen hoc suadet Ovid. ex Pont. III, 4, 104.: Stentque super vinctos trunca tropaea viros. Ceterum de hyperbato v. Q. P. p. 122.

v. 22. Me. Broukh. ex quibusdam non bonae notae codd. Mi. „Optime, nisi in libris melioribus esset alia lectio non minus bona: Me.“ *Lachm.*

Elegia V.

Eodem fere hanc, quam superiorem proximam elegiam, anno 732. ab U. c. scriptam esse docuimus Q. P. I, 4. p. 15.

v. 2. Stant. Burm. patr. ad Valer. Fl. II, 84. Stephan. in Thesaur. explicabant: „non exercentur, quiescunt.“ Quod si verum esset, recte cum Burmanno Sec. posses comparare El. III, 10, 5.: „stent aere venti.“ Ridicule autem idem confert ibid. v. 18.: „Inque meum semper stent tua regna caput.“ Contraria enim prorsus haec est sententia, qua manere significat. Eadem vero nostro loco proxima. Stare enim pugna dicitur, quum ab utraque parte aequo Marte decertatur. Hoc aperte declarat noster El. III, 3, 43.: Aut quibus in campis Mariano proelia signo stent; apteque ad eum usum Lachm. comparat Sil. IV, 276.: medio stetit aequore pugna, et Graecum ἔριν, μῆνιν, πόλεμον στῆσαι. Sophocl. Oed. R. 699. Thuc. I, 23. Nec tamen ideo corruptum locum aut veram Heinsii coniecturam Sat mihi credere licebat, quoniam scilicet hic versus cum primo esset pugnaturus. Aliud enim est pugnam veram committere, aliud amatorios lusus cum proeliis et bellis comparare. Itaque cum Pacis deum Amorem Propertius dixisset, recte tamen addere poterat, se quippe cultorem eius dei leviore illa et utut dura, innocenti tamen belli imagine in castris puellae contentum esse, recteque pergit: „Nec tamen inviso pectus mihi carpitur auro.“ Haec enim, quae vera belli mala sint, a se procul habere se ait. Hanc sententiam efficies, si in verbis: cum domina summam orationis vim positam esse voce significes. Eadem autem plane oppositio in epigr. Antimachi (Ann. Br. I. p. 167. Anthol. Pal. p. 410. quod inter Callimachea relatum a Ruhnken. ap. Blomf. n. LXXI.) est, non prorsus recte a Blomfieldio accepta:

Τίπτε μόθων ἄτλητος Ἐνυαλίοιο λέλογχας
Κύπρι; τίς ὁ ψεύστας στυγνὰ καθᾶψε μάταν;
Ἔντεά σοι γὰρ ἔρωτες ἐφίμεροι, αἴτε κατ' εὐνὰν
Τέρψεις καὶ κροτάλων θηλυμανεῖς ὄτοβοι.

Vides enim in comparatione atque metaphora res amatorias arma dici, sed re vera bellum et amores tamquam longe diversa atque ita contraria sibi opponi, ut quidquam Veneri cum Marte negotium esse poeta neget. Similem causam loco a prioribus interpretibus paene desperato vid. El. II, 7, 15. Apud Lachmannum autem varam, ut aiunt, vibia secuta est. Nam cum semel versu 2. parum intellecto: sat est scripsisset, etiam v. 3. pro tamen — tantum reponendum esse videbatur, ac deinde transiectis pentametris 4. et 6. aratur (v. 5.) et bibit (v. 6.) in aretur et bibat corrigendum. At integra omnia atque optime cohaerentia, modo sic reputantem secum poetam facias: Cum bellis nihil rei mihi est; nam avaritiam procul habeo; nec divitias cupio (v. 3. 4.) nec vero etiam possideo (v. 5. 6.). Vana enim mihi ista videntur atque inania (7—10.), quae periculis et exitio quaeruntur (11. 12.), nec tamen, cum obtinueris, perennia sunt (13—17.). Itaque ego et seram mortem (18.) et quietam vitam pacis studiis deditam esse mihi volo (19—47.), arma et gloriam aliis relinquo (48.). — De audaci metonymia bibit — nostra sitis vid. Q. P. II, 6. p. 149. s. fin. Mira vero discrepantia, quae aliquos codd. obtinet, ire — classe, unde venerit, N. optime docet; quo simul, quod de eius cod. cum D. et Hb. cognatione diximus Q. P. III, 5. p. 236. egregie confirmatur. Errorem autem librarii ea ipsa cognatione manifestum quis cum Burm. patr. tamquam ingenuum foetum Prop. supponere velit? Nisi is est Kuinoel., cui ideo praeplacet, quoniam miser „vocabulum proprium sit de iis, qui mare sint adituri." — Nec vero nos Iacobo, qui miserum de quavis animi perturbatione dici annotat, plane assentimur, sed de iis tamen, qui propter vivendum, ut ait ille, vivendi perdere causas solent. Unde divitiae, ambitio, ante omnia vero, de qua iam Passeratius dixit, avaritia — misera dicitur. Adde enim locis ab illo collatis Heindf. ad Hor. Sat. I, 4, 26. Terent. Adelph. IV, 1, 6. Eun. III, 1, 22. Adelph. IV, 5, 64. Andr. III, 2, 40. ibique comm. Bentl.

v. 7. Allegoria notissima; nescio tamen, an ab Alexandrinis primum ad Hesiodi narrationem expressa et in usum communem divulgata. Callim. frgm. CXXXIII. Bentl.: *Εἴ σε Προμηθεὺς ἔπλασε καὶ πηλοῦ μὴ ἐξ ἑτέρου γέγονας.*

v. 8. 9. cauti. caute N. et D. alii ap. Burm. cautum Hb. Utrumque non male; et tamen antiqua probo. Cau-

tus enim non modo est qui sibi cavet, sed cui alter cavet. Hor. Ep. II, 1, 105.: Cautos nominibus certis expendere nummos, ubi vid. Schol. et comm. Schmid. Neque enim hoc ait Prop., homines inconsideratos finxisse Prometheum, sed pectori, dum finxisset, parum cavisse: hinc perversas cupidines et curvas animi vias natas esse. Prolepsis igitur illius genus, de qua diximus ad El. II, 1, 2. Deinde v. 9. Passeratius cum Gebhardo in arce maluit, quod miro modo in capite interpretatur. At quid sit in arte, ad El. II, 3, 42. docuimus. Recta animi via denique quae sit, nemo explicuit. Mutuatus autem est metaphoram a Stoicorum disciplina, qui diversas agendi rationes cum linea curva vel recta comparaverunt. Pers. Sat. IV, 11.: rectum discernis, ubi inter Curva subit, vel cum fallit pede regula varo. Horat. Epist. II, 2, 44.: Scilicet ut possem curvo dignoscere rectum. Cf. Schmid. ad eum locum, qui citat Sat. II, 6, 75. II, 3, 301. 7, 26. I, 1, 107. Rhetor. ad Herenn. III, 2. Tanto autem facilius illud simile cessit, quanto magis in vulgus accepta erat vocis via significatio, qua idem quod ratio vel modus agendi sonaret. Exemplis lexica abundant. Iam igitur Persii potissimum loco comparato in hunc quoque versum allegoriam superiorem productam sentias. Hoc enim poeta voluit: Prometheus a quo genera omnia et ingenia diversa hominum sunt nata quamvis corpora bene disposuerit, in animis fingendis, accurata regula, ad quam semel exacti rectam protinus vitae viam tenerent, uti oblitus est. Nunc (v. 11. 12.), cum animi via perversa sit, quid per varia nos itinera et pericula semper iactari mirum est?

v. 14. Scripsimus quod sententia et usus dictabat. Nam librorum scripturam: ad infernas — rates, duplici, quam Prop. IV, 7, 55 sqq. finxit rate Acherontica explicare Lachm. frustra conatus est. Rectius fortasse El. II, 28, 40. contuleris, ubi v. comm. Nam animam antequam ad rates pervenerit, vectam esse, quo iure dixeris? Et tamen iam v. 13. ad undas pervenisse eam videmus. Contra si veram nobiscum censeas Schraderi coni. at, facile unde librorum error venerit perspicias. Hi enim at praepositionem rati, quoniam olim pariter atque coniunctio per *t* finale scribebatur, accusativum necessario sibi reponendum esse opinabantur. Quod vero ad significationem particulae eius pro sed post negationem positae attinet, rarior utique illa in Propertio, nec tamen sine exemplo. Cf. El. I, 6, 22.: Nam tua non aetas unquam cessavit amori, Semper at armatae cura fuit patriae.

v. 15. Victor cum victis — miscebitur umbris.

Scripsi quod non modo optimorum librorum consensus, sed ipsa Latinitas contra unius G. illud miscebimur defendit. Quod qui praetulerunt (i. e. usque ad Iacobum fere omnes), demonstrare debebant, quomodo victor non victores, sed nos victores significare posset. An Propertius se solum vicisse Indos gloriatur? Hoc vero ipsum Indis, elegans sane Iani Guilielmi commentum si omnes libri aut certe optimi commendarent, fortasse quibus argumentis tuereris quaereres: nunc cum hexametrum versu breviori explicari appareat, Iugurtham Indum dicere immane fuerit.

v. 18. acta, quod omnis Neap. secta tuetur, quam vera sit lex de illis codd. sequendis a nobis scripta (Q. P. III, 5. p. 236.), docet. Recte enim Lachm. adhibet III, 7, 30.: Ista per humanas mors venit acta manus. At nollem eundem pro parca die suum inventum Parcae die in ordinem recepisse. Nam Parcae diem fatalem mortis diem pariter dici, sive natura venerit, sive vi properatus, constat. Atque eo ipso quem Lachm. affert Virgilii loco Aen. XII, 149 sq.:

Nunc iuvenem imparibus video concurrere fatis,
Parcarumque dies et vis inimica propinquat —

de Turno Iuno loquitur, qui nec morbo nec senio confectus, sed ense cecidit. Hic vero apud Propertium plane contrarium eius mortis genus significari, eamque huius ipsius versus summam esse, qua antecedentibus opponatur, in proclivi est. Recte igitur libri omnes: parca die. Dies enim fem. gen. tempus est. Hoc igitur ait, mortem ut tardissime venerit, utque maxime hominum vitae et diutissime pepercerit, ita optimam esse. Quo nomine eas mortes, quibus homo ipse „naturae vias", ut ait El. III, 7, 32, auxerit, excipi sponte apparet. Parcere autem vitae cum Latine recte dicatur (cf. Cic. N. D. III, 15. Nep. XXL De Regg. 2, 2.), et rursus in significatione contraria adiectiva prodigus et largus vitae vel animae satis vulgata sint (cf. Sil. Ital. I, 225.: Prodiga gens animae et properare facillima mortem, ibique Drakenb. Hor. Od. I, 12, 38. Ovid. Amorr. III, 6, 64. Stat. Thebaid. III, 69, 602. Claud. in Rufin. II, 183. Prudent. περὶ στεφ. II, 17.), quid Propertium parcus simili ratione ponere vetuerit?

v. 19. De allegoria cf. ad El. III, 2, 14.

v. 25 sqq. De modorum permutatione diximus Q. P. II, 6. §. 7. p. 118. Neque igitur v. 31. et 39. sit vel sint, quod cod. optimus quisque tuebatur, tangere ausi sumus. v. deinde 27. exoriens, quem quidam solem esse voluerunt, nemo nunc ad lunam (v. 38.) referre dubitabit, aut v. 29. superant, quod contra usum Latinum cum dativo vel abla-

tivo coniunctum dominari vulgo interpretabantur, aliud quam abundant vel affatim adsunt esse coll. Virg. Ge. I, 189. II, 331. III, 63. Tib. IV, 1, 28. negabit. Ad eundem versum comparant Virg. Ge. I, 462.: quid cogitet humidus Auster. Addere debebant Pers. VI, 12.: quid praeparet Auster infelix pecori. Perrhaebum deinde Pindum falso Thessalicum interpretati sunt, cum a parte Epirotica Perrhaebi Metanastae eum montem incolerent. Strabo IX, 5.: Ἡ δὲ Πίνδος — πρὸς ἑσπέραν Περραίβους Μετανάστας ἀνθρώπους ἔχουσα. Adde Plin. N. H. IV, 1. Patriae eorum sedes in Aetolia sunt. Cf. Steph. Byzant. v. Αἰνία. Herod. VII, 185. p. 445. Diod. Sic. XIX. p. 681. Plin. N. H. IV, 3. De v. 34. veraque eius interpretatione cf. ad El. II, 15, 32.

v. 35. serus versare quid sit et quo iure dicatur, disposuimus Q. P. II, 6. p. 157.

v. 36. spisso igne, pro quo magis animi causa, quam quod ipse necessarium crederet, Heinsius spisso imbre coniecit, receptum exinde et usque ad Lachm. ed. Lips. per libros vulgatum — recte illustratur a Manilio I, 753. Germanico Phaenom. v. 256.

Elegia VI.

De dispositione vid. Q. P. II, 5. p. 87.

v. 3. Num ex Italorum libris recte restituit Passerat. Vestigia etiam Neap. servat, ambiguo utriusque vocis compendio. Cf. var. lect. ad El. III, 5, 42. 43.

v. 5. sine vano nuntius esse. Pro his verbis librarii quidam Itali excogitaverunt: sine vanis esse relator, obscura tantae discrepantiae origine. Hinc primum in Reg. expressum varias deinceps editiones occupavit. metu autem, quod ne Lachm. quidem expulit, inventum Mureti est. At ille totum distichum spurium credidit. Iniuria. Primum enim, quod omnes nuntios vera referre non oportere ait: non sensit omnis hyperbati genere poetis Romanis perquam vulgato non ad nuntius referendum, sed ad subiectum utriusque enuntiati commune: servus. Rarior hic utique in Propertio usus, nec tamen sine exemplis. Cf. ad El. III, 5, 27. ad El. IV, 7, 55. Q. P. II, 6. s. IV. p. 173. At nec Propertium a Cynthiae servo, ut sibi fidus esset, postulare potuisse, nec Lygdamo quicquam metuendum fuisse, si, quid ageret Cynthia, narraret. Mirum sane argumentum, quasi non plane contraria Propertius conditione servo poenam minaretur, si falsum narrasset; si non, quod Cynthia ageret, vere exposuisset. Tum vero utique, si in gratiam domina cum poeta

rediisset, illi magnum malum metuendum erat. Neque igitur Iacob., qui alias quoque recta fronte Lachmanno obloqui veretur, argumenta ea timidius evitans aliam interpretationis viam quaerere debebat, ut librorum auctoritatem observaret. Nam quod timens ille pro quamvis timens dictum ait, iam iure quaeras, quomodo servus maiorem fidem ceteris nuntiis habere debeat, etiamsi malam eius fidei gratiam a domina initurus sit. Immo hic timor contrarium plane suaderet.

v. 8. suspensis — auribus. A mulis vel asinis metaphoram ductam Kuinoel. indicat. Nec vero huc faciunt suspensi gradus, all. quae Burm. commemorat. Certum est significari mentem expectatione suspensam. Quo de usu verbi cf. Interpp. ad Virg. Aen. II, 114. VI, 722. Add. Plin. Ep. VII, 6, 14.: Suspensus expecto. Cic. Famil. XV, 1.: His rebus allatis — etsi intelligebam — novarum rerum expectatione suspensos. Alia plurima lexica suppeditant. Hinc vultus suspensus Cic. pro Cluent. 54. et quod maxime ad hunc locum facit id. Brut. c. 54.: Idem si praeteriens aspexerit erectos intuentes iudices — aut, ut avem cantu aliquo, sic illos vident oratione quasi suspensos teneri. Recte autem, quod animi vel potius hominis totius est, auribus, quibus dicta audimus, tribuitur, ut II, 4, 4. II, 25, 19. pedibus, quod est euntium. Eadem igitur est translatio, qua pendere narrantis ab ore aliquem dicimus, ut Virg. Aen. IV, 70. Ovid. Trist. I, 30.

v. 9. Siccine ab Avancio videtur esse. Primum enim in Aldinis legitur, ne Lachm. credas, qui Mureti eam coniecturam esse censet.

v. 14. Quae scrinia sint, Boettigerus docet Sabin. I. p. 64 sqq., ne cum Burmanno de thecis, quibus libelli condebantur, cogites.

v. 22. Aequalem nulla dicet habere domo (vel: nullam — domi). Passerat.: Et qualem nullas discet habere domos; vel nulla — domo vel etiam Aequalem — ducere. D'Orvill.: Aeq. nulla ducere ab arte domum. Markland. autem superiore quoque hexametro tentato (pro nullo enim maluit uno; cf. tamen Q. P. II, 6. s. II. §. 18. p. 136.): Rivalem ex illa dicor habere domo. Santen. in litteris mss. nullo — loco, scilicet „ut expresserit Callimachum ep. 26.: *Νῦν δ' ὁ μὲν ἀρσενικῷ θέρεται πυρὶ, τῆς δὲ ταλαίνης Νύμφης ὡς Μεγαρέων οὐ λόγος οὔτ' ἀριθμός.*“ Burm.: At qualem nulla possit habere domo. Cui ad sententiam simile Lachm. inventum: Aequalem nulla cui sit habere domo. Ego vero non temere agendum hic esse duxi. Unum enim, in quo aliquis

iure haerere possit, hoc est quod aequalis pro pellice dictum sit. At idem Propertius III, 8, 21. aequales haud dubie rivales dixit. Cetera vero sanissima. Nam ne in ἀσυνδέτῳ haereas, cf. Q. P. II, 6. §. 13. p. 125. et Iacob. ad hunc locum. Ad id enim genus pertinet, quo duo orationis membra ex parte sibi opposita sine coniunctionibus iuxta ponuntur. Graeci enim quum talia ope particularum μέν et δέ nectant, Romanis quibus illis voculis carendum est, quid, nisi ut nuda ponant enuntiata, restat? Cf. enim, qui de eo usu egerunt Garaton. ad Cic. pro Mil. c. 31. qui citat Cic. Top. 13. de Fato 8. de Div. I, 38. II, 49. Rhetor. ad Herenn. IV, 25. Demosth. de Coron. 55. p. 288. Reisk. c. 64. p. 401. Reisk. Philipp. p. 118. Reisk. de libert. Rhod. p. 192. Adde F. A. Wolf. ad Cic. N. D. I, 9, 23. Anall. litt. I, 2. p. 318. Arist. Ran. v. 693 sq. Plat. de Rep. I. p. 336. B. ubi v. Stallb. Plat. de Rep. III. p. 401. E. IX. p. 389. E. Menon. p. 86. D. ibid. p. 87. B. D. Phaedon. p. 88. A. Iam vero hoc plane Propertianum, quod amoris usus per domum amantis vel amicae significatur, ut II, 24, 24.: Imprimis una discat amare domo. II, 16, 22.: Atque una fieret cana puella domo. II, 1, 55.: Una meos quoniam praedata est femina sensus, Ex hac ducantur funera nostra domo. Add. III, 20, 9. II, 8, 14. II, 3. extr. Haec igitur sententia: „Aliam ille amat; fidem levis rupit. Quod enim negat, se habere pellicem, quis credat, cum tamen nihil commiserim, cur me relinqueret? Magna sane ea impudentia est.“ Ceterum non negem facilius verba cessura, si pro Aequalem scripseris Atq. aliam, quod et litteris simillimum et sententia idonea a me quondam tentatum nunc confidentius iam viris doctis approbare audeo, postquam idem I. H. Vossio in mentem venisse intellexi. Aliae enim proprie dicuntur puellae pristini amoris heredes. El. IV, 7, 93.: Nunc te possideant aliae. I, 15, 19.: Me neque amare aliam — fas est. II, 22, 40.: Ut sciat esse aliam, quae velit esse mea. Hoc certum, eos coniecturis suis operam, ut aiunt, et oleum perdituros esse, qui alienae puellae commemorationem hoc versu eliminent. Nam in perfidia omnis Cynthiae querimonia versatur, ac, ne multa, v. 25. illa nullo pacto haberet quo referres, nisi hic iam Propertii crimen vero nomine diceretur.

v. 24. morte mea. Scaliger meae scripsit, qui et hic et v. 20. Ennianum dativum obtrudere Propertio voluit. Nec multo melius Burm., qui morte mea pro morti meae dictum putat, eamque, si diis placet, enallagen casuum Propertianam esse ait. At insultare absolute positum est pro

superbire, ut est Virg. Aen. X, 20.: „Cernis, ut insultent Rutuli.“ De ablativo autem illo vid. Q. P. II, 6. §. 18. p. 137. Nec dissimilis ratio v. 28.: exsectis anguibus ossa, ubi incassum varia coniectaverunt, interpretum vero vulgus praepositionem „cum“ omissam praedicat. Tu vero et Q. P. l. l. p. 136. conf. et Virg. Aen. III, 30.: atro sanguine guttae. VI, 225.: fuso crateres olivo. coll. V, 77. Multo vero durius Tacit. Ann. III, 19.: Is finis fuit ulciscenda Germanici morte.

v. 29. iacentia. Passerat. latentia, Heins. calentia, Palmer. tacentia. Sed recte Broukh. illud collapsa interpretatur. Nam lignis exustis rogoque extincto cineres iacere dicuntur. Cf. Martial. I, 89. Nec prius plumas in bustis inveniri posse patet. Habet autem haec deserti sepulcri atque sparsorum cinerum descriptio nescio quam funestam et horribilem evidentiam, magicas istas artes admodum decentem.

v. 30. Cinctaque — viro. Iuncta unus Heinsian. habet, unde Heinsius Vincta fecit, non recte plaudente Lachm. Nam evitare potius quam quaerere tales annominationes Propertium docuimus Q. P. II, 6. s. I. p. 106. Cingo vero ad analogiam verborum exuo et induo hic cum dativo personae et cum accusativo rei iunctum est. Cuius rei quamvis aliunde exemplum mihi non praesto sit, tamen plurima verba, quae duplicem structuram admittant, delitescere adhuc in veterum scriptis scio, quorum singula semel fortasse exempla inveniantur. Sed peius etiam, quod in fine vers. eundem Heinsium secuti et ipse et Iacobus toro iam dudum in editiones invectum pro viro, quod omnes libri tuentur, restituerunt. Nam quid lectus feralis, quem intelligi volunt, et ipsa funera ad praestigia pellicis et amoris illecebras pertineant, haud prorsus perspicio. Tu vero pupam illam, amati viri imaginem funestam dici puta, de qua Virg. Ecl. VIII, 73.:

Terna tibi haec primum duplici diversa colore
Licia circumdo, terque haec altaria circum
Effigiem duco.

Ubi vid. I. H. Voss. coll. Heindf. ad Hor. Sat. I, 8, 31. Cave tamen cum hoc effigiem illam ipsius veneficae esse censeas. Nam illic pronomen tibi nisi ad Daphnin referri non posse patet.

v. 39. consimili impositum. Vulgo corrigunt: consimili positum; fortasse recte. Cf. tamen Q. P. II, 6. s. IV. p. 180.; et elegans est Wagneri observatio ad Virg. Aen. XII, 144. effici interdum praepositione in verbis compositis aliquam caesurae speciem, ut est in illo ipso versu:

Magnanimi Iovis in|gratum ad|scendere cubile. Sil. It. XII, 146.: Rumpere compagem im|positam, ex|pallescere coelum. XIV, 631.: In morem pecudum ef|fudere cubilibus atris. XV, 104.: Prosequitur labor: an|nitendum intrare volenti. Conferri idem iubet Dawes. Misc. crit. p. 20. ed. Burg. et de aliis metris Bentl. ad Hor. Od. IV, 8, 17. Aeschyl. Pers. 17. ed. Blomf.

v. 41. Ingeniose sane ex Neap. nisi et Lachm. elicit mihi si e. At non verentur poetae dativum unum cum altero illo, quem scis, ethico iungere. Ovid. Met. IV, 536.: aliqua et mihi gratia ponto est. ibid. VII, 510.: superat mihi miles et hosti; quod cave ne utrique satis militum esse interpreteris. Immo et pro vel.

Elegia VIII.

Imitatus esse videtur hoc carmine Propertius elegiam Callimach. cuius fragm. a Stobaeo servatum (Floril. LIX. p. 376. 377. Gessn.) n. CXI. ap. Bentl. legitur. Cf. ad v. 46. 61. 66.

v. 4. de capite tuo. Vulgo explicant: de te, quasi de fonte. Nugae. Tuus fons enim esse non potest fons qui es tu. *Προσωποποιίαν* potius Pecuniae crede, a qua vel ponto mersum esse ait Paetum. Capiti autem, quod summa hominis est, tribuuntur, quae homo ipse perpetrat. Unde nota synecdoche pro toto pars ponitur. Ut alia taceam, apte ad nostram rem facit Senec. Med. 994. Both.: Si quod est crimen meum est; — noxium macta caput.

v. 8. Cur nova esca, nemo explicuit; scilicet longinquis piscibus.

v. 9. iusta piae dare debita terrae. Dubitare possis, nec qui dubitent desunt, utrum dativum credas piae — terrae, an genitivum. Alterum enim manes significaret, pro quibus favillam et cineres atque interdum etiam terram dici observavimus ad El. II, 13, 41. Pios autem mortuos in titulis sepulcralibus invocari pervulgatum est, ne forte cum Kuinoelio de v. 17. cogites. Sic vel infans, qui II. annos natus obiit, ap. Donat. II. p. 362, 5. Orell. C. I. n. 4601. PIENTISSIMUS audit. At non modo liberi, sed parentes etiam vel amici vel quicumque appellatione dignantur. Cf. n. 4613. Orell. 4615. 4647. 4651. 4701. Nihilo tamen minus id verum esse puto, quod primum legenti sponte se offerre debebat, ut pia terra sit, qua obtegantur ossa. Hoc enim pietatis officium, haec ipsa iusta debita. Sic pietatis causa tumuli structi et monumenta posita dicuntur. Cf. Inscr.

ap. Gruter. 551, 3. 545, 5. Murator. 945, 19. ubi hoc Hagenbach. effecit ex eo, quod sine sensu legebatur: AETATIS. Gruter. 949, 10. Orell. 4693. Gruter. 548, 4. ap. Orell. 3512. quem vid. ad e. l. — Res ipsa et usus pius ille notissimus. Cf. Interp. ad Hor. Od. I, 28, 3. Virg. Aen. VI, 365. Hinc emendo epigramma cippi Piraeensis a Ross. communicatum in Actis archaeol. Ephemm. Hall. litt. subiunctis a. 1837. Novemb. N. 84 sqq. n. 9.

Καὶ ζῶσαι πλούτου πατρικοῦ μέρος [ε]ἶχον ὁμοίως
Τὴν αὐτὴν [1]) *φιλίαν* [2]) *καὶ [χ]ρήματα ταὔτ' ἐνόμιζον*
Μηδ]ένα λυπήσας, ἀτέκνων [3]) *ἐπιδοὺς [ἐπὶ] παῖδας* [4])
Γῆς κοινῆς μοίρας πᾶς [ἐπιχοΐ]το [5]) *μέρος.*

sic interpretatus: Et viventes divitiarum paternarum partem pariter habebant. Easdem fores et easdem opes colebant. Neminem laedens, orborum autem filiabus gratis munus impertiens Terrae, communis sortis, quisque iniicito partem. — Vides igitur, quam prae hac sententia Eldykii commentum: At mater non Italiae dare debita terrae — sordeat. Nam patria rectius hic significatur, quam appellatur, et cum Paetum v. 63. optantem haec faciat, neque bis eadem dicere, neque hic iam illa occupare voluit Propertius. — Ceterum de cognatis rogis cf. Q. P. II, 6. p. 144. Ad sententiam vero optime Huschk. Anall. Crit. p. 126. Glauci epigr. contulit, sive hunc Propertius expressit, sive ex eodem fonte eas visiones, quasi locum iam communem factum, uterque hausit. Nam paene ad singula verba addicit:

Οὐ κόνις οὐδ' ὀλίγον πέτρας βάρος, ἀλλ' Ἐρασίππου
Ἥν ἐσορᾷς αὕτη πᾶσα θάλασσα τάφος·
Ὤλετο γὰρ σὺν νηΐ· τὰ δ' ὀστέα πού ποτ' ἐκείνου
Ἰύθεται, αἰθυίαις γνωστὰ μόναις ἐνέπειν.

v. 19. Nam. Omnia optime cohaerere concedit Lachm.; particulam vero Nam logicum potius quam poetam decere, ideoque Iam reposuit. Quasi vero semper insanire debeant poetae, aut quasi innocens illa particula tantum putidae ratiocinationis contineat, ut locum succi et sanguinis plenum derepente ieiunum sit redditura. Antiqua probo.

v. 22. Varia commenti sunt VV. DD. ut ex codicum stribliginibus sententiam probabilem elicerent. Inter quae, quod raro contingit dicere, Kuin. correctio: Qua natat aliqua elegantiae, ne dicam ingenii, specie se commendat. Et poena Argynni pro Argynno punito dictum vere Propertianum est. Sic II, 20, 31.: inter Tityi volucres mea

1) Sic f. pro *αὐτῶν*. 2) *φιλίαν* Ross. 3) *λυπήσασα τέκνων* Ross. 4) *ἐπιδοῦσα πρόπαιδας* Ross. 5) *πᾶσιν ἴδεκτο* Ross.

poena vagetur, pro ego punitus, ubi v. comm. Natare vero alibi quoque aqua pereuntem et iam mersum ait: IV, I, 116. II, 23, 24. II, 30, 17. et similiter vehi IV, 6, 58. Sed restat illa „pistricis cauda“: minantis aquae; quae verba, quoque te vertis, nec Latina erunt, neque adeo humana. Nam sive genitivum minantis aquae ad poenam refers, quae suum iam habet genitivum Argynni, sive ad littora, quo distortum fiat hyperbaton: verba titubant, et foede hiat compositio. Itaque scripsimus, quod historiae dictabant, toties a librariis nostris nominum propr. ignorantia oblitteratae: Quae n. Argynni p. Athamantiadae. Argynnus enim Leuconis filius (Steph. Byzant. teste), Athamantis ex Themisto nepos (Apollod. I, 9, 2. Paus. IX, 34.). — Iam vero ne dissimiliores litterarum ductus censeas, quam qui sola librariorum alucinatione in scripturas vulgatas transire potuerint: non ego nunc maiora etiam portenta commemoro: hoc solum moneo, aquae ut ex terminatione nominis adae efficeretur, argumenti rationem persuasisse, quod totum in maris periculis versabatur. Atqui bonos monachos proxima tantum ubique spectasse de universo sententiarum nexu, non modo de compositione securos, quis nesciat? Initium vero nominis duplicem lapsum peperit, cum alii e poenaatamanti — poenaminantis, alii poenanatantis procrearent. — Quae porro pro Qua in tanta compendiorum similitudine litterae initialis vix est mutatio, et sic iam ante nos inde a Passeratio omnes. Notat denique, pro notum reddit, prorsus Propertianum est (cf. El. IV, 2, 44.). Et fortasse huic loco admixta est quaedam opprobrii significatio, quo tantorum damnorum causam aquam poeta incessat. Sic freto Abydeno crimen ex morte Leandri haesisse dicitur Ovid. Trist. III, 10, 42.: Non foret angustae mors tua crimen aquae. — De fabula ipsa Argynni valde discrepare videntur auctores veteres, quamvis, quos nunc quidem licet inspicere, leviter solum rem tangant Athen. XIII. p. 603. D. Clemens Alex. Protrept. 34. Steph. Byz. s. v. Plut. Grylli c. 7. Inter quos Athenaeus Clemente et Stephano assentientibus Cephisso Argynnum mersum esse tradit, quod in huius loci similitudinem non cadit. De maris enim saevitia agitur. Unde suspicari non absonum videatur, eas narrationes Propertium secutum esse, quibus naufragio periisse amasium Agamemnonis traderetur. In quam sententiam Bronkh. Plutarchi locum absurde explicat, quum Agamemnona falsis mare et ventos criminibus onerasse dicat. Quo iure ipse videat. Haec enim sunt illius verba: *Ὁ δ' Ἀγαμέμνων τὴν Βοιωτίαν ἐπῆλθε κυνηγῶν τὸν Ἀργύννον ὑποφεύγοντα καὶ*

καταψευδόμενος τῆς θαλάσσης καὶ τῶν πνευμάτων. Hoc certum est, non in rem futurum esse exemplum nec cum versibus sequentibus quadrare, nisi Argynnum mari mersum, Agamemnonem autem luctu pueri classem tam diu retardasse sumpseris, donec venti adversi orti revera abitum impedivissent. Quae interpretatio si vera est, Veneris Argynnidis templum, quod in ripa Cephissi eodem quo Argynnus periisset loco in eam memoriam ab Agamemnone dicatum esse reliqui auctores consentiunt, in ea fluminis parte collocatum fuerit necesse est, quae ex infernis recessibus iterum erumpens prope Larymnam inferiorem mari infunditur. Cf. Strab. XIII, 2. init. Restat tamen aliquid scrupuli in voce poena, de qua nihil nunc constat. Nam quae Scaliger hic in tertia Castigg. editione argutatur, nihil sunt. Ille enim manifesti erroris ab editore Senecae convictum se esse dum aegre fert, non modo in hunc, sed in ipsum Senecam atque adeo in Propertium saevit. Quem, nisi magni viri impotentiam ridere piget, ipsum adi ed. Lugd. p. 276. coll. ed. Paris. 1607. ed. Paris. 1577. p. 214. In rebus autem tam dubiis locum etiam obscuriorem, quam fuerat, reddere nefas est; quod Lachm. fecit, cum v. 23. pro Hoc i. — Hic scripsit, scilicet ne „logicus magis esset quam poeta.“ Credo plura, quam velis, et logicis et philologis exodanda reliquisse Propertium, ne σχοτίζειν insuper animum inducas.

v. 25. Reddite corpus humo. Iacob. littora Cephissi significari credit; quo iure, haud equidem intelligo. Lachm. pro posita — vita rescribit: positum — venti. Ego ad undarum deos (v. 18.) referendum censeo. Nam egregie fluctuantes huius elegiae affectus et praeruptior paullo structura et inconstantia ea decet, qua, postquam modo indignatus deos negaverit, iam quum superbia nihil proficere se videat, precibus iterum eosdem fatigat. Nec quod longius dei ab hoc versu absint, hoc te moveat. Nam tria illa disticha interiecta nihil nisi explicationem dicti eius continere, recte iam Lachm. perspexit; neque igitur amplius ad sermocinationem superiorem pertinent, sed velut secum reputantis sunt et cum lectore confabulantis: Marklandi inventum „positumque in margine ripae“ Latinum non est. Nam ripa fluminum crepido est, non maris.

v. 27. Cum Lachm. Et restituimus. Vulgo I. Douza auctore: Ut. Deinde

v. 29. quod metrum iubebat, rates curvas, de Passeratii coniectura recipimus; post fatis vero puncto minore distinximus.

v. 32. 37. Fortunae. — Natura. Mutatas a Broukh.

inter se voces Lachm. in pristinam sedem suam quamque reduxit. Nec tantum tamen laudis invento eius tribuere debebat. Quid enim Naturae viae sint, minime ille demonstravit; et si quis mortis vel leti vias — naturae viam dici docuerit, nunquam tamen evincet, ut alius illae sint mortis viae, nisi eius, quae natura venerit, non vi adacta. Hic vero eae (v. 30.) quas ipse homo mortes invenit, artis nomine ceteris opponuntur; arte igitur naturae vias auctas dicere absurdum est, frustra obnitente Beckero (Eleg. Rom. p. 301.) qui fata censet esse mortem naturae debitam, non „humana manu actam." Quod ut interdum verum sit et Gellii possit auctoritate confirmari (N. Att. XIII, 1.), tamen contrarius quoque usus plurimis veterum locis cernitur. Nec vero nunc lexica aut collectiones epigrammatum sepulcralium aut Cic. librum omnem de Fato compilo; hoc unum observo, vel voluntariam mortem fatum dici, a Prop. El. III, 9, 56.: Antonique graves in sua fata manus, idem vero obitus genus modo fatum appellari, modo fato opponi. El. II, 1. fin.: Taliaque illacrimans mutae iace verba favillae: Huic misero fatum dura puella fuit, et rursus III, 21, 33.: fato moriar, non turpi fractus amore. Add. I, 17, 11. III, 22, 58. Hinc quantum differant quamque contrarii potius sint Claudiani versus (Praef. I. de R. P. init.) a Burm. allati apparet:

Inventa secuit qui primus nave profundum
Et rudibus remis sollicitavit aquas,
Qui dubiis ausus committere flatibus alnum,
Quas Natura negat, praebuit arte vias.

Ubi non esse eas naturae vias satis aperte declaratur. Quamquam in hoc quoque Burm. caecutivit, quod nequaquam illic mortis vias commemorari non sensit. — Contra Fortuna commune est vocabulum; haec sortes candidas nigrasve fert, sive naturae ope usa sive vi et artibus humanis. Fortunae viae dicuntur, quacunque ad nos accesserit: has vias periculis et rerum humanarum discriminibus auctis augeri ipsas certum est. Quinimmo plus in damnis vi et consilio hominum illatis dominari, quam in naturalibus, communis nec falsa existimatio est. — Contra recte

v. 37. Natura dea prudens terras Oceano dissociabili, ut ait ille, abscidisse dicitur. Quod qui negat Marklandus: „Natura", inquit, „optima dux et mater nunquam insidias mortalibus struit": pie ille quidem et religiose, falso tamen. Neque enim acutissimus Britannus praetervidere debebat, iustam dici deam suarum legum vindicem, quippe quae secundum eas viventibus opituletur, avaris tantum poenam meritam maris pericula et insidias substruat. Iure illud. Nam, ut Senec. Q. N. V, 10.: Per hominum deorumque iras ad aurum

ſbitur. — Magna pars erat pacis humanae maria praecludi. Non tamen queri possumus de auctore nostri deo, si beneficia eius corrumpimus et ut essent contraria, effecimus. Reliqua quae in huius loci usum essent, iam Lachm. adstruxit. De insidiis vero non erat, quod ad Stat. Thebaid. II, 501. provocaret. Nec praeterea a Fortuna mundum conditum esse quisquam veterum aut credidit aut dixit. Contra Ovid. Met. I, 21 sq.:

Hanc deus et melior litem Natura diremit;
Nam coelo terras et terris abscidit undas.

v. 42. soliti. Verissimam Lipsii coniecturam, Passeratii exinde libro confirmatam, in ordinem recipere unus Iacobus dubitavit, superstitiosus hic, ut non raro, codd. mss. cultor. Etenim „in mare doli“ per ὑφ' ἓν dictum censet, quasi quidam sint doli marini. Quibus artificiis puram poetae orationem perdi quis ferat? Recte tamen idem v. 43. Quodsi a Scaligeri transpositionibus, simul a Lachm. coniectura Oh! si simplici hac et vera interpretatione defendit: „Quodsi est: quapropter si, i. e. quum tam certus sit nautarum interitus.“ De commutatis autem temporibus verbi v. Q. P. II, 6. §. 8. p. 120.

v. 45. Call. frgm. l. l.:

Τρίεμαχαρ εἰ πανύρων ὄλβιός ἐστι μετά,
Ναυτιλίης ὃς νῆιν ἔχει βίον.

v. 46. flare. Haec emendatio Iacobi auro contra non cara. Ad sententiam iam Iacobsius verum divinaverat: turbo potest. At quanto illud elegantius et felicius! Ceteri in emendanda vel in explicanda vulgata sategerunt. Quis enim flere quemquam non posse in terra dixerit?

v. 47—50. Non tulit hic: „De terra“ intellexit Santen. in scidis mss. Immo: in terra. Non tulit enim, pro quo non tulisset solutae orationis scriptor dixerit (cf. Iahn. Annal. 1827. vol. III. fasc. 1. p. 409 sqq. Gernhard. Comment. Gramm. part. III. p. 15. Krüger. Gramm. Lat. p. 874.), non quod Santen. velle videtur, „non de se impetravit, noluit“ significat, sed „non perpessus est.“ Sic si accipias, et si v. 49. id, quo omnes libri ducunt, iam a Valente Guellio ad Virg. Aen. X, 136. occupatum Effultum restituas, non opus erit omnibus quibus h. l. VV. DD. inundaverunt coniecturis, quarum ego maximam partem iam ideo non curo, quia ruptas licentissime a Scaligero totius elegiae compages versusque penitus permixtos sarcire velle irrita opera est. Ad id enim zeugmatis, sive ἀναχολουθίαν eam dicis, genus hi versus pertinent, quo e negativo aliquo ennuntiato in adversativo quod sequitur, verbum contrarium priori

apud animum suppletur. Quo de usu ad El. I, 16, 11. 12. diximus et Q. P. II, 6. s. II. §. 16. p. 132. Itaque hic verbum ferre, quod laboris atque aerumnarum notionem continet, si ex negato: „non ferre“ contrarium effeceris, laetandi vel similem aliquam significationem praebebit. Haec igitur sententia: Si Paetus in terra manere sustinuisset, non hic pericula et labores ei ferenda erant, sed omnibus vitae cultioris deliciis lente frui licebat. Iam vero, si de singulis quaeras, ferre cum infinitivo iunctum vulgarius est, quam quod exemplis indigeat; tum, ne hinc iuxta infinitivum nomen (caput effultum) ἐκ παραλλήλου positum te offendat, cf. Q. P. II, 6. §. 15. p. 130 sq. Iam in chio quid lateret, docti Itali recte perspexerunt. Nam ch et th in libris Germanica praesertim manu scriptis vix discerni notum est. Sed thyiae tamen nimis propere emendatum. Thyio enim (trisyllabum accipe) adiectivum eadem proportione formatum a nomine θύα vel θύον (Hesych. s. v. Hom. Od. ε. 60. ibiq. Didym. et Eustath. p. 1523. Athen. V. p. 207. Theophr. Hist. Pl. V, 5. Macrob. Sat. III, 14. Plin. N. H. XIII, 29.), qua citrus, quod usu promiscuo pro citreus dicitur, a citro. Et θύϊος legitur ap. Theophr. Hist. Pl. V, 3. Deinde Oriciae terebinthi, quod a Scaligero est, ego quoque olim probabam. Nunc thalamum Oricia terebinto et omnino et a Propertio recte dici posse intelligo. Cf. v. 67. Q. P. II, 6. s. II. §. 18. p. 136. Nam hoc cum illis exemplis si comparaveris, vulgare satis videatur. In omnia tamen alia Lachm. abit, cui thalami ex thyia aut terebintho fabricati paene immanes videntur. Quid, si aureos vel eburnos dixisset? Et tamen aurea templa (IV, 11, 5.) et auream porticum (II, 31, 1.) et eburnam cameram (III, 2, 10.) tamquam vulgaria commemorari a Propertio meminisse debebat. Quid auream Neronis domum vel auream Romam? At tabulis et laminis citreis (i. e. thyis) materiem et trabes aedificiorum superborum vestita esse Plinius auctor est N. H. XIII, 29. 30. — Plumam denique versicolorem pro plumis variegatis, quibus culcitae divitum tomenti loco farcirentur, dictas accipi posse Becker. negat Gall. T. I. p. 46. Cuius argumentis quamquam eatenus certe cedimus, ut plumarios s. πτιλοβάπτας tinctores et textores vestium e versicoloribus plumis consutarum fuisse assentiamur, hunc tamen locum ad eundem usum referendum esse negamus, quoniam plumae in ista Romanorum insana luxuria tam propriae tororum factae erant, ut ipsa ea vox iam nihil aliud quam delicatiorum culcitas plumeas (Cic. Tusc. III, 19.) significare coepisset. Iuven. Sat. VI, 88.: Sed quamquam in

magnis opibus plumaque paterna Et segmentatis dormisset parvula cunis. id. I, 159.: vehatur pensilibus plumis, h. e. lectica plumeis culcitis strata. Martial. XIV, 161.: Lassus Amyclaea poteris requiescere pluma, Interior cycni quam tibi lana dedit. id. XIV, 159.: Oppressae nimium vicina est fascia plumae. Itaque quamvis neque Heliogabali insaniam nec Trimalchionis inficetias in locum nostrum cadere iam concedamus: tamen hoc superest, ut plumas metonymia admodum vulgari et Propertio imprimis usitata materiam pro re inde fabricata (cf. ad El. III, 10, 22.) et plumam pro ipsis toris conchyliatis vel vestibus versicoloribus extrinsecus indutis dictam interpretemur.

v. 51. vivo. vivos Palmerii coni. a Broukh. et deinceps ab omnibus receptam unus Iac. repudiavit. Recte; nam vivum aliquod tempus mari iactatum v. 53. significat; et satis nobis sunt radicitus ablati ungues, ne cruditatis descriptione nauseam a Propertio lectoribus motam esse credamus.

v. 52. miser invisam traxit hiatus aquam. Lips. niger rescripsit; invitam aquam Palmerius addidit. Hinc tandem interpretum nostrorum deliciae natae, enallage ista clam Propertio supposita, qua si unquam sanus homo usus esset, non modo Latinae linguae proprietas, sed omnis sermo humanus periturus fuisset. Iam enim Kuinoel. audi prodocentem: niger aquam invitam pro: nigram aquam invitus. Hoccine quid est nisi cum ratione insanire? — aut sine ratione. Nam humanius certe Broukh., qui „invitam aquam“ ait „nam ne ipsa quidem aqua exitium Paeti festinabat.“ Scilicet non vidit totam elegiam cum hac miserrima sententia pugnare. Longius autem Burm. a vero aberravit, qui cum Lipsio imprudentius obsecutus hiatum „maris voraginem“ interpretaretur, tum necessario reponendum esse praetervideret, quod tamquam aliud agens proponebat: Ut niger invitum traxit hiatus aquae. At hoc ipsum magno, credo, orationis Propertianae detrimento. Hiatus enim Paeti miser dicitur per illam enallagen, quam unam sermo Latinus admittit, illustratam a nobis Q. P. II, 6. p. 150. — quaeque v. 59. recurrit.

v. 53. Hunc. Santen. (scidd. mss.) hic uti et v. 50.: Nunc; fortasse vere. Nam in quibusdam libris mss. utriusque litterae, si ab initio versuum maiuscula scribitur, nullum prorsus discrimen.

v. 60. longas manus. De pulchritudine manuum procerularum, quas in mare ille protulerat (v. 48.), fluctibus salsis adesas nunc et corruptas, accipio. Longae enim manus quae sint, vid. ad El. II, 2, 5. Nam manus integras ideo-

que longas, iam vero decurtatas intelligere putidum, porrecta vero precantium brachia longius repetitum. Neque enim quis affert porrectas manus. Nec tamen I. H. Vossius sic interpretari veritus est: „*Weil doch die Haende gestreckt nahten wir euerer Fluth.*“ Verum obversatum esse videtur Beckero Eleg. Rom. p. 303., cum Ov. Amorr. III, 3, 2. conferret: Quam longos habuit nondum iurata capillos — Tam longos postquam lumina laesit, habet. Sed praetermisit, cum quid in longis manibus pulchri esset, non commemoraret.

v. 61. Callim. l. l.: — *ἀλλ' ἐμὸς αἰὼν — Κύμασιν αἰθυίης μᾶλλον ἐσφιξατο.* At quanto fortius illo noster! Modo ne affigar legas, quod putidum est tamquam ficedulam veru, scopulo fixum Paetum putare. Nam ne ap. Virg. quidem Aen. I, 45. aliud quam scopulo inflixit acuto cum Wakefield. (ad Lucret. VI, 390.) legendum esse censeo. Quamquam aliud tamen est infigi et affigi.

v. 63. evehat libri, qui quidem integri, omnes. Recte; nam in profundum subtrahi (v. 65.) et per aliquos dies aqua operta manere solent mortuorum corpora; tum fluctibus evehi. Scaliger tamen advehat correxit, ne Lachm. quidem refragante.

v. 65. Callim. l. l.: *εὖτ' ἀνέμων μεγάλων κῦμα διωλύγιον.*

v. 68. Thetis. Sic libri, nec quidquam muto. Lachm. tamen semper Theti scripsisse Latinos censet. Tu vero nunc cf. Conr. Schneider. de Form. L. L. p. 306.

v. 69. Hanc visionem statuis vel tabulis veteribus debere Prop. certo credimus; ita speciem imaginis praefert. Nec de nihilo est, quod Ovid. eodem modo gestum servantium ex aqua submersos describit; Ep. ex Ponto II, 6, 14.: Nec pigeat mento supposuisse manum. Add. ibid. II, 3, 39.

Elegia VIII.

Si id ageremus, ut quam facillima Propertii carmina legerentur, v. 25. et 26. cum Lachm. tamquam suspecta eliminaremus. Ita, nisi interpretatione subvenias, reliquum sententiarum nexum turbare videntur. Neque ego nunc eam interpretationem dico, quae singulis verbis excussis totum ponere non curat, sed quae, ut singula recte coniungere et illustrare liceat, causam antea et originem carminis alicuius coniecturis et divinatione explorare studet. Hac autem divinatione saepius egere Prop. elegias quis miretur, quas bona parte ex privatis argumentis haustas sibi et amicae et fami-

liaribus primum composuisse eum plus uno argumento collegerimus. Rixam igitur Propertio inter convivium (3. 4.) cum Cynthia ortam esse apertum est. Causa rixae aemuli calumniae (37.), qui Cynthiam suspicione perfidiae (11—16.) adversus Propertium stimulaverat. Initium amorum maledicta puellae; finis triumphus adversarii (39.). Ridet tamen Propertius et amicae ira gaudet; verum enim hinc ardorem coniicit (1—22.). Quid multa? Desidias in amore et languidam inertiam odit. Condimenta cupidinis turbas expetit et contentiones. Nec modo amicum, sed interdum se quoque dolere vult et lacrimari (23. 24.), noctes suspicione inquietas sibi, iram puellae optat (27. 28.). Inter haec autem novissima versuum paria medium interpositum distichum:

Tecta superciliis si quando verba remittis,
Aut tua cum lacrimis scripta silenda notas.

His versibus qui Cynthiam Propertio clam minantem, ne marito praesenti amoris secreta prodat, describi censent, eos nunc redarguere non opus est. Nunquam enim illa cuiusdam uxor fuit. At, si fuisset, ne tum quidem istam interpretationem probarem. Quamquam qui eam refellendam sibi sumpsit Lachm. argutias perdidit. Haec enim ille: „Qui vero Cynthiam, dum scripta sua silenda digitis notat, dolentem audire potuit? quae digitis nisi praesente marito non loquebatur, praesente autem marito digitis tantum, non ore.“ Cavillationes istas esse verborum quis neget? At graviora sunt argumenta, quibus Kuinoelio similibusve scholiastis obviam eas, cum universae elegiae ratio, qua dolores ex amore profectos significari patet, non ex poena mariti vel metu legis Iuliae, tum probum et candidum poetae ingenium, qui si ipse moechus fuisset, cum misera adultera tam misere ludere nunquam hercle sustinuisset. Apage istas malitias et minas nec poeta nec carmine dignas. Alia profecto res esset et multum diversa, si apud potentem rivalem, veluti istum quem scis praetorem, poeta invidia cruciatus et impotens amoris indicem se futurum minatus esset, ut repudiata solus deinde frueretur. Anxie gestientem Cynthiam videres, superciliis, ne faceret, precantem, lacrimantem, denique, si nihil invisset, aperte iam iratam et conviciantem audires. Poetam tamen, cum ab indigno servitio corruptam auro mulierem invitam vi abstraxisset et quamvis haud dubie reluctantem initio et multa mala imprecantem recuperasset, quis vituperaret? Hanc igitur nos explicandi viam quondam ingressi (ad interp. Prop. Germ. p. 294 sq.), in eo tamen postea haesimus, quod Propertium factum aliquod ex alio amoris tempore in exemplum

huc adhibitum, tam ambiguis verbis indicaturum, reliqua vero, quibus dolor puellae magis etiam apparere posset, omissurum fuisse, veri dissimile videretur. Altera deinde se obtulit ratio, ut non solum Cynthiae dolores et angor hic describeretur, sed etiam ipsius poetae, scilicet si non huic, sed aemulo cuipiam signa ista data esse poneremus, quibus legitimo amatore praesente perfidiam puellae et occultos triumphos iamiam gloriose iactaturus proloqui vetaretur. Sed ne sic quidem deest, de quo dubites. Primum enim „iratae" puellae (v. 28.) commemorationem ad hanc certe causam referre non possis. Deinde, quamvis „suspiria" v. 27. etiam Propertii rem hic agi subindicent, tamen „lacrimas tuas" v. 24. posteriore loco positum multo magis Cynthiae dolorum causam quandam insequentibus versibus exponi persuadent; nec anxium metu aut conscientia peccati animum nec pudorem Cynthiae, sed invidiae cruciatus et iram propter perfidiam amici nexus omnis sententiarum sibi poscit. Denique idem qui in superiore interpretatione scrupulus restat, quod in facto tam recenti exemplum ex alio amoris tempore repetitum, nisi accuratius esset expositum, intellectum moraretur et concentum paene partium turbaret. At tertia adhuc via superest, qua nos coniectura ex ipsis huius elegiae causis, quas supra exposuimus, facta tamquam certa semita duxit. Fac enim, aemulum istum qui Propertii calumniator (37.) suspiciones Cynthiae moverat, in eodem cum poeta convivio affuisse. Illa igitur, ut laesam se significaret et Propertium invidia pungeret ardentem cupidine, lenta et frigida non curare videbatur, alterum fovebat, cum hoc confabulabatur, iocabatur, huic soli blanda, huic facilis erat, dum superbis oculis et offensae plenis amicum lacessebat, donec, bile tandem splendescente, ille prioris fortunae atque amoris documenta litteras a Cynthia sibi datas proditurum se significaret. His autem litteris non solum ardorem suum confessa delicias clandestinas grata memoria repetiverat, sed fortasse aemulum illum, quem nunc unice se observare fingebat, contemptioni et ludibrio habitum dicteriis similibus eorum irriserat, quibus praetorem a Propertio petitum El. II, 16, 8. legimus. Igitur exterrita puella et anxia superciliis verba remisit digitisque minacibus, ut taceret commissa, imperavit. Propertius vero tantis iniuriis accensus non destitit, quin omnia proderet. Tum illa primum dissimulare, ipsius peccata exprobrare, deinde ira simul, ut fit, atque pudore candescens, maledictis improbum irrisorem, atque adeo manibus furiosis invadere. Hinc seditio et tumultus et fuga. Iam vero ut et alteri se purgaret et Propertium crudelius ulcisce-

retur, hoc penitus repudiato totam illi noctem concessit. — Sic igitur res gestas esse si statuamus (nec, quin ita faciamus, causa est), omnes optime partes carminis coire confitendum est. Lacrimas puellae videre, quiritantem et deorum fidem implorantem audire licet. Neque amplius unde suspiria Propertii v. 27. aut ira Cynthiae v. 28. venerint, obscurum erit. Illud vero sive — sive v. 24. tanto efficacius positum esse consentias, quod cum alterutro iam votorum impetrato gavisurum se esse Propert. dicat, utrumque nunc ei contigerit. Denique nihil aliunde petitum aut otiosum pendebit, sed omnia ad unam causam et res illa nocte gestas pertinebunt.

v. 1. hesternas, quod post Beroaldum editionibus expulsum primus Lachm. restituit, etiam omnibus libris invitis reponerem. Nam vocum externus, extremus, hesternus adeo nullum apud librarios discrimen est, ut quid verum sit, coniectura potius quam illorum auctoritate sit disceptandum. Cf. ad El. II, 29, 1. V. L. ad IV, 8, 83. II, 18, 24. 19, 16. 34, 59. I, 15, 5. Hic vero, quamvis necessario tempus definiendum fuisse Lachmanno non concedamus, melius tamen id fieri assentimur. Tum recens factum narrari, carmen veri affectus et impetus plenum persuadet. Denique sic v. 39. „nunc, data copia noctis“ multo magis proprie dictum erit. In versu vero q. d. leonino ne cum Burm. haereas, v. Q. P. II, 6. s. IV. p. 175.

v. 3. Cur. Sic libri omnes. Sed alterum recte probavit Lachm.: „Felici audacia Propertius verba, quae ipse inter rixam pronuntiaverat, ponit, eaque corrigens quasi subiicit: Tu vero nostros cett.“ Optime. Add. Q. P. II, 6. s. II. §. 1. p. 112.

v. 11. rabida. Certissima est Scaligeri coniectura. Notiorem sibi vocem reposuerunt librarii, fortasse etiam de lingua vino gravi propter v. 4. cogitantes, quae tamen ab hoc loco aliena esset, etiamsi Latinitas eam non repudiaret.

v. 13—17. Horum versuum sententiam et nexum unus ex antiquioribus Pucciani codicis autor videtur perspexisse. Sequentes deinde critici, dum v. 13. aut librorum mendum circa se vel circum se relinquunt, aut cum Mureto sui cum se corrigunt, et compositionem turbaverunt et verborum nexum, donec quae vera loci voluntas esset, Iacobus iterum doceret: „nam quae se custodibus stipat, ea aut fragilitati suae timet, quod ab hac descriptione abhorrere dicimus, aut difficultate accessus incitare amorem magis studet; quod propius quidem ad nostram rem pertinet, sed non omnino satisfacit. Hic enim habemus non artes meretricias callentem,

sed iracundam et furentem amoris stimulis; ea suspiciosa cingit potius quem amat (euntem) custodibus, ne sese fallat.“ Eandem vero hanc sententiam Lachm. multo, quam Italorum erat, feliciori eaque facillima coniectura, quam in ordinem protinus recipere non dubitavimus, effecit. In hac autem egregia emendatione primum cavendum est, ne quattuor illa enuntiata per particulam seu ordientia iuxta pariter posita existimes. Immo binis tantum coniunctionibus singula versuum paria copulantur, ita ut vv. 15. 16. causa insaniae contineatur, vv. 13. 14. eventus. Deinde, ne in mutata structura offendaris, quae ab enuntiatis relativis per conditionales ita deflectitur, ut in apodosin (v. 17. 18.) posterioribus versibus potius quam initio accommodatam desinat, cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 16. p. 131. Quo errore nos quoque aliquando lapsi sumus (in interp. Prop. Germ. p. 241.), cum v. 12, qui universae protasis partem continet, consequens superioris (v. 11.) esse crederemus. Sed praetervidimus, „V. volvitur ante pedes“ non in universum: „adorat Venerem“ vel simpliciter: „amat“ significare posse, sed idem esse, quod „Veneris fidem anxia et furiosa implorat.“

v. 18. certo. Hoc quoque recte a Lachm. e libris mss. restitutum, cum inde a Scaligero „certas notas“ legeretur. Nec tamen tot exemplis opus erat, quibus certum amorem Latine dici demonstraret. Verum esse, quod libri exhibent, vers. insequens docet: „Non est certa fides“ cett.

v. 21. Inmorso. Vulgo aut In morso legunt, aut si Immorso, tamen ab immordeo deductum interpretantur. At ἀντίθετον sic perit, et otiosa fit adiectio vocis „vulnera.“ Quid enim in morso poetae collo adversarii aliud viderent nisi vulnera? Immo tu sic accipe: aequales non morsi collo ipsi videant me vulneratum. Rivalibus igitur ut lenta puella eveniat optat, sibi ut fervida.

De vv. 25. 26. vid. supra in argumento.

v. 27. quum. Libri, qui quidem probi, omnes aut quae, aut quem, aut quum: nullus quos, quod primus ni fallor Passeratius reposuit; quae nullo sensu legi Scaligerum passum esse miror; nec tamen verum esse Passeratii inventum reor, cum quod promptissimum futurum erat librariis, ab omnibus in difficiliorem scripturam mutatum esse veri dissimillimum sit. At verum esse, quod Pucc. servavit quum, Iacob. recte censuit. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 7. p. 119. El. IV, 7, 36.: Sensi ego cum insidiis pallida vina bibi. Cic. N. D. II, 9.: animadversumque saepe est, cum cor animantis alicuius evulsum palpitaret. Unde falso a criticis vexatum esse apparet ibid. III, 7.: Quaeque in domo pul-

chra cum mundi pulchritudine comparabas, et cum totius mundi convenientiam consensumque afferebas, Zenonisque breves — conclusiones in eam partem sermonis, quam modo dixi, differemus. Illud enim cum afferebas aperte cum alteris duobus membris iuxta positis obiecti vicibus fungitur.

v. 29. Graia, sive Palmerii coniectura est, quod Gebhardus testatur, sive quod Burmannus asseverat Fruterii, verissima est.

v. 35. 36. Languidi nescio quid vel potius valde languidum aliquid in hoc versu odoratus est sagacissimus Batavus, Broukh. Quem vero ille languorem! Quid enim fortius cogitari potest, quam si quis tantam amicae pulchritudinem esse dicat, ut in hac sola suam salutem videat, libentiusque se vel indignissimam superbiam laturum, quam illa, qua par nihil nec secundum in terris inveniatur, carituram esse asseveret? At ne rumpi his versibus carminis filum credas, iam eo pervenimus, ut aliquanto magis quam antea serio, quid sibi inter tantas amicae iniurias faciendum sit, poeta reputet. Neque enim ut supra, tantum eius insaniam ridet, et irata gaudere se simulat, sed aperte, nisi illa amissa de quolibet alio solatio desperaret, tam inhonestam servitutem laturum se esse negat.

v. 37. nexisti recte ex Prisciano (X. p. 903. T. I. p. 505. Kr.) et Diomede grammatico restitutum est, quoniam non aliud agentes illi, sed ut eam verbi formam veteribus usu venisse demonstrarent, hunc locum de industria adhibuerunt. Diomedem autem, apud quem hic versus non Propertii sed Maecenatis nomine citatus in nostris exemplaribus invenitur, non, uti Lachm. censet, ipsum alucinatum, sed pessime a librariis habitum esse coll. Q. P. III, 4. p. 229. apparet. Nam Priscianus, quem tamen exscripsisse hic Diomedis librum constat, aperte quod debuit Propertii nomen praefixit.

Elegia IX.

De argumento vid. Q. P. I, 5. p. 27. 28.

v. 2. Non recte ab Heinsio Infra tentatum esse docet Broukh. Quamquam magis etiam Burmann. patr. erravit, iniuria hic ab nepote defensus, qui (ad Ovid. Trist. III, 4, 25.) intra pro infra dictum esse censeret. Nam quos locos ille affert, omnes plus quam dubia sunt scriptura. Flor. I, 3.: Facinus intra gloriam fuit. IV, 11.: Cleopatrae pulchritudo intra pudicitiam principis fuit. Quintil. I. Or. XI, 3.: Hortensii scripta intra famam sunt.

v. 3. De metaphora diximus ad El. III, 3, 22. Graecos Propert., hunc Statius expressit Silv. IV, 4, 97 sqq.: Stabuntne sub illa Mole humeri? an magno vincetur pondere cervix? Dic, Marcelle, feram? fluctus an sueta minores Nosse ratis, nondum Ionii credenda periclis?

v. 5. Difficultatem loci nemo interpretum sensit; et tamen cum ad vocem nequeas aliud quam infinitivum committere addi per Latinitatem non liceat, non iniuria quaeras, quomodo quis, quod committere nequeat, committere dicatur. At ζεῦγμα est eius generis, quo idem verbum alia significatione ponitur, alia apud animum intelligitur. Hic enim conatus voluntatem habet, ad verbum nequeas autem plena vi referendum. Quo de genere diximus Q. P. II, 6. p. 132. Rarum tamen illud dicendi compendium et nunquam quod sciam a VV. DD. illustratum, nisi huc referre velis quae Haasius ad Reisig. Gramm. Lat. p. 497. n. 452. de usu infinitivi praesentis pro fut. posito disputavit. Quibus adde Drakenb. ad Liv. XXVII, 2, 4. Cort. ad Sallust. Iug. 14, 1. Ducker. ad Flor. I, 12, 8. Interpp. ad Ovid. Heroid. III, 58., qui locus magis ceteris ad nostram rem pertinet. Neque igitur mirum, falso interdum ab interpretibus eum usum acceptum esse, velut Quintil. X, 7. init. qui locus unus de vexatissimis, etiam ad sententiam nostri similis est: „Vix enim bonae fidei viro convenit, — intrare portum, ad quem navis accedere nisi lenibus ventis vecta, non possit.“ Frustra enim illic monstrare reponunt; nam intrare dictum est pro intrare velle. Similiter idem, aut similius etiam ad structuram verborum X, 1, 89. de Cornelio Severo: Si tamen, ut est dictum, ad exemplar primi libri bellum Siculum perscripsisset. Ubi cave, verba: „dictum est,“ addito infinitivo: perscripsisse suppleas; nam perscribere tantum voluisse dictum est.

v. 6. pressum. Verum esse credo, quod ex Italis Iacob. reposuit pessum — dare terga. Neque enim ita, adversis similibus mixtis, metaphoras suas perdere solet Propertius. Qui autem inflexum genu cum fuga conveniat? „At primum,“ ais, „pondere pressus et lapsus concidit; mox abiecto onere aufugit.“ Recte. Et quoniam haec interpretandi via supererat, mutare nolui quod libri minus suspecti omnes tuerentur. Quamquam sic quoque terga dare, ubi non de hoste, sed de onere ferendo sermo sit, habere in quo offendas, non diffiteor.

v. 8. ulla. Vulgo ex Lipsii emendatione una reposuerunt. Sed alterum recte ex codd. Lachm. restituit. Quod eum factum probem, interpretationem V. D. non item. Hoc

enim dicere Prop. ait: „Neminem, nisi artis suae fastigium (hoc enim esse vult iugum non aequum) attigerit, famam accipere posse.“ At obstat sententiarum nexus et propria universi carminis voluntas. Nam difficile onus poeta detrectat, et tamen hoc ipso famam se assecuturum esse sperat v. 46.: Meque deum clament, et mihi sacra ferant. Cui apte conferas I, 7, 9 sq.:

Hic mihi conteritur vitae modus, haec mea fama est,
Hinc cupio nomen carminis ire mei.

Nec iuvat IV, 10, 3 sq.:

Magnum iter ascendo, sed dat mihi gloria vires,
Non iuvat ex facili lecta corona iugo.

Illic enim maiora adhuc, quam hos lusus amatorios, poeta moliebatur; de summo enim Iove canere instituerat. Nunc parem se esse talibus studiis negat. Magis vero mirum, Ovidii locum a Lachm. in partes vocari (Trist. V, 14, 1.), ubi plane contrarium eius rei, quam Lachm. Propertio vindicat, expetere se poeta ait. Praeterea etiamsi omnes illos artifices, quorum censum iam habiturus est Propert., difficile artis fastigium appetisse concedas — quamquam de Parrhasio et Mye iure nostro dubitamus — at, etiamsi illud concedas, tamen quomodo cum ista quasi propositione v. 19. conveniat, nequaquam perspicio. Nam nec eum, qui paci potius quam militiae aptus videtur, nec qui contra, ob id ipsum iam difficile aliquid proposuisse sibi apparet. Quid multa? v. 20. qui ratiocinationis totius clausulam continet, et ut haec inductio sibi constet, repetitam in fine propositionem exhibere debet, abunde declarat, quam sententiam v. 8. sperari oporteat. Sequitur enim necessario, ut amplificatio eius sententiae sit, quae hexametro includitur, usitatissima nostro figura. Itaque „ex aequo iugo“ interpretor: ex pari iugo. Quod Latine fieri posse non neges, si in pronomine ullus vim aliquam collectivam latere memineris; hac sententia, ut „omnes famas ex aequo iugo duci“ poeta neget, contrariumque asseveret, nullam famam ex aequo (cum altera) iugo duci. Hoc autem quid aliud est, nisi: Diversa sunt iuga, unde famae diversae ducuntur. De metaphora cf. II, 10, 22., ne Kuinoelio a iumentis ductum esse simile credas.

v. 9—16. De his versibus vid. Q. P. II, 4. p. 71 sqq. Novum autem, quod Prop. v. 9. animosus non a substantivo animus deduxit, ut esset fortis, sed ab anima, ut vitae plenum significaret, qua voluntate, neque tamen ad animam et vitam humanam translata, occurrere etiam ap. Virg. Georg. II, 444. videtur, et ni fallor ap. Ovid. Amorr. I, 6, 54. Metam. VI, 134. Unde recte Gloss. vett. animosus,

animalis, ἔμψυχος. Spirantia aera Virg. dixerit, ut noster II, 31, 16. vivida signa, ubi v. comm. p. 210 sq. Neque igitur iniuria titulum imaginis Alexandri Lysippeae conferunt: *Ἀνδασοῦντι δ' ἔοικεν ὁ χάλκεος εἰς Μία λεύσσων* — Plutarch. de Alex. virt. II, 2. Erat enim hoc Lysippi suaeque familiae proprium, ut salvo summo artis decore summam tamen in imitanda natura veritatem affectarent. Cf. Quintil. XII, 10. C. O. Müller. de Archaeol. p. 114. §. 130, 1. Winckelm. Opp. X. c. 1.

v. 12. Non ineptam sententiam praebere versum sic, ut in codd. legitur, scriptum patet. Satis enim, eum qui parva tantum arte laudem adeptus sit (argutias vultus, elegantiam capilli, venustatem oris et circa extremas lineas curam intelligas, de quibus vid. Plin. N. H. XXXV, 36, 5.), inter tantos artifices locum sibi vindicasse. Verius tamen credo Lachmanni inventum: parva vindicat arte iocum. Nam in ὑπαρογραφίᾳ inter primos Graecorum pictores aemulum non habuisse Parrh. videtur. Cf. Plin. l. l. s. fin.: Pinxit et minoribus tabellis libidines, eo genere petulantis ioci se reficiens. Add. Sueton. Tiber. XLIV. Latinum autem esse „iocum vindicat", Ovid. docet Ep. ex Pont. IV, 1, 33.: Vindicat ut Calamis laudem, quos fecit, equorum, mixta ni fallor versus huius et 10. imitatione. Tamquam proprium igitur inventum suum ioca parva arte expressa vindicare sibi Parrhasius dicitur. parta — arte Scaligeri inventum et languet nec Latinum est. Pyreicum denique Beroaldi coni. non tam absurda est, quam Broukh. vult. Cf. Plin. N. H. XXXV, 37. Neque igitur olim Pico principi displicuit, nec nunc Welckero ad Philostr. I, 31.

v. 13. Admirabilis est Marklandi error, qui in notis a Burmann. vulgatis argumenta magis pro maiora argumenta dictum censuit, eamque locutionem Plautino ore quam Propertii digniorem hoc adeo Martialis exemplo approbare conatus est (XIV, 189.):

Cynthia facundi carmen iuvenile Properti
Accepit famam, nec minus ipsa dedit.

„i. e. nec minorem." Verbum non amplius. Quamquam interpretes illud decretum recinerunt. Nec tamen nunc credo quemquam dubitaturum esse, quin apud opifices argumenti nomine actus significetur, qui crebrioribus figuris et dispositione concinna gestibusque ad certum motum consiliumque comparatis cernitur. Hac igitur arte Mentor ceteris excelluit, quibus fortasse absoluta formarum pulchritudine, quamvis quieta illa et ab actu remota, minus curiosus cessit. Recte hanc vocis significationem perspexit C. O. Müller. de Archaeol.

p. 377. n. 4. et citra dubitationem posita res coll. Quintil. V, 10, 10. qui postquam de argumentis scriptorum egit, haec addit: Nec mirum, cum id inter opifices quoque vulgatum est. Unde Virgilius (Aen. VII, 791. de Io iamiam in vaccam abitura et ab Argo custodita): Argumentum ingens: — vulgoque paulo numerosius opus (i. e. quod crebrioribus, quam debebat, figuris repletum est) dicitur argumentosum. His adde quos iam Burmann. citat, de accurata tamen, ut solet, interpretatione securus: Cic. Verr. IV, 56. Ovid. Metam. VI, 69. de opere textorio Petron. Satyr. 88. Unde non inepte iam Passerat. argumenta „fabulas vel historias picturae additas" interpretatus est.

v. 14. Myos Itali XV. saeculi videntur emendasse. Antea enim in codd. et usque ad Volscum in libris ed. portenta nominum legebantur.

v. 15. Difficultatem loci non senserunt priores interpretes: Lachmannus qui sensit, desperavit. Nam non nimium ipse coniecturae suae confidebat: Phidiaca ars signo te, Iupiter, ornat eburno. Neque iniuria. Nam ne de absurdis aliorum interpretationibus dicam, Iovem, „quotiescunque maxime ornare se vellet, induisse statuam illam Phidiacam": aperta res erit, si Iovem Phidiacum intelligas deum mente artificis conceptum et quodammodo praeformatum, qui ut vitam dignumque tam praeclara ἰδέᾳ corpus acciperet, signo se induit Olympico. Plenas autem numinis sui statuas habitas esse Io. Philopon. docet c. Iamblich. *περὶ ἀγαλμάτ.* ap. Phot. Biblioth. p. 185. ed. Hoeschel., quem Winckelm. citat Histor. Art. IV, 1, 15.

v. 16. Praxitelen propria vindicat urbe lapis. Non iniuria tentatus versus. Pr. Parius coni. Beroald. Paria Broukh. „Ego nihil corrigere audebam, et quia Pentelico marmore Cnidiam alii factam memorant et quia Praxitelis patriam non novimus, eam autem propriam urbem nominare poterat." Haec *Iacob.* placuitque ea sententia Silligio Catal. Artif. p. 380. Neque igitur ego in re tam obscura temere quid corrigere ausus sum. Quamquam quominus prorsus assentiar Iacobo, plurimae causae defendunt. At hoc quidem verum, Pario lapide Venerem Cn. factam narrari in dialogo, qui „Amores" inscriptus vulgo sed puto falso Luciani nomine circumfertur, c. 13. Nam verus Lucianus marmore Pentelico sculptam refert Iov. Tragoed. 10. Pentelico etiam factum aliud signum vix fama inferius Venere Cnidia, Amor *ἀνάθημα* Phrynae meretricis (Iulian. Or. II. p. 54. C. Spanh. C. O. Müller. de Archaeol. p. 109. cf. Pausan. I. Attic. XX.). Hoc, ut alia quoque opera eius com-

plura, Athenis fuisse et Plinius auctor est N. H. XXXVI, 4, 5. et Pausan. l. l. c. 20. 30, 8. passim. Cf. Boeckh. C. I. 1604. Hinc et quod patria Praxitelis non commemoratur a vett., Atheniensem eum fuisse non iniuria suspiceris. Nam qui Andrius appellatur Praxiteles a Damageta ep. Anth. Pal. p. 258. n. 355. Anu. Br. II. p. 40. n. 12., eum non sculptorem sed ignotum quendam poetam fuisse, recte censet Iacobs. An. ad Anth. Gr. II, 1. p. 115. ad Anth. Pal. III. p. 302. At propria urbe pro patria urbe dici insolens est, nec puto Latinum. Itaque ego olim, quod tamen Puccii codice probatur, scribendum duxi propria — arte. Unde haec sententia efficiatur: „Propria ars Praxitelis et qua plurimum excelluit, sculptura est, quamvis etiam statuarius non infimam laudem tulerit. Itaque lapis i. e. marmor tamquam suum sibi artificem illum vindicat.“ Nam Plin. XXXIV, 19, 10.: Praxiteles quoque marmore felicior; ideo et clarior fuit. Fecit tamen ex aere pulcherrima opera. Add. XXXVI, 4, 5.: marmoris gloria superavit etiam semet. Diodor. XXVI. Ecl. 1. p. 152. Wess.: *Ὁ καταμίξας ἄκρως τοῖς λιθίνοις ἔργοις τὰ τῆς ψυχῆς πάθη.* At ne sic quidem rem confectam esse censeo. Primum enim vix intelligas, quomodo, cum versus simillimus (12.) tam vicinus esset, hic ad unum omnes librarii ab arte ad urbe aberraverint, illic intactam reliquerint eandem vocem. Deinde versus hos argumento nihilo, quam ceteri (8—15.) sunt, similiores ad singula fere verba pariter exprimi, non modo non poeticum aut pulchrum esse existimo, sed ludicrum et paene puerile. Itaque aut ego vehementer fallor, aut iam in verbo vindicat a librariis peccatum est, facillimo quidem et qui ubique fere deprehenditur lapsu pro littera *t — c* rescribentibus. Hinc emendo: Praxitelen patria venditat urbe lapis, hac sententia: Praxitelen Atheniensem lapis Atticus, i. e. marmor Pentelicum unice commendat, hoc auctore superbit, hunc unice venditat et iactat. p̄tria et p̄pria quam simili compendio in libris mss. exaretur, satis notum est. De solemni confusione vocum venditare et vindicare (vendicat Groning. habet) iam Burm. dixit coll. Interpp. Iustin. V, 3. Burm. patr. ad Lucan. VIII, 675. Ceterum urbem pro regione subdita sive pro urbe et agro dici et ablativo originem significari, satis iam Broukh. demonstravit. Add. El. III, 11, 53.

v. 17. Est quibus, unum Latinorum Propertium Graecos sectatum dicere ausum esse docuimus Q. P. II, 6. p. 138. Add. Broukh. ad h. l. Illud vero concurrit palma admodum concinne et puto sine exemplo dictum a Propertio.

Cave tamen interpretibus credas, concurrit idem esse quod „simul currit“, scilicet quod, „sicuti quadriga currit, ita sequatur illam victoria.“ At palma in meta demum proposita. Tu vero concurrere ad proportionem verbi contingere formatum esse puta, ut simul celeritas, qua certamine curuli victor palma potitur, efficacius significetur. Poetae enim saepissime, speciem tantum tuiti, quae esse videntur, tamquam revera sint fingunt, et dum illudentem sensibus naturam imitantur, sub oculos quodammodo audientium narrata subiiciunt. Hinc illud IV, 6, 15.:

Est Phoebi fugiens Athamana ad litora portus.

Ovid. Met. VIII, 139.: Unda sonat; mecum simul ah! mea terra recedit. Cf. ibid. XI, 466. Virg. Aen. III, 72. Itaque quae firma stant cum vehementia continui motus ipsa admoveri vel removeri hominibus videantur, prout ipsi vel occurrunt vel recedunt, palma quoque aurigae acrius nitenti advolare a meta et obviam concurrere egregie et γραφικῶς et ad veritatem accommodate fingitur.

v. 18. Iterum hic interpretes Propertio deliciolas suas enallagen obtrudunt: gloria enim nata in pedes pro pedes nati in gloriam dictum esse praedicant. Scilicet usum praepositionis in maxime Propertianum ignoraverunt, qui simplici dativo proximus finem et eventum significat rei. Cf. Q. P. II, 6. p. 134 sq. Hoc igitur Propertius ait: gloriam quidem omnibus illis, qui eam qualicunque modo assequuntur, natam esse; indolem tantum differre, qua comparetur. Itaque aut ingenio aut manibus aut adeo pedibus eam tribui et his partibus (sive in has partes), prout quisque excellat, natam videri.

v. 20. sequitur. Broukh. scilicet ne ullus versus intactus maneret, sequimur correxit. Nos simplicitatem amplexi, id quod omnes codd. tuentur, probum et Latinum sequitur cum Lachm. scripsimus.

v. 21. vitae praecepta Kuin. explicat praecepta, quae dat tua vita, exemplum tuum: immo praecepta sunt, ad quae tu vitam tuam derigis. Vivendi praecepta Cic. appellat pro Flacc. 42. s. f. Alius tamen dixerit tuae vitae praecepta. Sed cf. ad El. III, 21, 28.

v. 22. Cogor. Heins. et Broukh. Conor. Sed rectius alterum: Nam cum uterque, et Maecenas et Propertius, pariter humilem conditionem expeteret, Maecenatem in tanto fortunae fastigio positum ita penitus latere non potuisse, sed necessario a tam modestae laudis aemulo superatum esse, ratio aperta cogit. — Simillimo modo noster verbo cogor utitur

I, 1, 8.: Cum tamen adversos cogor habere deos; fata enim volunt. I, 7, 8.: Nec tantum ingenio, quantum servire dolori cogor. I, 18, 8.: Nunc in amore tuo cogor habere notam. Add. I, 12, 14. I, 16, 13. I, 18, 30. III, 21, 1. 18. I, 5, 19. 29. His credo exemplis fretus Marklandus in notis mss. Prop. cogor superare pro simplici supero dixisse praedicabat. Sed cf. comm. ad IV, 3, 37.

v. 23. 24. secures et iura — ponere. De zeugmate hoc Propertiano cf. Quaestt. II, 6. p. 132. Quamquam ponere iura, modo ne ius dicere illud interpreteris, nihilo audacius dictum est, quam ponere leges Horat. Sat. I, 3, 105. Iura enim a legibus eo tantum nomine differunt, quod illa generatim dicuntur, hae scripta iura maxime continent. Cf. Serv. ad Virg. Aen. I, 507.: iura dare autem magistratuum summorum est, non quatenus iudicant, sed quatenus ius civile edictis suis et decretis augent. Cf. ad El. IV, 11, 18. Idem igitur est, quod condere, componere leges.

v. 25. Medorum — hostes. hastas Burm. satis ingeniose; nec minus docte Lachm. astus. Nec tamen quicquam muto. Cf. de usu hoc genitivi maxime singulari Q. P. II, 6. §. 20. p. 139.

v. 28. faciles opes quae essent, nemo docuit, nisi quod adiectivum pro adverbio positum quidam praedicat. At facile est, quod usui bene cedit. Metaphora sumpta a sequaci et lento vimine; unde primum ad animum translata notio humanum significat et obsequens ingenium. Cf. I, 9, 15.: facilis copia, ub. v. comment.

v. 29. tenues — umbras. Non futuros fuisse credo, qui de hortis Maecenatis cogitarent (coll. Albinov. in obit. Maecen. v. 16.), si dicendi genus maxime Propertianum reputassent, quo ille veram metaphorae sententiam uno seu proprio verbo intermixto significare solet. Tenues igitur umbrae non dictae sunt quasi minus obscurae, sed quales tenuem vitae conditionem a Maecenate expetitam deceant. Umbrae igitur translate, tenues proprie positum est. Quo de genere cf. Q. P. II, 6. §. 27. p. 148. Comm. ad El. III, 3, 1. III, 1, 4. Sed haec in verbo (ῥήματι) iam magis usu accepta. De substantivo cf. comm. ad IV, 6, 8. Rarior etiam, ut hic, adiectivi usus. Memorabile tamen exemplum ap. Ovidium est Ep. ex Pont. II, 8, 24.: Iustaque vindictae supprime lora tuae.

v. 34. tropaea fides. Cf. Q. P. II, 6. p. 156.

v. 36. Tuta sub — flumine mora. Optime Lachm. dum Tuta ex Gron. recipit, aliis subabsurde tota exhibentibus, tamen in fine vers. mora defendit coll. Ovid. Heroid. XIX, 9.

Valer. Flacc. II, 303. Virgil. Ecl. X, 11. Prop. El. I, 11, 10. Ratis tamen sat antiquus error videtur esse, utpote etiam in Italorum libris obvius et a tali librario primum commissus, qui exemplar suum non tam oculis vel auribus sequeretur, sed animo et cogitatione. Hinc quoniam toto loco de navigiis agebatur, quomodo vox ratis in ordinem venire potuerit, facile apparet. De altera vero scriptura eaque difficiliori mora minime. Iam vero de praepositione sub diximus Q. P. II, 6. p. 135. Nec inepte idem Lachm. comparat Stat. Thebaid. III, 407.: Sol — lavabat Caeruleo sub fonte comam. Quamquam illic magis proprie dictum accipere possis. Sed plane huc pertinet sub valle toties a poetis dictum. Cf. Ov. Fast. IV, 427. IV, 703. Tibull. II, 3, 9. Add. Burm. ad Ovid. Met. I, 689.

v. 37. sedisse recte cum Ruhnken. (ap. Burm.) tuetur Iacob. pro altero sidisse, quod a Broukh. est, ne cum Iacobo dubites. Nam praeterita verborum sedeo et sido tam cognata sunt significatione, ut pro sidisse alterum sedisse promiscuo paene usu venisse videatur. Cf. Stat. Silv. II, 5, 200. prorsus ad nostrum exemplum: Nondum rogus ille deorum sederat, ubi frustra libris adversis siderat Markland. coni. Claudian. IV. Cons. Honor. 628.: Submersae sedere rates. Tac. Ann. II, 47.: sedisse immensos montes. Atque adeo praesenti tempore Plin. N. H. XVII, 2.: nives sedent pro considunt. Add. Drakenb. ad Sil. V, 3. Buenemann. ad Lactant. VII, 3. Et ita iam Priscian. X, 5, 29. p. 494. Kr.: „Sed utimur praeterito sedeo verbi pro supradicti quoque verbi (sido) praeterito.“ Frustra igitur argutantur Burm. ad Lucan. I, 207. V, 226. et Arntzen. ad Plin. Panegyr. XVI, 5. Gronov. Observv. IV, 16. Paterni deinde cineres sunt cineres bellis civilibus conflati. Nam paternus est patrius, i. e. ad patriam pertinens. Hor. Od. I, 20, 5.: paterni fluminis ripa, ub. v. Interpp. Add. El. IV, 2, 2.: Accipe Vertumni signa paterna dei. Patrii autem cineres fuerint, quos ipsa patria vel cives sibi conscíverunt. Sic II, 7, 15.: patrii triumphi sunt tr. a civibus reportati. Sic πατρῷα et πάτρια Graece confundi docent Interpp. ad Xen. Cyrop. I, 1, 4.

v. 38. septem verissimam Lipsii coni. pro semper recipere non dubitavi, argumentis apertis. Nam „semper“ illud, quoquo verteris, languebit. Mirum autem Passeratii artificium, qui semper — praelia per ὑφ' ἓν coniunctum voluit.

v. 39. Omnia turbant, qui Broukh. obsequio ducti, dum pro arces omnibus codd. adversantibus hic artes reponunt,

v. 42. contrariam rationem secuti arcis pro artis rescripserunt. Nam Pergama — artes Apollinis dici Latine non possunt; vix enim ars. Id enim, quod illi significatum volunt, opus est. Et sic opus Troiaflorum, Neptuni et Apollinis monumenta ea appellat Dictys Cretens. B. Tr. V, 11. ipso Burmanno citante. Sic etiam ap. Ovid. Met. XII, 593. Neptunus ad Apollinem: Vivit adhuc operis nostri populator Achilles. Contra rectissime idem paullo supra v. 586.:

Irrita qui (Smintheus) *mecum posuisti moenia Troiae,*
Ecquid ut has iamiam casuras adspicis arces,
Ingemis?

Add. comment. ad El. II, 28, 54. Contra quibus exemplis illum vocis „artes“ usum probare instituerunt Broukh. et Burm., ea ab hoc loco aliena sunt ut quae maxime, velut si venatio — artes Dianae vocantur, rursusque (Horat. Od. IV, 8, 5.) artes, quas aut Parrhasius protulit aut Scopas. De altero versu 42. et equo „Palladis arte“ (Virg. Aen. II, 15.) aedificato (τὸν Ἐπειὸς ἐποίησεν σὺν Ἀθήνῃ Od. Θ'. 493.) satis iam Lachm. egit.

v. 40. decimo. Callide annorum rationes subduxisse sibi visus Broukh. scripsit undecimo. Sed hoc non modo accuratius esse quam quod poetam deceat, sed ne verum quidem, Lachm. coll. Od. Ξ'. 240. docet:

Ἔνθα μὲν εἰναέτες πολεμίζομεν υἷες Ἀχαιῶν,
Τῷ δεκάτῳ δὲ πόλιν Πριάμου πέρσαντες ἔβημεν
Οἴκαδε.

et sic Nestor (Od. γ'. 118.):

Εἰναέτες γάρ σφιν κακὰ ῥάπτομεν ἀμφιέποντες
Παντοίοισι δόλοισι· μόγις δ' ἐτέλεσσε Κρονίων.

v. 41. 42. Moenia — pressit aratro — equus. De audacissima hac metonymia, cui par alterum exemplum invenisse me non memini, vid. Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 153. Interpretes tamen sicco, ut aiunt, pede transierunt. Similes locos contulimus ad El. IV, 8, 76., multo tamen faciliores. Proximus huic utique Pers. I, 106.: Nec pluteum caedit (liber). Causa enim liber diligenter scriptus est, ut pluteus caedatur. Ceterum premere moenia aratro ne per enallagen dictum interpretibus credas, cf. Ovid. Trist. III, 11, 23.: Subruere est arces et stantia moenia virtus: Quamlibet ignavi praecipitata premunt.

v. 42. arcis. cf. ad v. 39.

v. 44. Dore. Hanc Scriverii coniecturam (Animadvv. ad Martial. libr. Spectacc. ep. 31.) unice veram esse docuimus in dissertat. Halberst. a. 1836. De brevioribus enim nominum gentilium formis, quae Prop. in deliciis sunt, cf.

Q. P. II, 6. s. III. p. 163. Dorus autem pro Doriensis tanto minus offensionem habebit, quod idem nomen est atavi et ἐπωνύμου Doriensium Dori Deucalionidae. Herod. I, 56. Strab. VIII. p. 587. C. (383.) Pausan. VII, 1. Serv. ad Virg. Aen. II, 27. Isidor. Origg. IX, 2. Sic Romula vincta Prop. ait III, 11, 52. Quid multa? ipsam gentem Doros appellat Isidor. Or. IX, 2, 80. et mansit ea forma apud Romanos in cognomine Oppiae gentis, siquidem Inscr. ap. Murator. 1690, 1. C. Oppium Dorum habet; ibid. 2091, 11. Sex. Donnius Dorus. Dorum autem poetam quemvis et ipsum Callimachum dici posse si quis obiiciat, Asiae tamen regionem illis praesertim temporibus hoc nomen proprium quasi sibi vindicasse meminerit, ut ubi in universum Dorium mentio fieret, Asiani sponte intelligerentur. Philetam igitur hic significari certum est, quem utrum Coum an Rhodium dicerent, iam veteres ambigebant (Schol. Theocr. VII, 40.: Ὁ δὲ Φιλητᾶς Κῷος τὸ γένος, ἢ ὡς ἔνιοι Ῥόδιος κ. τ. λ.), quum Dorium fuisse consentirent. Scripti dure, unde Scaliger pure fecit; Lachm. ab initio versus Sit pro Si addidit. Coe ab Italis est, primum a Beroaldo receptum. Eodem librariorum errore apud Valer. Flacc. Arg. II, 573. Durica pro Dorica scriptum erat.

v. 45. Haec urant — haec urant. Verissimum Passeratii et Guyeti inventum et iam a Volsco (1488.) occupatum, prae quo alterum illud Italorum H. p. curent, h. curent, usque ad Lachmannum vulgo receptum sordet. Ita interpolatorem prodit. Urere vero est amore incendere, usu notissimo. Iniuria tamen idem Lachm. in ed. Berol. novissimum distichum huc transtulit. Praetervidit enim, non id agere Propertium ut revera res tam magnificas caneret; sed canturum esse se promittere, si factorum exempla Maecenas praeivissit (Te duce). Ille vero quoniam contractam vitam mallet, ne se quidem magna carmina ausurum, sed minore gyro contentum amatoria tractaturum esse. Hanc unam laudem se quaerere, ut Maecenatis assecla huius praecepta amplexus esse videretur.

v. 48. Eurymedonta. Libri Oromedonta, antiquissimum mendum, quod primus Huschkius (Anall. Litt. p. 320 sqq.) et hoc loco et e Theocrito (VII, 45—48.) feliciter sustulit. Eurymedon enim, non Oromedon, quem nemo veterum novit, Gigantum rex (Hom. Od. η'. 56.), qui vim inferre Iunoni ausus perpetrato, si Euphorioni fides, scelere (ap. Schol. Ven. ad Il. ξ'. 295. coll. Eustath. ibid. p. 987.) a Iove fulmine ictus (Pindar. Pyth. VIII, 15. 19.) et in Tartarum coniectus est. Eromedonta unus omnium Voss. I. apud Burm.

habet, casu credo magis, quam quod propius ceteris antiquissimum Prop. librum contigerit.

v. 49. Celsaque. Lachm. correxit Celsave, scilicet „ne Graecum argumentum una cum Romano tractare velle videretur.“ At particula que coniungit illa quidem res, nec tamen aut pares tantum, aut quae simul et uno tempore esse necesario cogitentur. Quod vero ad particulam vel v. 49. L. provocat, ea illic non est disiunctiva, sed pro adeo posita.

v. 51. silvestri ex ubere. Lupam Martiam significat, silvestrem nutricem, audaci sane metonymia de qua vid. Q. P. II, 6. §. 28. p. 152. Exemplum praeivit Callimach. qui ep. LIV. (Ernest.) nutricem ἀγαθὸν γάλα, eandemque μαστόν appellat (h. Cer. v. 96.). Similia vid. ad El. I, 6, 19. IV, 7, 63. III, 11, 56. III, 15, 3.

v. 52. Si interpretibus credamus, „sub tua iussa“ nihil aliud fuerit quam „cum tu imperabis, ut scribam.“ Quod nisi non Latinum est, certe ieiunum ut quod maxime, praeterea vero ad sententiam falsum. Nam magna scribere iam tum — sed frustra Maecenas iusserat (v. 3. 4.). Nunc hoc ait, se non aliter suum scribendi institutum mutaturum esse, nisi cum Maecenas vivendi rationem mutaverit. Tum demum illo duce maiora se ausurum. Tum epos se et annales compositurum, quibus inde a fabulosis temporibus et Gigantum bellis et Romae initiis usque ad suam aetatem et ad Caesaris et Maecenatis praeclare facta descenderet. Sic Ovid. Trist. II, 560. de Metamorphosibus suis:

Pauca, quibus prima surgens ab origine mundi
In tua deduxi tempora, Caesar, opus.

„Tum“, ait, „si sub tuum imperium (i. e. tui imperii tempora) carmine perventum foret, spiritus novos et maiores ingenium meum sumpturum esset.“ Nam ut idem ille Ovidius l. l. v. 326.: Traxissent animum sic tua fata meum. Sic et sententiarum nexus concinnus evadat, et usus praepositionis sub, quam altera instituta via cum accusativo positam aegre ferremus, ad propriam suam vim revocatur. Cf. enim quae de hac praepositionis voluntate cum utroque casu coniunctae V. D. observat ad Forcell. Lex. s. v. et B. Crusius Clav. Sueton. inde a p. 740. Recte autem non quasi carmine tantum ad ea tempora perveniat, sed quasi revera, loquitur. Nam poetae iis quae fingunt et describunt, ipsi praesentes adesse videntur. Itaque statim: Prosequor et currus cett. Cf. comm. ad II, 10, 19. II, 34, 63.

v. 54. De hoc versu diximus Q. P. III, 3. p. 227. Insolentius vero dictum tela fugae nemo interpretatus est. Nam

ex parte tantum verum, quod iudicant „Parthorum astutae fugae“ dictum esse pro „Parthorum subdole fugientium.“ Tu vero cf. Q. P. II, 6. p. 155. et comm. ad I, 1, 3.

v. 55. Castraque omnes. Claustraque Lipsius praeter necessitatem; tamen vulgo certatim arripuerunt. Primus recusavit Iacobus. Recte. Nec minus recte idem

v. 57. Mollis codd. universorum consensu revocavit. At ne catenus quidem aut Broukhusio qui Mollia invenit, aut Lachmanno qui probavit, cedere debebat, ut mollis Latine tamen dici tantum defenderet. Falsum enim manifesto alterum est. Nam quod iste El. III, 3, 18.: „mollia sunt parvis prata terenda rotis“ comparat: huc plane non pertinet. Illic enim de levibus argumentis mollibusque versibus agit (cf. comm. ad e. l.): hic vero, quodcunque genus poesis culturum esse se spondet, modo Maecenas secum currum ascendat, frenosque suos moderet. Haec enim metaphora quid ad poesin valeat, uberrime comm. El. III, 1, 9. exposuimus. Maecenas igitur, qui Propertio ingenium dat vel demit, instar Musae est currum poetae regentis. Hinc iam quantum Broukh. inventum a vero distet existimes, qui ipsum poetam (trito sane simili) frenos mordere, a Maecenate tamen mollius tractatos censet. Tu vero cf. Ovid. Ep. ex Pont. II, 5, 75.:

Succedatque tuis orbis moderator habenis,

Denique sic demum quam recte sedeat extremum distichum intelliges, quo quodcunque opus aggressus fuerit, hoc saltem laudis expetit, ut cum Maecenate semper stetisse videatur. Quod vero mollis ideo non ferendum esse Broukh. opinabatur, quod eo nomine dissoluti Maecen. mores notarentur: falsae interpretationis culpa ea est, non vocis probae, quae idem significat quod facilis et comis. Cic. Attic. I, 14. (17.): Quanta sit in fratre meo comitas, quanta iucunditas, quam mollis animus et ad accipiendam et ad deponendam iniuriam, nihil attinet me ad te qui ea nosti scribere. Claudian. Eutr. I, 364.: facilisque moveri Supplicibus mediaque tamen mollissimus ira. Add. Virg. Aen. IV, 293. 423.

Elegia X.

v. 8. Niobe — lapis. Sic scribendum esse, non quod vulgo Niobae, locis Q. P. II, 6. s. III. p. 163 sq. congestis apparet. Niobe lapis igitur per appositionem iungenda sunt, ut II, 26, 48.: Lerne — palus. Fortius sine dubio et magis poeticum. Et sic iam Homer. Il. ω'. 617.: Ἔνθα λίθος περ ἐοῦσα θεῶν ἐκ κήδεα πέσσει — et uberius Callimach. h. Apoll. 12. quem hic noster expressit:

Καὶ μὲν ὁ δακρυόεις ἀναβάλλεται ἄλγεα πέτρος,
ὅστις ἐνὶ Φρυγίῃ δεινὸς λίθος ἐστήρικτο
μάρμαρον ἀντὶ γυναικὸς διζυρόν τι χανούσης —

quod recte brevius contraxit Propertius. Neque enim in mutatione sententiae summa posita est, sed in eo quod lacrimas lapis fundit. Cf. V. D. in Sulzeri Art. Eloquent. II, 1. p. 93. Ad v. 6. non iniuria admonent Callimach. l. l. v. 18.: *εὐφημεῖ καὶ πόντος.*

v. 11. felicibus edita pennis. De metonymia vid. Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 152. Exemplum iterum a Callimacho petitum h. Lavacr. Pall. 124.:

Γνωσεῖται δ' ὄρνιθας, ὃς αἴσιος, οἵ τε πέτονται
ἤλιθα καὶ ποίων οὐκ ἀγαθαὶ πτέρυγες.

Addunt Burm. Ovid. Fast. I, 448. Trist. I, 8, 50. Bach. Val. Flacc. I, 233.: Seu plenum certis interroget aera pennis.

v. 12. poscentes iusta precare d. Alii aliter. Lachm. poscendos ci. Quod languidum, ne dicam superfluum. Quamquam assentirer, si inter hanc coniecturam et interpretationem Burmann. optio daretur. Vulgo enim poscentes iusta coniungunt. At iusta precari solemnem in precibus formulam esse Lachm. docuit, coll. Sil. Ital. IV, 795. Ovid. Metam. XIII, 466. XIV, 785. Recte vero poscentes, ad quod verbum „iusta te precari" apud animum addi oportet. De qua verborum structura cf. II, 1, 11. Dii enim ab hominibus precibus vocari et adorari (v. 19.) volunt et poscunt. Hinc toties in inscriptionibus iussu, monitu, imperio deorum. Quem usum optime illustrat August. Civ. D. II, 24. Cf. Orell. C. I. 1793. 1445. 1475. 1210. Nec solum ut precentur homines, dii poscunt, sed etiam iusta. Unde formula illa religiosa, de qua exponunt Interpp. ad Hor. Sat. II, 6, 20. Carm. saec. 14. Catull. h. Dian. 21. Brisson. de Formul. I, 90. p. 54 sq. Et magis proprie dictum erit, si sacro somno aliove signo admonitam Cynthiam ponamus. Sic ap. Liv. VII, 26.: Precatus deinde, si divus, si diva esset, qui sibi praepetem misisset, volens propitius adesset. Illud autem confidentius hic significari dicas, quum et hunc et v. 15. cum El. II, 29, 27. comparaveris. Tum etiam quantum Broukh. erraverit intelliges, qui eod. v. 15. pro primum — pridem rescripsit, scilicet quod tenerae eius auriculae vocem primum bis intra tres versus positam non ferebant. Sed iam Lachm. renuit recte asserens, hac lege etiam caput alterutro vv. 16. vel 18. delendum fuisse.

v. 22. nares murreus ungat onyx. De metonymia sensus nostros offendente cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 153. Similia vid. ad El. III, 17, 37. Mirabilior vero *κατάχρησις*

in voce onyx, quam indicavimus Q. P. l. l. p. 152. Usque adeo propria lapidis significatio in ea voce evanuit, ut iam prorsus pro vase dicta attributum sumpserit ab alius materiae nomine derivatum. Nam onychem marmoris genus nihil cum murrinis commune habere antiquarii docent ap. Boettiger. l.l. Roloff. in Wolfii Museo Philol. II. p. 511 sqq. Boss. Litter. ad Millinium in Horreo Encyclop. Paris. 1807. Tom. IV. p. 91. Becker. Gall. T. I. p. 149. quam qui contra, quamvis frustra disputaverunt, velut Lanjuinais. contra Bossium in Horreo Encyclop. l. l. 1808. p. 110. Nec tamen aliter Graecum *πυξίς* de unaquaque arca vestibus condendis destinata. Cf. Viscont. Mus. P. Cl. T. I. p. 115. interp. Gall., quem usum ubique obvium iam Quintilian. ubi de Abusionis figura agit observat, Inst. VIII, 6, 35. Alabastritae contra, quae ipsa vox idem sonat quod hic noster onyx, contraria tamen ratio est. Hoc enim nomen lapis a vasis unguentariis invenisse videtur, non vasa a lapide. Cf. Interpp. ad Plin. N. H. XXXVII, 10.

v. 26. aura. Sic scripti omnes. ora ab Heinsio est.

v. 27. Non satis recte hunc cum seq. v. interpretati sunt. Solebant enim veteres nomina amorum in alea invocare. Cf. Plaut. Asinar. IV, 1, 35. et apertius ibid. V, 2, 54. Si quando deos insuper invocarunt, id quod Becker. Gall. II. p. 238. coll. l. Plautino cum eiusd. Curc. II, 3, 77. collegisse sibi videtur, hoc ut propitius esset iacienti fiebat; neque igitur is mos ad nostrum locum pertinet. Ceterum v. 28. gravius pro gravibus Beroald. invenit; ingeniose sane, quamquam non dignum, quod I. H. Vossio recipiendum videri deberet. Neque enim omnes convivae amaverint necesse est, nec de se solo et Cynthia poeta loquitur.

v. 31. Ipsis igitur natalibus Cynthiae amores iunxerant; eoque ipso die puella, uno anno ante tunicam ostrinam induta, dum ad Vestae precatum it, Propertii oculos ceperat. Vides, cur preces et sacra nunc quoque dii poscant.

v. 32. sic peragamus iter. Groning. ter: quod a Lachm. receptum finem tenerrimi carminis turpiter videtur inquinare. Sed apertus librarii lapsus qui oculis ad finem versus aberrantibus, fortasse etiam v. II, 33, 22. memoria subeunte cum sonitu obscoeno tum sententia versum perdidit. Natalis autem iter, de quo Lachm. dubitat, non minus Latinum est, quam Vitae liberioris iter (Ovid. Fast. III, 778.), amoris iter (El. III, 15, 4. coll. II, 30, 14.) et quae ex Valer. Max. VIII, 8, 1. (iter vitae aestuosae) Ovid. Trist. III, 4, 33. contulerunt, Graeco etiam *ὁδός* in partes vocato ap. Aesch. Choeph. 790. Eurip. Orest. 632. Phoeniss. 922.

Elegia XI.

De dispositione huius carminis et de nexu sententiarum in fine potissimum enthymematis intricato, sed ea ipsa causa simul maxime nervoso, cf. Q. P. II, 6. p. 127 sq.

v. 5. noctem. Verissima haec scriptura optime, quam caute in fide Italis abroganda agere debeamus, docet. Firmatur enim praeterea Nestoris auctoritate. At ne ferri quidem posse communem reliquorum librorum errorem: mortem Lachmanno concedendum est. Mors enim omnibus communis, nec cur nauta melius, quam aut miles aut amator eam praesagiat, intelligitur. Quin immo si perito fides est (II, 27, 11 sq.):

*Solus amans novit, quando perituru*s *et a qua*
Morte: neque hic Boreae flabra, neque arma timet.

Contra tempestates venturas noscere, nauticae solius artis est. Hinc etiam quid melius illud velit intelligas, de quo iniuria vel Markland. vel Lachm. dubitabat. Alter enim vetulus, alter pavidus reponere maluit relictis prorsus librorum vestigiis. Hoc autem poeta ait: suae cuiusque artis pericula optime qui didicerit, cavebit. Nauta procellas, miles vulnera, amator divortium melius evitabit. Nam metum v. 6. iustum metum, homine prudente dignum, i. e. cautionem non formidinem dici v. 8. docet, quo timorem discere amicum iubet. Nec te moveat, quod in universum metum habere miles dicitur. Nam qui per vulnera timere didicit, hunc a vulneribus timere, sponte intelligitur. Quare addere id in tanta nostri breviloquentia supervacuum erat. Neve tu, ut tamen vulnerum metum vel simile aliquid dixerit, temere postules. Post brevitatem enim varietatem potissimum dicendi sectari Propertium, et alibi docuimus et Q. P. II, 6. s. II. §. 15. p. 130.

v. 9. Luxuriantia hominum nostratium ingenia ex adamantinis aratris gemmea fecerunt. At ferrea dici certum est. Cf. Hesych. s. v. *Ἀδάμας γένος σιδήρου.* Aesch. c. Ctesiph. p. 65. Steph.: *χαλκοῖς καὶ ἀδαμαντίνοις τείχεσι τὴν χώραν ἡμῶν ἐτείχισε.* Hesiod. Scut. 136. Plura dabit H. Steph. s. v. Muncker. ad Hygin. f. 22. p. 59. et qui singularem de hac voce libellum composuit Maur. Pinder. Berol. 1829.

v. 13. quondam. Unus Mentel. contra, quod unde factum sit, Groning. liquido declarat. In ordinem tamen illud receptum a Broukh., qui veteres, quid venustum sit, quid absonum, docere solet, vulgo in editionibus haesit. At illi non tam delicatuli.

v. 15. cassida. Versus pro exemplo rarioris formae

est ap. Charis. I. p. 79. Burm. addit Prisc. VI. pp. 689. 708. Putsch. Stat. Theb. IV. p. 302. Apulei. X. p. 233. Voss. de Anal. 29. Interpp. ad Virg. Aen. XI, 775. Plura dabunt Muncker. praefat. ad Hygin. et Schneider. de Elem. L. L. p. 272. Nec tamen ideo Boherius Eleusina, quod Chronic. Euseb. p. 167. legitur, Ciceroni Tusc. I, 42. obtrudere debebat. Ceterum cf. Q. P. II, 6. s. III. p. 162 sq.

v. 16. vicit victorem. V. Q. P. II, 6. s. II. §. 31. p. 161.

v. 17. Omphale in. Unus Mentel. Omphale et in, quod non debebant probare critici. Nec Iacobus commisit coll. Schneider. de Elem. L. L. I. p. 105. 135. not. *). Add. eund. p. 146. Q. P. II, 6. s. IV. p. 179. Wagner. Quaestt. Virg. XI, 3. p. 420 sq.

v. 23. missi libri omnes. misit Itali quidam correxerunt (nam ante Beroald. iam Reg. habet), scilicet qui ambitum per duo disticha circumductum non sentiebant. immissi, ne dubites, a Dousis est; nam necdum in Scaligeranis comparet, neque in Henricpetr. a. 1569., quae proxime eas praecedit.

v. 24. Ne pro ut non positum esse nemo sensit. Qui usus post verba facere et consequi satis vulgatus (cf. Krüger. Gr. L. L. p. 780. §. 573. not.) ceteroquin a grammaticis non observatus est. Et est sane rarissimus. Cf. tamen Plaut. Epid. II, 2, 98.: Iam igitur amota ei erit omnis suspicio, ne gravetur, quid siet. De usu praepositionis ab ablativo q. d. instrumenti proximo vid. Q. P. II, 6. p. 134. Huc maxime pertinet Ovid. Met. X, 731.: cruorem Nectare odorato spargit, qui tactus ab illo Incaluit. Fast. V, 676.: lauro sparguntur ab uda. Metam. V, 546.: fulvis amicitur ab alis. Tacit. Ann. VI, 35.: quos a propioribus vulneribus pedites afflictabant. Add. comm. ad El. IV, 1, 126.

v. 26. surgere. Veram puto Io. Schraderi et Burm. patrui emendationem subdere, quam ne in ordinem reciperem, ea prohibuit dubitatio, an forte in tanta Orientis historiarum discrepantia hoc quoque reginae fabulosae factum a quibusdam auctoribus nunc deperditis traditum fuerit. Nam quae eo nomine Kuin. collegit vett. testimonia, contrarium potius probant.

v. 27. Nam quid. Vulgo pro quidnam dictum interpretantur, non modo contra usum Propertii et aequalium poetarum, sed etiam rupto sententiarum nexu. Tu vero de particulae huius significatione cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 14. p. 129. Hoc enim proprium utriusque linguae, ut coniunctiones causales nam et enim non causam dicti ipsius, h. i. eius rei quae verbis illustratur, sed verborum quibus res decla-

ratur, contineant; utque non cur res sit, sed cur de ea re dictum sit, demonstrent. Sic saepissime post invocationes, solo vocativo praemisso. Virg. Aen. I, 65.: Aeole — namque tibi divum pater atque hominum rex Et mulcere dedit fluctus et tollere ventos. Ubi cave cum interpretibus insequentium demum verborum rationem reddi credas. Qui usus interdum obscurior, non raro transversos egit interpretes. Sic Quintil. II, 4, 19.: Sit in utramque partem ingens ad dicendum materia, ut de serpente quo Scipio traditur genitus, et lupa Romuli et Egeria Numae; nam Graecis historiis plerumque poeticae similis est licentia. Ubi nequaquam hiulca videbitur oratio, si nexum sententiarum sic apud animum expleveris: Hos enim (sunt autem soli Romani) ideo nomino, quoniam Graecis historiis — est licentia (hos igitur merito praetermitto). Eodem plane modo Cic. N. D. I, 33.: Zeno quidem etiam litigabat; quid dicam Albutium? nam Phaedro nihil humanius i. e. illos solos affero (hunc utpote notum taceo); nam. ibid. III, 5.: Nonne ab A. Postumio aedem Castori et Polluci in foro dedicatam: nonne senatusconsultum de Vatieno vides? nam de Sagra Graecorum etiam est vulgare proverbium. Hinc illud nam eam significationem traxit, ut si quid praetereundum esset, quod aut non ad eum locum pertineret, aut per se intelligeretur, cum eleganti quadam negligentia poneretur. Sic Cic. l. l. c. 34.: Omnis cultus et curatio corporis erit eadem adhibenda deo, quae adhibetur homini: ingressus, cursus, accubitio, inclinatio, sessio — cett.; nam quod et mares deos et feminas esse dicitis, quid sequatur videtis. ibid. c. 42.: Quid est autem, quod deos veneremur propter admirationem eius naturae, in qua egregium nihil videmus? Nam superstitione, quod gloriari soletis, facile est liberari, cum sustuleris omnem vim deorum. Adde Quintil. IV, 1, 10. qui locus in interpretationem eius proprietatis veluti de industria comparatus videtur: Videndum etiam, ne contumeliosi cett. in quenquam hominem ordinemve videamur, praecipue eorum, qui laedi, nisi adversa iudicum voluntate, non possunt. Nam in iudicem ne quid dicatur — stultum erat monere, nisi fieret. — Proxime vero nostro Stat. Silv. II, 1, 210 sqq.:

Obeunt noctesque diesque
Astraque, nec solidis prodest sua machina terris.
Nam populos, mortale genus, plebisque caducae
Quis fleat interitus?

Iure igitur suo Markland. praefat. libr. IV, 14. nam contra Domitium tuetur, collatis Epith. Stell. v. 171. Praefat. I. I. Plin. N. H. XIV, 1. s. fin. quamvis ipse tantum abesset ut

usus eius causam perspiceret, ut „dissimillimas saepe res hac particula connecti et orationem ad res diversas transferri“ satis haberet annotare. Ceterum eidem causae compositum At enim significationem suam debere prudentibus indicasse satis est. — in crimine optimis libris tutum retinui, non quo cum Broukh. promiscuum in ea praepositione casuum usum crediderim, sed quia in cum ablativo coniunctum, ubi alii simplicem ablativum maluerint, Propertianum esse comperi. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 17. p. 134. Iudiciale autem verbum proprie est raptare. Hinc in accusandi et convitiandi notionem transiit. Cf. Interpp. ad Plaut. Amphitr. Argum. 2. Aulul. IV, 4, 5.

v. 29. vexerat. Unus verum servavit Mentel., quod tamen in perpetua harum formarum confusione ex ceteris pulsum vix mireris.

v. 31. Coniugis. Primus ex libris Propertio reddidit Iacob. Recte. De genitivo enim Propertiano vid. Q. P. II, 6. p. 139. Unus, quantum scio, Iuvenalis similiter eo casu usus est, non minus quam Prop. ea causa ab interpretibus vexatus, Sat. XII, 32.: Cum — Arboris incertae nullam prudentia cani Rectoris conferret opem. Ubi arboris incertae cum opem iungere ne dubita, quamvis dativum alius maluerit. Ne autem nimis remotum substantivum credas, cf. v. 40.: alias (vestes), quarum generosi graminis ipsum Infecit natura pecus. Add. ibid. v. 62.: tempora postquam Prospera vectoris. Quanto enim proclivius erat post prospera vectori scribere. Ad rem ipsam et historiam locis ab interpp. collatis adde Cass. Dion. L. 4.: *Διὰ οὖν ταῦτα ἀγανακτήσαντες ἐπίστευσαν ὅτι καὶ τἄλλα τὰ θρυλλούμενα ἀληθῆ εἴη, τουτέστιν ὅτι ἂν κρατήσῃ τήν τε πόλιν σφῶν τῇ Κλεοπάτρᾳ χαρίσεται καὶ τὸ κράτος εἰς τὴν Αἴγυπτον μεταθήσει.*

v. 33. Alexandrea. Iacob. suspicatur Alexandrina, quod Italorum quidam exhibent. Sed recte Alexandrea, urbs cum ditione sua. Sic Ovid. Ep. ex Pont. I, 3, 8.: Exulibus tellus ultima Tibur erat. et noster III, 22, 20. Roma et tellus iuxta ponit. Cf. ad El. III, 9, 16.

dolis aptissima. Non solum, uti interpretes censent, „quia illic perfidia et dolo Ptolemaei interiit Pompeius, et Iul. Caesar eius insidias aegre evasit,“ sed propter innatam Aegyptiis malitiam, unde Theocrit. Id. XV, 50. Alexandrinos appellat: *ἐξ ἀπάτας κεκροταμένους ἄνδρας Ἀλλάλοις ὁμαλοὺς κακὰ παίγνια*, h. e. qui ludibrio alios habent. Cf. Iacobs. Anim. ad Anth. Gr. T. X. p. 47. Hinc explicandum censeo Stat. Silv. III, 2, 111. cum „Memphin invi-

dam" dicat, interpretibus varia et partim nimis docta coniectantibus, Memphin enim, ut hoc ipso loco Propert., nota metonymia dicit, quod antiquum regni caput fuerat.

v. 34. toties ait: Magni caede, bello Caesaris Alexandrino, et Antonianorum tumultu.

v. 35. detraxit arena triumphos. De eleganti hac metonymia cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 153. Locus enim, ubi aliquid fit, ipse interdum effecisse illud videtur. Quo in genere audaciora quaedam collata invenies ad El. IV, 8, 76. Simillimum tamen Tibullianum illud (II, 5, 43.): Illic sanctus eris, cum te veneranda Numici Unda deum coelo miserit indigetem; quasi ipse fluvius Numicius deum fecerit Aeneam.

v. 36. Hunc versum cum 40. Lachm. mutavit, quoniam alioqui Propertio verendum fuisset, „ne contumeliose in Augustum diceret." At nobis omnia contra videntur. Nam quod Pompeii caedem aeternam Romae maculam ait, quid hoc ad Augustum? L. enim Septimii gladio ille cecidit. Hoc vero dedecus nominis Romani sempiternum, quod civis Romanus, quod commilito abiectissimorum hominum contagione et fraudibus contaminatus imperatorem suum proditor percussit. Quodsi qua inde memoria Octavianum contigit, honestae illae erant Caesaris patris lacrimae tanti viri vices miserantis: et laus ea erat domus Augusteae, non ignominia. Contra nota a Cleopatra nomini Romano inflicta nequaquam caruit Caesaris culpa, neque aeternam eam Propertius dicere poterat, nisi manifesto Octaviani opprobrio. Hic enim nihil praetermisit, quin patris errores emendaret et fastidio meretricis debitaque poena maculam illam deleret.

v. 37. De zeugmate, quod in voce melius latet, cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 15. p. 130.

v. 39. Canopi. „Apud poetas passim pro Aegypto ponitur, ut h. l." *Kuin.* Immo hic portus ante omnia spurcissimorum hominum congluvie infamis erat. Cf. Iuven. Sat. IX, 84. XV, 46. alias.

v. 40. sanguine. Ablativum pro dativo positum falso Burm. censere Q. P. II, 6. p. 136. docuimus coll. comm. ad El. I, 17, 21. 18, 12. Nec tamen multo melius Iacob. ipsum dativum sanguini reponere voluit. Hoc enim iam historiae rationem vetare Lachm. vere perspexit, cum etiamsi una pro una omnium maxime dictum accipiamus, in tanta Ptolemaeorum scelerum illuvie meretrix ista regina (sic etiam Plin. N. H. IX, 58.) vel Vestalis videri potuerit. Rursus durissimum, quod Lachm. iussit, quem versui 35. hunc pentametrum subiecisse supra vidimus, arenam nota adustam dici,

eamque notam sanguine Philippeo inustam arenae. Quis enim, ne de transpositione versuum iterum dicam, quis inquam duplicatum hunc ablativum ferat? Miror autem veram rationem, satis in medio positam VV. DD. ad unum omnes fugisse. Nam nota adusta ad omnem periodum pertinet inde a v. 39—46. Turpia reginae ausa et miuae, Romani nominis contemptio, haec una nota est, quam sanguis Philippeus adussit! Cui autem, nisi Romae? Hunc enim dativum, cum et ex toto sententiarum nexu et ex v. 36. sponte a quolibet apud animum suppleatur, de industria adiicere supervacuum erat. Sic salva omnia. Nam quidquid cum prole Philippi (unde Ptolemaeus quoque ille Lagi originem duxit), quidquid cum Pyrrho, Perseo, Mithridate rei habuerunt Romani: una vel altera clades triumphis tanto magnificentioribus satis erat compensata, cum Cleopatra una videretur futura et vera nefando illo stirpe iusta nomini Romano macula — absque Augusto fuisset. Vides quanto egregii viri laus hac *ἀντιθέτου* arte augeatur. Ad appositionem vero illam, qua uno substantivo totum aliquod enuntiatum explicatur, cf. Ovid. Fast. I, 285.: Et vestri causa triumphi — Tradiderat famulas iam tibi Rhenus aquas. Alia nunc dabit Krüger Gr. L. L. §. 296. not. 6. p. 389. Audaciora etiam et elegantiora vid. comm. ad El. II, 16, 37. Cave tamen hoc cum alio confundas, de quo diximus ad III, 3, 4. Quamquam si neutro genere est appositio, qualia omnia sunt ap. Krügerum exempla, vix quae vera ratio sit discernas. Sic e Graecis illud est Aesch. Suppl. v. 204. (198.): *Καὶ μὴ πρόλεσχος μηδ' ἐφολκὸς ἐν λόγῳ Γένῃ· τὸ τῇδε κάρτ' ἐπίφθονον γένος.*

v. 45. Conopea primus invenisse videtur Beroaldus; conopium scribendum esse, si ultima corriperetur, Bentl. docebat ad Hor. Epod. 9, 16. adstipulante Heins. ad Virg. Aen. I, 201. Nam penultimae vocalem *e* in plurimis quae a Graecis descendant vocabulis *ει* diphthongum exhibentibus, corripi I. G. Vossius demonstrat, Aristarch. II. c. 33. itemque plurima esse, quae iam Graece duplicem formam exhibeant, Schneider. concedit de Element. L. L. I. p. 72. Atqui *Εἰς κωγωπεῶνα* inscriptum epigramma Paulli Silent. legitur Anthol. Gr. T. IV. p. 62. Quod vero de significatione dubitantes vides VV. DD., quibuscum ego quoque (in Animadv. ad Prop. interp. Germ. p. 309.) ab Horat. Epod. IX, 16. pro vexillo dictum accepi: prima quidem et propria significatione rete est, quod interdiu etiam passim secum circumferre Aegyptios, noctu vero ad calices arcendos spondis praetendere solitos esse Herodot. II. p. 146. testatur, quem commode adhibet Iacobs. Animadv. ad

Anthol. Gr. XI. p. 105. Add. Schol. Porphyr. ad Hor. l. l. Hinc quomodo a mollibus militibus vel inter signa militaria vexillis nec ipsum dissimile in itinere circumferri potuerit, satis apparet. Mox usu etiam delicatiore ex tenuissimo lino confectum (Schol. Iuvenal. VI, 80.) et aureis lamellis intextum (Plutarch. Anton. p. 927.) a dissolutioribus quoque Romanorum usurpabatur. Hac autem significatione hic dictum si accipias, magnitudo opprobrii apparebit, quum circa tribunal Praetorium tentorii instar conopeum tendere velle Cleopatra arguitur. Tertia denique vocabuli notio, cum propter frequentissimum in lectis dormitoriis usum (qua de re cf. Epigr. Paull. Silent. Anth. Pal. IX, 764. 765. Agathiae ibid. 766. Anu. Br. l. l. et p. 61. Anth. Gr. p. 31.) pro ipsis his lectis conopeo circumdatis ponitur, ut est ap. Varr. R. R. II, 10. et Iuvenal. Sat. VI, 80. ubi lectum puerperae conopeum testudineum dicitur. — Ceterum non finxisse has Cleopatrae minas Propertium, sed historiam veram docte secutum esse, Dio testatur L, 5.: *οὕτω καὶ ἐγοήτευσε καὶ κατέδησεν (ἤτοι τοὺς περὶ Ἀντώνιον), ὥστ᾽ αὐτὴν καὶ τῶν Ῥωμαίων ἄρχειν ἐλπίσαι, τήν τε εὐχὴν τὴν μεγίστην, ὁπότε τι ὀμνύοι, ποιεῖσθαι, τὸ ἐν τῷ Καπιτωλίῳ δικάσαι.* Quamquam iura dare aliquanto plus etiam est, quam iudicare; cf. comm. ad El. IV, 11, 18.

v. 46. Verum esse, quod Laur. Vall. cod. exhibet dare et, iam editorum veterum error daret poterat testari, nisi et versus particulam illam interpositam flagitaret, et ipsa sententia. Cave enim ab interpretibus decipi te patiaris, qui genitivum Mari cum utroque accusativo coniungunt. Quem errorem ne I. H. Vossius quidem interpret. Germ. vitavit. At nulla ante C. Caesarem dictatorem in Capitolio, nisi regum et Bruti libertatis Romanae vindicis signa fuisse Cass. Dio disertis docet verbis XLIII, 45.; Caesaris statuam novem illis (Ascon. ad Cicer. pro Scaur. p. 1017. p. 30. Orell. vel si Dioni Tatium scilicet omittenti fides, octo) additam et idem et Sueton. auctor est Caes. c. 76. Plutarch. Brut. statim ab init. p. 984. Contra arma haec Marii tropaea sunt, quae a Sulla partim direpta Caesar Capitolio reddidit, v. Suet. Caes. 11. Cum his vero tropaeis ne monumentum Marii confunde, de quo Cicer. de Divinat. I, 28, extr. Hoc enim templum Iovis Marianum fuisse coll. Valer. Max. I, 7, 5. sequitur.

v. 47. fractas secures. De metonymia hac cf. Q. P. II, 6. p. 156.

v. 51. vaga, quod explicare nemo dignatus est, non ut apud Horat. Od. I, 34, 9. perpetuum esse reor flumi-

num attributum, qualibus ampullis hic nec locus nec paene in tanto carminis impetu tempus est; sed Nilus alias quoque per incerta ostia errans hic quasi cladem futuram augurans subdere se reginae timidus simul et perfidus fingitur. Cf. similem προσωποποιίαν El. II, 1, 31 sq. Add. Q. P. II, 4. s. fin. p. 78.

v. 53. Plutarch. Anton. c. 86.: ἐν γὰρ θριάμβῳ τῆς Κλεοπάτρας αὐτῆς εἰδωλον ἐκομίζετο, καὶ τῆς ἀσπίδος ἐμπεφυκνίας —. Illam effigiem significare poetam, veri non est dissimile. At paullo hercle fortius dictum apparebit, si simul divina quadam insania abreptum poetam praesentem moriturae reginae videri sibi intellexeris. sacris deinde colubris explicant, „quia Isidi sacrae erant aspides.“ Putet doctrina. Quidni enim de duobus anguibus pictis cogitabant? At recte poeta exsecratas noxias bestiolas sacras appellat, sicuti Val. Fl. Arg. VII, 165.: venenum sacrum. Alia id genus plurima lexica dabunt.

v. 54. Recte quidem verborum voluntatem senserunt, qui membra combibisse occulto itinere mortem interpretati sunt; nec tamen unde membra non soporem, sed iter soporis traxisse dicerentur, explicuere. Alias enim ipsae venae iter et via dicuntur sanguinis vel similium humorum, velut ap. Cels. V, 27. Cic. N. D. II, 137. Vitales vias Ovid. vocat Met. II, 828. et vocis iter ibid. II, 830. Add. VI, 355. XIV, 498. Lucret. N. R. VI, 1147. Nec vero soporis iter, ut mortis iter dictum III, 7, 2. i. e. iter ad mortem, nec rursus ut ap. Sen. Controv. III, 16.: Multas rerum natura vias mortis aperuit, et multis itineribus fata decurrunt; aut ut ap. Virg. Ge. III, 482.: Nec via mortis erat simplex, sed ubi ignea venis Omnibus acta sitis miseros adduxerat artus. His enim locis via mortis est, qua mors venit, neque eam trahi membris Latine dicere licet. Itaque restat, ut occultum soporis iter per id metonymiae genus, quod Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 149. pro ipso sopore tacite adrepente dictum censeamus.

v. 55. 56. Non hoc — fui t. t. c. v. Dixit et assiduo. Sic reliquis VV. DD. in vanum varia coniectantibus Iacobus optimorum librorum ope restituit, quem primum versuum horum voluntatem perspexisse video. „Loquens hoc distichо inducitur Cleopatra: Hoc tanto cive non ego tibi, Roma, timenda fui, nec Antonius vinositate delirans.“ Rectissime. Et ebrietatem quidem Antonii hic acerbe notari omnes senserunt, metonymiae elegantiam, qua ipse Antonius lingua mero sepulta diceretur, coniecturis suis (Nec Ducis Heins., alii aliter) oblitteraverunt. Et subveniebat

tamen commune helluonum convicium gula, ut est ap. Iuvenal. I, 140. — quo multo idem audacius, sed ad ridiculum magis compositum dicere conatus est V, 107.: Montani quoque venter adest. Eodem pertinet „pulpa“ Persii II, 63. et Iuvenal. XI, 34.: Curtius et Matho buccae i. e. gloriosi et loquaces. Sed proxime omnium nostro Sil. Ital. XVII, 120.: tumidae properantur stamina linguae — i. e. instabant fata iactanti et glorioso Syphaci. Alia quamvis figuris iisdem explicanda, velut cervix et sanguis pro hostia dicta (Iuven. XII, 13.) vel frons severa pro homine tetrico et gravi (Ovid. II, 241.), sciens praetereo. Exquisitius iam, et quod propius huc spectet χείρ pro artifice, ut est ap. Posidipp. epigr. XIV. Ann. Br. T. II. p. 49.: Ἀνσιππε, πλάστα Σικυώνιε, θαρσαλέη χείρ. Nam capita et pectus et corda iam communi usu sunt accepta. Cf. tamen Q. P. II, 6. §. 28. p. 151. s. fin.

v. 59. Ab hoc versu critici diu continentes Passeratio duce novas distichis transponendis turbas egerunt. Nec Lachm. manum retinuit, dum vv. 67. et 68. post p. 46. impingit. At, profecto, non commisisset, modo ne poetam argumenti magnitudine abreptum et paene debacchantem verborum rationes sobrie et ad amussim expendere et orationis iuncturas ad unguem exigere poposcisset. Immo in tanto affectu praerupta vox atque adeo sententiarum quidam hiatus decorem et laudem habet. Recte igitur Vulpius v. 59. et 60. exclamationem esse dixit, quamquam in eo falsus, quod vocandi casu edita credidit. Prorsus enim eodem modo et eadem indignatione exclamata sunt, atque Persianum illud Sat. I, 96.: — Arma virum! Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 2. p. 113. add. ibid. p. 128. Ceterum monimenta Syphacis hoc quidem loco habere quo offendas, non negaverim, cum statim v. 61. in eadem sede idem verbum legatur. Hoc autem Lachmannus obiicere non debebat, quod ob Syphacem devictum nulla Scipioni monumenta posita fuerint. Nam monumenta omnia sunt, quae facti alicuius admonent. Neque aliter v. 61. dicta sunt Curtii monumenta, quae absurde Burmannus aram ob id meritum dicatam interpretatur. Ipsam enim lacunam expletam intelligi iam ablativus ille declarat; plus vero etiam verbum statuit, quasi ipse Curtius voragine haustus aram sibi statuerit. Sic vel pelagus Ionium monumenta Iuliae carinae dicuntur. Add. Interpp. ad Hor. Od. I, 2, 15. Cic. Div. I, 28. s. fin. Quare tropaea vel spolia Syphacis in Capitolio vel quocunque alio loco posita monumenta Syphacis recte dici potuerint. At ne illud quidem, quod Lachm. censet, verum est, bis brevissimo spatio eiusdem Sci-

plenis laudes recenseri. Nam Laelius, non Africanus, et castra Syphacis expugnavit et exercitum delevit; cf. Liv. XXX, 11. Nec tamen, si similis vox hic olim fuerit, facile fieri potuisse infitior, ut aberrantes ad proximum hexametrum librarii monumenta inde repeterent. Unde suspicor legendum esse:

Hannibalis spolia et munimina victa Syphacis.

Quanto enim momento ad bellum Punicum secundum componendum capta Numidarum castra fuerint, quantamque praedam inde Scipio reportaverit, Livius docet XXX, 6 sqq. coll. XXX, 16. Polyb. XIV, 4 sqq. XV, 1 sq. Sil. Ital. XVII, 88 sqq.

v. 62. At Decius misso. Sic libri mss. ad unum omnes. Scaliger: Admisso Decius. Sed recte habere mittere equum, ut v. 23. mittere currum, iam Heins. Nott. p. 726. plurimis exemplis probavit. Recte praeterea At, pro quo Ac Lachm. maluit; opponi enim Curtio Decium Iacob. vere observat.

v. 64. Est. Egregia libri Pucciani scriptura, quam Bronkh. ingenio duce iam pridem invenerat, omnium consensu iure recepta.

v. 65. condiderunt. Livineii coniectura, quam miror Iacobo non satis probari. Opponitur enim praeteritum praesenti (servant), ut plusquamperfecto locus esse non possit. Frequentissimam vero et paene perpetuam librariorum inscitia confusionem eam esse, ubicunque 3. pers. pl. perf. brevi penultima legitur, Schmid. docet ad Hor. Ep. I, 4, 7. Cf. ad El. III, 24, 20.

v. 68. Bospore capta pro capte (Lachm. coniectura), vel pro eo quod nihili est Bospora capta (Italorum quorundam invento) Iacobus coll. C. Schneider. Gramm. Lat. II, 1. p. 46. restituit.

v. 71. toto. Fruterii coni. tuto non caret laude sua; nec multum aberat quin reciperem, nisi totum ἐμφατικῶς saepe poni a Propertio compertum haberem. Cf. El. I, 5, 6. II, 31, 3. I, 13, 15. I, 14, 21.

Elegia XII.

De tempore, quo haec elegia scripta sit, vid. Q. P. III, 3. p. 226 sq.

v. 3. spoliati gloria Parthi. De usu partic. perf., quem pessime ignorabat Nobbius, cf. Q. P. II, 6. §. 8. p. 121. III, 3. p. 226. comm. ad El. II, 7, 6. Nam exempla ibi congesta nulla re ab hoc distant, nisi quod, si solveris verba, infinitivus perfecti illic veri praeteriti significationem habet, hic aoristi. Quo de usu cf. C. Heusinger. praef. ad Cic.

de Offic. p. LXII. Vechner. Hellenolex. pp. 154. 244. Heindf. ad Hor. Sat. I, 1, 28. Schmid. ad Epist. I, 17, 5. Krüger. Gr. Lat. pp. 630. 631. not. 2. Ceterum optime res illustrabitur coll. El. IV, 3, 63.:

Ne, precor, ascensis tanti sit gloria Bactris,

(quae nunquam Romani ascenderunt)

Raptave odorato carbasa lina duci.

Ad quam normam Dissen. Tib. I, 2, 28.: rapta praemia veste vetat, recte raptu vestis explicat.

v. 4. Ne faceres. Conr. Bachium (Ingen. Eleg. Rom. p. 191.) mirantem, quod pro ut Prop. ne posuerit, recte refellit Becker. Eleg. Rom. p. 305.; ne enim dependet e participio rogante. Sic autem omisso pronomine hoc vel illud, verbum facere poni iam Burm. docuit. Hic vero illud quoque accedit, ut absolute positum facere idem sonet, quod committere (sensu iudic. cf. Interpp. ad Cic. Att. IV, 15. pro Caecin. c. 25. extr.), et sic fere in notissima illa formula ne facias vel ne feceris, quam Quintil. tangit Inst. I, 5, 50.

v. 9 sq. tabescet — ne. Cf. Q. P. II, 6. p. 156. comm. ad El. IV, 5, 35.

v. 10. tibi. Perr. cum aliis Italis sibi. In quod cum de coniectura Livineius etiam incidisset, Burm. praetulit, scilicet quia sic etiam Hero loquentem Ovidius finxerit (Heroid. XIX, 88.). Quale doctrinae genus iure pertaesus Lachm. multo magis teneros coniugis affectus alterum hoc decere censet. Quo ego iudicio nihil verius esse existimo; et recte id opposito ab initio v. 9. illa flagitari Bach. (l. l. p. 192.) docet.

v. 12. aurato — equo. Vulgo hunc ablativum ad cataphractum referebant. Unde coniecturae natae armato vel aerato. Sed ex adi. laetus eum pendere, et equum Postumi significari, non cataphracti, Lachm. docuit. Quod verum esse fateberis coll. Tibull. I, 2, 69. Virg. Aen. VII, 278. Eleganti viro digna est divinatio Iacobi, de Glauco et Diomede poetam cogitasse; inhaerere autem aurato alteri ignaviae notam, ut apud Horat. Sat. I, 7, 16. Certe imbelle urbani hominis lautitias hic indicari non ab re fuit, quo efficacius Paetum castra secutum inepte fecisse declararetur.

v. 18. C. sit l. Roma m. tuae. Versus varie tentatus, proxime a Lachm., qui tuae ut pro casu tertio habeatur, regulam ab ipso ad El. I, 5, 20. inventam non permittere ait. Tu vero vid. Q. P. II, 6. s. IV. p. 176. Mirum vero quod Iacobus, qui ad El. I, 5, 20. Lachmanni decreta nihil curavit, hic quomodo se expediat nescire se fatetur.

v. 25. Ciconum mons, Ismara, Calpe. Calpe in erroribus Ulixi enumerata VV. DD. valde offendit. Itaque Burm. Cyclops tentavit, Santen. Cacre coll. Tzetz. ad Lycophr. 1030.: Ὀδύσσειαν ἄκραν (vocavit Ulixes) Κάκραν καλουμένην πρὸν, ὅπερ ἐστὶν πλήσιον Παχύνου. Alius deinde vir doctus sub finem epistolae a Burmanno sibi missae reprobata eius coniectura: Cyclops, qui proximo versu satis commemoraretur, capta proponit. Qui num Fonteinius fuerit, an idem qui in Bibl. Amstel. Crit. Vol. II. p. 15. eandem coniecturam proposuerit, addito praeterea in versu medio manus pro mons, non satis scio. Utut est, utrumque Kuinoelio et Lachmanno pariter placuit. At in fabularum rationibus Propertium temere corrigere, periculosum opus censeo (cf. Q. P. II, 4. p. 70.), praesertim in nomine, quale est Calpe, quod a bonis certe librariis, quibus Umbri exemplaria debemus, ex facillima illa voce capta procreatum non esse spondeo. Hic vero non iniuria suspiceris, Propertium Philetae auctoritati fidem habuisse, quem Hermete suo Ulixi fata persecutum plurima neque ab Homero tradita neque apud alium scriptorem obvia (cf. frgm. illud de Ulixis et Polymelae amore ap. Parthen. Erot. 2. Bach. Phil. Coi rell. frgm. 4.) narrasse Bach. demonstrat l. l. p. 31. Nam idem Parthenius ibid. ordinem errorum eius ab Homero longe diversum recenset, et Propertius Calypsonem Aeaeam puellam appellat, cum Homero sit Ogygia, Aeaea contra Circe (Od. α'. 85. κ'. 135. coll. μ'. 3.). Quod autem ad ordinem errorum pertinet, quo iam solo argumento Calpe eliminandum esse colligi Lachm. praedicat: etiam Sirenes multo infra aut potius ultimae omnium commemorantur, quamvis in has, statim postquam Circae hospitio dimissus esset, Ulixem incidisse Homerus auctor sit Od. κ'. Ad inferos vero prius etiam descendit, quam Circen reliquit. Cuius tamen expeditionis hic v. demum 33. mentio fit. Quid quod heroem Hispaniam non modo visisse, sed etiam longius ibi commoratum esse, iam antiquitus rettulerunt. Urbem enim Ὀδύσσειαν cum Minervae fano ab Ulixe profugo conditam ostendi et ipse Strabo narrat III. T. I. p. 398. Siebenk. Posidonii et Apollodori testimoniis nixus (cf. ibid. III. T. I. 419.), et confirmant Steph. Byzant. s. v. et Eustath. ad Hom. Od. α'. p. 1379, 21. Eandem hanc urbem, quam Romani Ulysipponem (hodie Lisbonam) vocabant, fuisse Casaubon. divinat ad Strabon. l. l. p. 398., probare etiam P. Merula conatur, Cosmogr. P. II. L. II. c. 26. Quibus fabulis tantum abest ut Strabo fidem abroget, ut veras historias ipsique Homero notas esse censeat, unde ille more poetico vera fictis miscens, tantum hauserit, quantum Odysseae

argumento aptum crediderit. Cf. praeterea Cuper. in Apotheos. Hom. p. 54. Tzschuck. Miror autem, I. H. Vossium, cuius geographia Homerica Ulixem per istas Occidentis et Hispaniae oras ad inferos duci notum est, ipsum pro Ismara, Calpe — Ismaraque alta tentasse.

v. 26. mox — genae. trux lusus est Marklandi. Sed Suringar. Bachio teste (l. l. p. 194.) lux, E. G. Higt. qui quid hominis sit nescio: nox; scilicet quod unus oculus tantum Polyphemo fuerit. At genae saltem, inter quas oculus ille patuerat, duae. Genae enim, quas pro oculis a poetis poni alias notum est, proprie tamen faciei partem supra malas significant (Placid. p. 468.). Cf. Paull. Diac. s. v. p. 94. Müller. Plin. N. H. XI, 37. 38. Neque igitur opus est ad Eur. provocare, qui Cycl. 458.: εἰς μέσην βαλὼν Κύκλωπος ὄψιν, ὄμμαθ' ἑκτήξω πυρί, neque ad Tibull. IV, 1, 57.: Aetnaeae Neptunius incola rupis Victa Maroneo foedatus lumina Baccho. Cf. Paull. Diacon. s. v. p. 94. Müller. Plin. N. H. XI, 37. 38. Sed tertia significatione, unde usum poetarum ductum esse patet, accuratius pro palpebris positas invenio, quae singulos oculos ab utraque parte includunt. Cf. Plin. l. l. 5. 57. Apertius etiam Enn. ap. Serv. ad Virg. VI, 686. de dormiente: Imprimitque genae genam; cf. id. ap. Paull. Diac. l. l. Fest. Qu. XV, 17. p. 149, 21. p. 343. Müller.: Pandite sulti' genas et corde relinquite somnum. Unde fit, ut gena sing. numero pro oculo nunquam a veteribus dictum sit, nec dici potuerit: quin unum Polyphemi oculum genas, non genam Prop. dicere licuerit.

v. 31. Aeaeae. Cf. ad v. 25. Cum Propertio faciunt auctores, unde Hygin. fab. 125. p. 189. Munck. et Mela I, 7. sua hauserunt.

v. 34. lacus. In hac quoque voce Broukh. haesit, qui satis inficete latus coniecit. At lacum — mare Sirenum scopulis clausum dici iam Passerat. recte observat, liberiusque eo verbo usum Propertium invenies El. IV, 1, 124.

v. 36. Miror criticos omnia incongrua rimantes totiesque Propertium variis cicatricibus inflictis sarcientes in hoc versu non haesisse. Quid enim? Moras (i. e. errores) Ulixis poeta recenset, interque eas, infinitivo modo enumeratas, tamquam ultimam ponit, quod finem morarum fecerit. An haec quoque mora est, moras finire? — Ne multa: ἀνακολουθία est, quam tamen ipse emendare noluit, ne pariter decurrentium versuum compositionem turbaret. Nam quominus non sensisse eam poetam credas, Nec frustra ab initio v. 37. positum vetat; quas particulas si ad v. 24. referre velis, inepta aut potius nulla evaserit sententia; scili-

cet Non nocuere morae; nec frustra — non nocuere. Quinimmo ad novissima pertinet, quasi dixerit: nec frustra tandem finem errorum procis occisis fecit; pretium enim tanti facinoris fides uxoris.

v. 38. Aelia. Libri omnes Laelia vel Lelia. Correxit Passeratius; sed usque ad Broukh. vitium editionibus haesit.

Elegia XIII.

v. 2. Venere, sive in libris inventum, sive Italorum ingenio, recte restituit Volscus. Venerem enim ipsam damna dici, comoediam magis quam Propertii cultam orationem deceat. Praeterea ne vera quidem sententia. Nam non omnes opes Venere afflictae sunt, sed eorum tantum qui amant. Hoc igitur vult, nunc non sine magna rei familiaris iactura amare licere.

v. 6. concha Erycina. Sic libri melioris notae omnes aut scriptum exhibent, aut in vetere exemplari fuisse ipsis erroribus significant. Quod per me quidem licet, ineptum Burmanno videatur, qui Erythraea, iam a Beroaldo tentatum, e Leid. I. reposuit. Praeplacuit tamen etiam illud Lachmanno. Iniuria. Nam Erythraea post rubro — mari plus quam supervacuum est attributum. At Erycina longius repetitum cognomen uno ore clamant. At concha, unde natam esse Venerem quidam tradiderunt (Plaut. Rud. III, 3, 42.), tam familiaris erat eius deae cultui, ut et in imaginibus concha vectam non raro conspiciamus (velut Picturr. Herculan. T. IV. t. 3. v. Heyn. ad Tibull. III, 3, 4. coll. IV, 2, 20.), et conchae maritaeque in templa eius dicatae saepissime commemorentur. Cf. Plin. N. H. IX, 57. ibid. 58. extr. Quinimmo certum genus earum Venereas dictas esse idem Plin. docet N. H. XXXII, 53. extr. Senec. Ep. XCV. Nautilum eum esse quem papyraceum vocant, ex Plinii descriptione (l. l. 53. s. fin.) coll. Blumenbach. N. H. IX. III. C. 46, 1. p. 463. apparet. Hic Argonautam Argo nominat. Atqui eandem hanc concham Veneri dedicatam videmus ap. Callim. ep. 5. Ernest. Nihil igitur mirandum, praesertim cum Veneris res toto carmine agatur, attributum ab illa dea repetitum subvenisse. Quid quod Statius Silv. III, 5, 80. quamvis nec de Venere nec de amore in universum loquatur, Dionaeam tamen perpetuo q. d. epitheto columbam appellat? Quod si quis non tam in Venereo cognomine, quam quod haec ipsa dea per *ἀντονομασίαν* Erycina dicatur, putidam quandam doctrinae ostentationem notandam esse censeat, magnopere equidem vereor, ne ista lege plurimos poetarum locos

exhlare oporteret. Nam ne de aliis dicam (de quibus Q. P. II, 6. p. 158. egimus), Idalium astrum Prop. Veneris stellam dicit (IV, 6, 59.), et ipsas nostras conchas Cytheriacas Martial. Ep. II, 47, 2. Nec ego nunc scio, an Erycinae frequentius quam vel Idaliae Veneri apud Romanos cognomen fuerit. Hoc novi, non plus negotii Cadmo cum purpura, quam Eryci monti cum conchis fuisse; et tamen illum v. breviori proximo intactum reliquerunt omnes. Ceterum non nego, aliud hic conchae nomen ignotum nobis latere posse, fortasse Erythinae, sicuti piscis Erythinus fuit, rubellio Latine dictus, de quo vid. Ovid. Halieut. 104. Plin. N. H. IX, 23. 77. XXXII, 31. 53. Apic. X, 7. Oppian. Halieut. I, 97.

v. 8. C. et multi pastor odoris A. Heinsius audacissime pro pastor — coston reposuit. Hauptius multi mutavit in multum, quo tamen structura verborum nihil iuvatur. G. Hermannus contra (in censura libri Haupt.) pastorem odoris voluit Arabem esse, quia pascere odores recte dicatur. At pastor Arabs *νομάς* dicitur. Nec quidquam est, quod in hyperbato offendas, cum multo audaciora eius figurae exempla e Propertio collegerimus Q. P. II, 6. p. 122. Quod vero multi odoris ille Lachmannum secutus (qui satis utique eleganter culti messor o. A. coniecerat) ideo ferri posse negat, quia „multus odor potius multa aromata indicare videatur“ — cogitabat enim sine dubio de Horat. Od. III, 18, 7. —: hoc ut dubie admodum prolatum, ita manifesto est falsum. Nam multum non solum in numero dici, sed etiam, praesertim singulari positione et in nominibus quae continuam quandam veluti materiem significant, tum modum indicare, tum copiam, ita pervulgatum est, ut lexica ea causa compilare pigeat. Multus igitur odor est et acer et perennis. Ceterum altera interpretatio, qua multi odoris pastorem pro odorato dictum videretur, non tam absurda est quam Burmannus censebat. Neque eo nomine opus erat ad Honorii et Theodosii Constitutionem (quam Sismond. ad Sidon. Apollin. p. 417. edidit, a Scaligero antea Lib. II. Lect. Auson. c. 24. Constantini nomine evulgatam) provocare, ubi de Arelatensi provincia: „Quidquid enim dives, quidquid odoratus Arabs — cett., potest habere praeclarum — illic affatim exuberat“: ipse Propert. El. IV, 3, 63 sq.:

Ne, precor, ait, *ascensis tanti sit gloria Bactris,*
Raptave odorato carbasa lina duci.

Nec langueret illud in Arabe attributum, quoniam si ipse odoratus diceretur, ut patria etiam eius aromatum fertilis esset

ultro conficeretur. Itaque ipse probarem illam interpretationem, nisi, si semel ex voce pastor genitivum odoris pendentem fecissemus, Romanis certe auribus vix alia significatione ea φράσις accipi potuisse videretur, quam quae Hermanno placuit.

v. 10. Haecque. Apertum est, quamvis inveteratum libb. mss. ulcus Quaeque, quod miror non ante Iacobum Pucciani codicis auctoritate sublatum esse. Causa enim erroris manifesta. Ingeniose tamen Guyetus, quem Keil. sequitur, Quaeque — gerunt. At suspecta locutio — gerere fastus. Quod vero durissimum particulae que usum esse ait, quam vix in complurium rerum enumeratione demonstrativo pronomini addiderint: non enumeratio haec est, sed amplificatio.

v. 11. census vulgo explicant amatorum opes; et nota est eius usus elegantia. Dubito tamen, an alia etiam vocis significatio simul hac voce lateat. Nam proprie in re amatoria census pactam noctis mercedem dici, Ovid. me docet Metam. VII, 739.: census dare me pro nocte paciscor. Sic accuratius etiam

v. 12. spolia opprobrii explicari dicas.

v. 13. 14. Optime Lachm. v. minori ipsa restituit pro eo, quod in Colotiano Broukh. invenit: icta. Nec tamen cur idem initio versus pro Aut Et reposuerit, nunc intelligo. Nam si ad amatorum pretia verbum dare referamus, quae mora significetur non satis appareat. Contra cum Broukh. poscendi quoque verbum sensu Venereo accipi omnis argumenti ratio vetat. Neque enim in viros libidinosos Prop. invehitur (immo horum studia maxime probat), sed in mulieres impudicas simul et rapaces. Hae igitur et in poscendo et in dando omnem verecundiam exuisse arguuntur. Dare enim, vocabulum in ea re proprium, etiam omisso accusativo dici probat Martial. IX, 33, 2.: Hanc volo, quae puero iam dedit ante meo. II, 49, 2.: pueris dat — Thelesina. II, 31, 1.: det quam bene, quaeris. Omnes iam mulieres Romae poscunt — munera, omnes iam promiscue et passim sui dant — copiam. Aut si contra accidit et mora iniicitur, ne castiorem ideo crede puellam, quae delicias agit; avarior enim tantum est: aurum ostende, ipsa mora tolletur.

v. 21. Ardent victrices. Henr. Stephan. Schediasm. V, 10. coni. Gaudent. Burmannus Ardent de cupiditate mulierum in rogum ruentium dictum vult. Quod quomodo hoc loco, ubi de veris flammis et de rogo singulis verbis agitur, ferri possit, non intelligo. Ardent victrices igitur interpretare: Quae vicerint, simul comburantur; et ul-

tro praebent pectora flammis, quia perusta ora viris imponunt. Vides igitur commune verbum initio positum, tum singula subiecta esse, ne cum H. Stephano ὕστερον πρότερον q. d. in illo verborum ordine deprehendere tibi videaris. Ardere vero etiam de hominibus dici demonstravimus El. II, 16, 30. Add. Iuvenal. Sat. I, 155.

v. 23. 24. hic nulla puella Nec cett. Olim interpungebant post finem v. 23. Absurde. Nec tamen ideo Burm. pudica reponere velle debebat. Veram enim rationem iam Broukh. perspexerat, deleta tacite post puella virgula. Puellas vero nuptas quoque dici res notissima est.

v. 25. pacata Lachm. tuitus est (coll. Manil. IV, 140.) et deinde v. 27. munus erant Propertio reddidit. Pro altero enim Burm. Iani Guilielmi coniecturam pagana impense commendabat; et est sane ingeniosa, modo necessaria fuisset. pompa fuit autem Iov. Pontani foetum credo, quem virum suis elegantiis non semel primas Propertii editiones et libr. mss. recentissimos ditasse novimus. Hic vero quid pompa fiat, non habeam dicere. Nec enim profecto, quod Kuin. vult, pompa πομπή i. e. missio „sc. munerum“ dici Latine potest. De muneribus igitur amantium quoniam agitur, munus erant unice probo, etiamsi Broukhusii aures iterum repetito verbo erant tinniant. De mutata vero structura cf. Q. P. II, 6. §. 15. p. 130.

v. 30. virgineos. Burm. Fruterii et Palmerii coniecturam vimineos recepit, indubitatam sibi, quia Copae v. 16. legeretur:

Et quae virgineo libata Achelois ab amne
Lilia vimineis attulit in calathis.

Ergo non sensit vir doctrinae copia affluens, cur Copae auctor, quo tamen alterum neminem Romanorum melius Propertii versus novisse censeo, virgineis — calathis, nisi superiorem versum antea emendasset, scribere non potuerit. Hic vero et probum erat et Latinum. Iuvenes enim amatarum puellarum corbes floribus implebant, virginei autem calathi ut II, 1, 67.: virgineae urnae. Ceterum Fruterii inventum in ed. Lips. Lachm. operarum vitio haesisse credo. Nam si, quae ad commendandam codd. scripturam in comment. profert, εἰρωνικῶς accipi voluit, non ista me intelligere fateor.

v. 32. versicoloris. Sic verissime emendavit Beroald., sive in codd. invenerat. Discrepantiae reliquorum unde venerint, proximorum ab utraque parte vocabulorum litterae initiales docent; varicoloris fortasse etiam ex glossemate: varii coloris.

v. 35. Hinnulei. Hac Scaligeri coniectura, quam dum meliora probarentur in ordinem recepi, penitus tamen hunc locum persanatum esse nego. Omnes enim libri scripti eo ducunt, ut in vetustissimo, unde fluxerint, exemplari Atque hinuli fuerit. Quod qui ex hinnulei a librariis factum esse existimet, satis prona quidem ut primum adspicienti videatur coniectura: hic non modo corruptum communem illum fontem, sed etiam a semidoctis interpolatum esse censeat necesse est. Quod omnes quas de codd. mss. Propertii exposuimus rationes vetant. Praeterea qui errore illo levissimo, si modo fuit error, quo hinuli pro hinnulei exararetur, pessum dari metrum sentiret, hic profecto tritissimam nominis formam hinnuleus ignorare non poterat: et facilius erat inserta *e* versum emendare, quam praefixa coniunctione. Itaque aut hinulus iis verbis adnumerandum est, in quibus littera semivocalis pro lubitu a poetis vel iteratur vel simplex ponitur (de quibus cf. C. Schneider. de Elem. L. L. p. 399.), aut alia etiam medicina quaerenda. Nec tamen prorsus mihi probatur Burmanni patr. inventum, quod quamvis ad litterarum ductus verisimilius videatur: at elegantia longe cedit coniecturae Scaligeri.

v. 37. lentas libri melioris notae omnes. Italorum non inelegans inventum: laetas consensu paene editorum receptum. Alterum tamen et doctius et si quid video *γραφικώτερον*. Natura enim pinus pendentibus ramis conspicuae ad veritatem egregie eo attributo describitur; modo ne obliviscaris, umbras a poetis plane pro ramis umbrosis dici. Cf. ad El. I, 18, 21. add. Q. P. II, 6. s. II. §. 24. p. 144. latas Beroaldi commentum Lachmanno praeplacuisse mirum est. Nimis enim vulgare est epitheton, neque unde hinc librarii ad difficiliora aberraverint, satis appareat.

v. 38. fuerat. De plusquamperfecto, quod videtur, cf. comm. ad I, 11, 29. Ceterum ne interpretibus crede, poenam hic pro crimine dictam esse. Qua interpretatione infinitivi usum insolentius positi explicuisse sibi videbantur. Est potius constructio *κατὰ σύνεσιν* facta, cum poena non est idem significet, quod licet. Vide enim, quae de eo genere disputavimus Q. P. II, 6. p. 157.

v. 39. Corniger atque dei. Beroald. ut videtur, de coniectura: Corniger atque ide, i. e. Idae. Hinc demum Volscus, Corniger Idaei, quod usque ad Lachmannum editiones obtinuit. Hic reponi iussit: C. inque dies. Quod Latinum non est. Nam praepos. in, nisi distributiva vi ponitur, cum plurali vocis dies post augendi tantum vel crescendi verba iungitur. G. Hermannus in censura Observ.

crit. Hauptii (Annall. Philol. Lips. 1841. vol. 33. fasc. 3. p. 253.), cui atque languere videbatur, usque scribendum censuit. Quod si pro semper positum esse voluit, languore isto multo languidius hoc videatur. Etenim cum reductos ab ariete greges poeta dicat, quid addere rettulit semper? aut quid interest scire, num nunquam aries muneris sui oblitus fuerit? Immo cum adverbium usque eatenus dumtaxat ab altero semper differat, quod continuam actionem significat, quomodo reduxisse tantum arietem, non eduxisse unquam greges poeta diceret? Itaque si quidquam mutandum esset (nam de usu particulae atque ipse dubito, cf. comm. El. II, 26, 8.), litterarum vestigia diligentius secuti proponeremus: Corniger Amphrysei (cf. Q.P. II, 6. s. III. p. 165.). Doctiores fortasse maluerint: Corniger Actaei, cuius filii et filiae pastoriciis et rusticis cognomentis insignes cum diis et heroibus connubio et commercio promiscuo olim utebantur. Testis Pausan. I. Attic. 2, 5. Cui Gessnerus cordi est, tentare possit: Arcadii i. e. Evandri, qui quam prope immortales contigerit satis est notum. At sententia certe salva; et rectissime Iacobus: „Etiam hunc versum varie tentarunt frustra. Sic enim fieri solet, ut si semel difficultates motae sint, pauci incorrupto oculo animoque videant. Pastor enim deus, qui illo tempore interesse hominibus non recusabat, sine dubio Apollo vel *νόμιος* vel Admeti bubulcus est, a dea ad deum, post ad deos deasque optime procedit oratio.“ Verbum non addo.

v. 42. vestris recte a Scaligeri coniectura: versis Lachmann. defendit. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 5. p. 116.

v. 43—46. Lepidi versiculi, quibus ad singula verba Leonidae Tarentini epigramm. 17. Ann. Br. I. p. 224. (Anthol. Pal. IX, 337.) Propertius reddidit:

Εὐάγρει, λαγοθῆρα, καὶ εἰ πετεηνὰ διώκων
Ἰξευτὴς ἥκεις, τοῦδ' ὑπὸ δισσὸν ὄρος·
Κἀμὲ τὸν ὑλήορον ἀπὸ κρημνοῖο, βόασον
Πᾶνα· συναγρεύσω καὶ κυσὶ καὶ καλάμοις.

Neque iniuria simplices teneri carminis munditiae veteribus placuerunt, quas certatim imitati sunt Satyrus Anthol. Pal. X, 11. (Ann. Br. III, 184. n. 173., qui inter *ἀδέσποτα* refert):

Εἴτε σύγ' ὀρνεόφοιτον ὑπὲρ καλαμῖδα παλύνας
Ἰξῷ ὀρειβατέεις, εἴτε λαγοκτονέεις,
Πᾶνα κάλει· κυνὶ Πὰν λασίου ποδὸς ἴχνια φαίνει·
Σύνθεσιν ἀκλινέων Πὰν ἀνάγει καλάμων.

et Erycius ep. 14. Ann. Br. II, 296. (Anthol. Pal. IX, 824.):

Εὔστοχα θηροβολεῖτε, κυναγέται, οἱ ποτὲ ταύταν
Πανὸς ὀρειώτα νισσόμενοι σκοπιάν·
Εἴτε λίνοις βαίνοιτε πεποιθότες, εἴτε σιδάρῳ,
Εἴτε καὶ ἰξευτῇ λαθροβόλῳ δόναχι·
Κἀμέ τις ὑμείων ἐπιβωσάτω· οἶδα ποτ' ἄγραν
Κοσμεῖν καὶ λίγχαν, καὶ λίνα, καὶ καλάμους.

Vides quanto intervallo imitatores et ab exemplari suo et ab interprete Romano distent. Ne tamen plane ἀσύμβολοι huc citati venisse videantur, id age, saltem inde lucremur, calamum non hic sagittam, quod interpr. Germanica expressimus, sed arundinem viscatam significare: deinde recte e libris repositum esse a Lachmanno

v. 46. sive petes. petas, ni fallor, primum in Aldinis comparet.

v. 50. mox sine lege pudor. Hoc quasi integrum omisso verbo substantivo erit enuntiatum sit, interpretantur. At tu cum superiore versus parte commune praedicatum — sequitur Aurum — habere puta; mox pudor legibus solutus sequitur a. Sic enim brevi enthymemate poeta ratiocinatus est: Homines ad recte agendum vel legibus vel pudore ingenuo ducuntur. Iam leges auro sublatae. Mox vel pudor sequetur, qui quamvis hominibus a natura insitus sit, a legibus tamen certum firmamentum habet et vinculum. Nam quod Cornelia illa castimoniae Romanae decus aliter sensit (cf. comm. ad IV, 11, 47.): nihil hic refert.

v. 54. Gallica. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 24. p. 144.

v. 55. Te quod olim solus Puccianus praestitit, nunc etiam Dresd. confirmatur. De ὑπερβάτῳ intricatissimo vide Q. P. II, 6. s. II. §. 10. p. 121.

v. 59. vanus. Alterum verus, quamvis optimis libris commendatum, ferri non posse certum est. Verus enim aruspex ut sit cum poeta optat, verum videri se velle ut significet, nunquam adducor. At ipse ille coll. Liv. XXI, 10. Ovid. Met. XV, 123. quam bene altera scriptura haberet docuit. Praeterea de hac vocis vanus significatione cf. III, 6, 31.: Si non vana canunt mea somnia. ibid. v. 5.: Omnis enim debet sine vano nuntius esse. I, 3, 28.: Obstupui vano credulus auspicio.

v. 61. 62. neque enim. Crudeli Broukh. medicina, qui enim particulam incongruam sibi visam gladio recidendam duceret, non iuvari, sed cum ipso metro pessumdari orationis nexum, Lachm. doctissime evicit. Quo magis Huschkium Anall. Litt. p. 28. hiatum istum neque Ilia Homerico digammate defendere ausum esse mireris. Sententia vero aperta. „Non audior; nec mirum, nam Cassandram non magis audiri fata volebant.“ Recte enim iam Kuinoelius Marklandi erro-

rem correxit, qui participium habenda praeteriti significatione positum opinabatur. Nam hic quoque necessitatis notionem servat. Fatale ei erat patriae pernicie, non audiri. Maenadem deinde Cassandram a criticorum vi Burmann. (coll. Senec. Ag. 715. Guell. ad Virg. Aen. II, 246. 715.) recte defendit. Phoebadem enim quandam spuriam supponere Passerat. et Broukh. tentabant.

v. 63. fatum componere non recte perniciem machinari interpretantur ad eam proportionem, qua fraudes componere diceretur. Recte quidem illud: at alterum fatum multum distat. Componere vero potius est verbum proprium de sepultura: cf. Heindf. ad Hor. Sat. I, 9, 28. Fatum autem mortem atque adeo familiari Propertio metonymia ipsum mortuum significat. V. Prop. El. I, 17, 11. coll. Q. P. II, 6. p. 149 sq. El. II, 13, 22. comm. ad El. II, 16, 32. Itaque perinde est, ac si dixerit: Troiam sepelire. Hac sententia sepultam patriam Cic. Cat. IV, 6. ait, quam dictionem Propertio quoque subdere voluerunt VV. DD. ad El. I, 22, 3.

v. 66. Ut hic versus apte cum proximo et cum superioribus 61. 62. coeat, aliter ac vulgo fieri videor sententiae summam in participio irrita positam esse existimandum est, quo de usu cf. Q. P. II, 6. p. 142. Hoc enim v. 65. tantum dicere poetam voluisse apparet furorem Cassandrae utilem patriae futurum fuisse, siquidem ei credidissent. An sic quoque, non audita vate et urbe excisa, utilem fuisse simpliciter praedicaret? Illius vero, qua eventus caruit, utilitatis causam si extremo versu propositam esse dicas, hoc ita defendere possis, ut „experta est deos veros“ — non ad eventum, sed ad mentem vaticinantem et futurarum rerum scientiam referas. Quod ut per se durum est, ita tempus obstat. Sic enim poeta dicere debebat: Experta erat. Restat ergo, ut adversativa vi opposita sententia haec sit: At quamvis veros exinde deos suos eventu postea probaverit, irrita tamen erat. Hoc autem: „eodem quo ego nunc modo,“ tacite intelligitur. Nam de exitu carminis paullo praeruptiore cf. Q. P. II, 5. p. 103.

Elegia XIV.

v. 1. 2. De nudis virginum apud Lacedaemonios certaminibus dissidere vehementer VV. DD. opiniones notum est, aliis vocem γυμνός simpliciter nudus interpretantibus, aliis in expeditiorem tantum scissae tunicae habitum explicantibus. Cf. Boettiger. De quattuor act. rei scen. Opusc.

p. 343. De raptu Cassandr. p. 59 sqq. Mansonis Spart. T. I, 2. p. 161 sqq. Mueller. de Dorienss. T. II. p. 263 sq. et qui nuperrime de ea re egerunt, Becker. Charicl. I. p. 320 sqq. Kraus. Ἑλλην. T. I. p. 682 sqq. Neque ego nunc difficillimam quaestionem retracto, quum quid Propertius et aequales de usu illo tempore dudum exoleto senserint, his ipsis versibus satis appareat. Nam ne alterum quidem illud quod quaeri solet, num mixtae cum adolescentibus virgines Spartanae decertaverint, in Propertio dubium esse potest; quocum et Ovidius facit et qui de Chiis mulierculis agit, Athen. XIII. p. 566. Et assentiri videtur Euripid. Andromach. v. 590. M.

v. 3. laudes. Aurati coniectura ludos inde a Scaligero passim per editiones recepta. Sed alterum et elegantius, et si quid video verius. Laudem enim quamlibet rem laude dignam dici certum est, imprimis vero cum belli egregie facta (Virg. Aen. I, 461.: Sunt hic etiam sua praemia laudi; ubi plura collegerunt Burm. et Cerd.), tum vero ludicri certaminis praestantiam. Itaque Nisus Virgilianus (Aen. V, 354.) ereptum sibi praemium dedignatus:

Quae, inquit, *munera Niso*
Digna dabis, primam merui qui laude coronam?

Hoc vero de significatione cum constet, laudes exercere etiamsi nemo alius Romanorum dixerit, Propertio dicere licuisse sequitur. Quid quod iustitiam exercere Plin. Ep. I, 10. extr.; altitudinem animi exercere vel Tullius purissimae Latinitatis vindex dicere non verebatur? De Off. I, 25. Victoriam vero exercere, quod proxime ad nostram rem pertinet, vulgare est Livio. Cf. II, 55, 9. VI, 22, 5. Sall. Catilin. 38. In eo vero et alii interpp. et Burm. maxime falsi sunt, quod non infames l. de sententia Propertii dictas meretricis lusibus opponi censebant. At in hoc attributo, ut toties (cf. ad El. II, 16, 16. Q. P. II, 6. p. 142.), summam enuntiati versari, et Lacedaemoniorum de illis laudibus iudicium praedicari certum est. Hoc igitur vult: „Apud nos quidem laus, quam nuda puella inter viros luctando quaereret, infamis esset, illic vero minime; atqui hoc illud est, quod mihi ex illorum institutis praeplacet.“

v. 5. pila velocis fallit per brachia iactus. Varie vexatus hic locus. Ac Scaliger dum corrigit: veloci — iactu, non intellexisse se cum reliquis interpp. codd. scripturam fatetur. Lachm. contra qui hoc primus recte vidit, velocis — iactus quartum pluralis, non secundum singularis casum esse: iactus — iactantes interpretatur, hac sententia: „pila velociter nimis iactantes decipit, in aliam quam debuit viam delata.“ Cui non verisimile esse

iure Iacobus obiicit, inter palaestrae laudes vitia quae describeret, sibi sumpsisse Propert. Quod vero ipse, velocis — iactus genitivum ratus, pilam intelligit, quae velociter huc illuc volare docta nos fallat: accusativum illum, sive is nos fuerit, sive quod deinde subdit oculorum aciem, ἀπὸ τοῦ κοινοῦ addendum apud animum esse, nunquam ne collato quidem quem citat loco (comm. ad Lucil. Aetn. v. 277.) evincet. At evidentissima esse omnia, si lusum trigonem hic describi censeamus, iam in censura Galli Beckeriani (Annall. Hall. 1839. n. 288. p. 2303 sq.) demonstravimus. Fortasse tamen doctius etiam ludicrum illud significat, quod ἐπίσκυρον vocatum Spartae imprimis usu venisse Kraus. coniicit (Ἑλλην. I. p. 306.). Sed quoniam hic separatim de diversis pilarum lusibus tractandi locus non est (quamquam multa notatu haud indigna neque ad hunc locum illustrandum inutilia vel a Beckero vel a Krausio ll. cc. omissa esse videmus), hoc solum addimus, comparato Salei. Bass. Paneg. in Pis. 173 sqq.:

Nec tibi mobilitas minor est, si forte volantem
Aut geminare pilam iuvat, aut revocare cadentem
Et non sperato fugientem reddere gestu —

quid laudis sit, non sperato gestu — veloces iactus — fallere satis apparere. Optime autem et hercle poetice a Propertio ipsa pila dicitur iactus suos fallere, dum per brachia expulsa cursum suum, quem quodammodo promisisse videbatur, subito alio flectat. Prorsus enim ad idem exemplar facta locutio est, quod est El. II, 34, 35 sq.:

Phrygio fallax Maeandria campo
Errat et ipsa suas decipit unda vias —

in quo non haesisse interpretes mireris. Haec autem quae inter agentem (sive animans est, sive res cui vita et mens tribuitur) et inter ipsum actum fingitur repugnantia, quoniam vel huic alteri vita et intellectus concedi videtur, tota est poetis propria. Neque igitur dissimile illud Stat. Silv. I, 4, 61. de Apolline properante: praegressus moras i. e. „moras viae, quas tamen ipse fecerat effugiens quodammodo," quod non cedere debebat Marklandi coniecturae: perpessus moras. Quamquam magis, quam par erat, illum Statii locum intuentes quondam non examussim veram Propertii sententiam in interp. Germ. expressisse nos nunc piget: *„Wenn durch die Haende der Ball noch dem raschen Wurfe zuvoreilt."* Debebamus enim sic vertere:

Wenn von Arme zu Arme der Ball den schleunigen Wurf taeuscht.

Ceterum de praegnanti praepositionis vi, qua fallendi verbo ipsi motus significatio tribuitur, cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 17.

p. 133. Hinc iam satis apparet aliud ludicri genus (φαινίνδα Graecis dictum, de quo vide Kraus. l. l. p. 306. §. 9.), quod primum adspicienti fortasse in mentem veniat, significatum esse hic non posse."

v. 6. Increpat et versi clavis adunca trochi. Omnia miscent VV. DD. Nam aut adunca accusativum rati cum gen. trochi coniungunt (sic Burm. Barth. Schefferum secutus de Re Vehic. I, 6. p. 57 sqq.), aut velut Passerat. clavem esse putant, qua trochus compactilis aperiretur immittendis annulis et clauderetur. Neque rectius Buleng. de ludd. vett. 3.: „Propertius clavem aduncam trochi vocat ansam, qua trochus apprehenditur." I. H. Voss. denique cum aliis clavem intelligit parvulam, quae annuli loco in trochum immissa crepitum, dum verteretur, cieret. At quamquam hoc certe verum contra priores interpretes monuerunt, ne trochus cum rhombo (βέμβικι Graecorum) temere confunderetur (quod iam a quibusdam veterum factum esse intelligo, cf. Et. M. p. 706, 28.: ῥύμβος δὲ καὶ ῥόμβος διχῶς λέγεται, ἔστι δὲ τροχίσκος ὃν τύπτοντες ἱμᾶσι καὶ στρέφοντες ποιοῦσι περιδονεῖσθαι καὶ ψόφον ἀποτελεῖν.), clavis tamen hic nihil aliud esse potest, quam virga illa fortasse et ipsa aerea qua trochus vertebatur, quamque aduncam fuisse gemma docet inter Winckelm. Monumm. Ined. T. II. fig. 195. (fig. enim 194. discus potius quam trochus est, fig. vero 196. tota est subditicia.) Hanc iniectam trocho increpare i. e. crepare (nam sine casu positum aucta tantum sonitus vehementia a simplici differt, ut El. IV, 3, 66. IV, 7, 12. IV, 11, 60. Cic. Or. II, 5.), ipsius apparatus natura docet. Quamquam cum moto trocho maior etiam annulis tinnientibus strepitus fieret, hinc quoque causam movendi, clavem, maiore etiam iure increpuisse dici, non nego. Sed Schefferi ratio durissima: claviculas vero aliquando pro annulis caltho insertas esse, mera coniectura neque illa nimis probabilis est. Ceterum nobiscum etiam Krausium facere (l. l. p. 318.) nunc video.

v. 8. pancratio. Satagunt interpretes, ut cum Seneca (de Benef. V, 31.) Propertium componant. Frustra; restat enim Plutarch. Apophth. Reg. T. I. p. 753. Wyttenb. coll. Mueller. de Doriens. T. II. p. 306. Rhetorice sibi illud sumpsisse Propert. ut fortissimum pugnae genus adderet, ad interp. Germ. p. 320. observavimus.

v. 11. Gyrum pulsat. Frustra in gyro hoc cum Io. Schradero Burmannum haesitasse, Lachm. ipsius Burm. testimoniis docet, qui ad Anthol. L. III, 15, 15. ne hoc quidem loco omisso gyrum pro ipsis curriculi spatiis passim poni

docuerit, recteque pulsare spatia et Latine dici coll. Ovid. Met. VI, 219. VI, 487. asserit.

v. 12. protegit. Broukh. ex libris infimae notae praetegit. Illud Lachm. Propertio (coll. Ov. Met. XII, 273. 351. Claudian. in Eutrop. II, 120. Stat. Silv. V, 3, 142.) reddidit, simulque v. 13. verissima interpunctione servavit. Nam cum antea hic versus cum proximo artius coniungeretur, absurda prodiit sententia: ita Lacaenas caput protegisse, ut Amazones loti essent. Unde Heinsius ingeniose ut semper: turma vagatur equis. Frustra: Nam lavatur etiam ad feminam v. 7. pertinet.

v. 17. arenis. Certissimam hanc Volsci coniecturam, certa cum aliorum optimae notae codd. vestigia tum Hb. docent. Nam ad undas, quod solus Puccii liber praestat, et ipsam docti librarii emendationem esse, nimis tamen a libris aberrantem et unde communis reliquorum error venerit, minime declarantem, quis non videat? Uni tamen Iacobo contra visum esse maxime demiror.

v. 19. Inter quos. Lachm.: Interque hos. Non multum refert, quamvis nisi omnia me fallunt, vir acutissimus verissima observatione ductus esse videatur, Propertium, si ad solitas cogitandi normas orationem exegisset, sic scribere debuisse: Qualis Helena capere arma fertur inter Pollucem et Castorem. At interdum enuntiata q. d. relativa idem quod attributa vel participia, quorum illa vicibus funguntur, pati ap. veteres intellexi. Cf. Herm. ad Soph. Ai. 1113. Electr. 1312. Q. P. II, 6. p. 142. comm. ad El. II, 16, 16. Summa igitur sententiae in apposito collocata; nec dissimile illud Soph. O. C. 1106.: αἰτεῖς ἃ τεύξει. Quintil. X, 5, 6.: „orandi minor vis, ut dicatur aliquid, post quod in eadem materia nihil dicendum sit," pro eo: „ut nihil dicendum sit in eadem materia, de qua iam antea dictum sit".

v. 26. longae nulla repulsa morae. Passeratius: „si dare non vult, saltem cito negatur" cett. Ergo: horae momento aut cita mors venit — at alterum, quod magis etiam expectes: „aut victoria laeta" — non sequatur? Immo hoc ipsum dixisse senties Propertium, modo recte interpreteris. Hoc enim ait: non illic, ut apud nos, diu expectantes tandem — non admittuntur, non longae morae eventus repulsa est. Quo salsissimo compendio duplex Romani moris damnum simul significat. Vulpius contra: „licebit tibi sermonem longius continuare ac diutius puellae lateri adhaerere, neque ipsa repellente, neque ullo alio prohibente." Huic credant, quibus bis simul contra Latinitatem peccare animus est. Nam

mora quid sit in re amatoria, vid. El. II, 23, 16. III, 13, 14. repulsa vero in lexicis.

v. 27. Nescio quid terriculamenti in Tyriis vestibus Kuinoel. invenerit, qui turbatum animum et titubantem eorum aspectu linguam „graphice“ hic describi doceret. At ne oculis quidem aditum patere: hoc esse, quod in puellis Romanis queratur, dum contrarium in Spartanis laudet, satis docet v. 30. oppositio. Has etiam „fallentes lumina vestes“ (Ovid. Fast. II, 355.) Faunus oderat semel deceptus: errantia autem post fallunt ἐπεξήγησις est prorsus Propertiana, de qua diximus Q. P. II, 6. s. II. §. 21. p. 140.

v. 28. adoratae — domi. Hanc Neap. scripturam a Voss. IV. et Scaligeri excerptis confirmatam, donec certiore coniectura locus persanaretur, recepi. Adoratae enim curam de salutantium molesta utique amatori turba dictam intelligere possis, quae vestibulum et atrium compleat. Nam adorare cum aliqua ὑπερβολῇ, quam in domina amata non aegre feras, pro venerari et salutare dici, lexica abunde docent. Hinc non nimis audax videatur effingere: adorantum. Canteri vero medicina, quamvis satis illa violenta (pro domi — comae), nequaquam ulceri inveterato medetur. Nam inter eas res, quae commercio et visui et tactui officiant, inepte cura comae referatur. Ac ne illud quidem Plautinum: „dum parantur, dum comuntur, annus est“ — iuvabit; nam de mora expectantium iam v. 26. egerat. Sin forte halitum puellae corrumpi odoribus censeas, huic certe molestiae Romanae puellae habebant, quod gravius in Spartanis exprobrarent, oleum palaestricum, quod scilicet in amplexu naribus emunctis non nimis iucundum esset. Praeterea quo tandem modo comae librariorum lapsu in domi transire potuisset, nequaquam demonstraverunt. Ne multa, legendum videtur:

Est neque odora canum cura molesta domi.

Hoc enim istis impedimentis deerat:

— canis in nostros nimis experrecta dolores,
Cum fallenda meo pollice clatra forent —

ut ait IV, 5, 73. ubi v. Burm. et Broukh. eundem ad Tibull. I, 7, 32. Burm. ad Anthol. Lat. II. p. 293. De voce odora nemo dubitaverit coll. Virg. Aen. IV, 131. (odora canum vis), nec magis de enallage Propertio usitatissima: cura odora canum pro cura odororum canum, quod poni iam sonus absurdior vetabat. Cura canum deinde ne pro custodia canum non dici credas, confer:

Nunciat hostem
Cura canum furesque procul latratibus arcet —

quem versum olim a me hic adscriptum nunc unde sit, non invenio. Si tamen quis propius vestigia codd. legens odora casae malnerit, haud equidem impediam. Ad sententiam enim eodem redit. Casa enim tum erit cella ianitoris (ut II, 23, 10.), quem ibi cum cane simul cubnisse notum est (cf. Broukh. ad l. l. Petron. 29. Becker. Gall. I. p. 76. Casaub. ad Theophr. Char. p. 142. 143. Burm. ad Anthol. Lat. p. 293.), et cura odora casae eodem modo canis dicatur quo apud Ovid. Heroid. I, 103. Eumaeus subulcus: „immundae cura fidelis harae."

v. 30. de turba comitantium interpretantur. At per comites digito intrare velle, per istud esset mirum experimentum. Rectius fortasse de vestium multiplicum anfractu interpreteris. Hoc tamquam muro septae incedebant istae, quae ὑπερβολή Graecis, qui amatoria argumenta tractaverunt, eximie placebat. Unde Lucian. Dial. Meretr. XI, 1.: καὶ τέλος διετείχιζες τὸ μεταξὺ ἡμῶν τῷ ἱματίῳ, tum 4.: ἀφῃρέθη μὲν ἤδη τὸ διατείχισμα. Eustath. de Amor. Ism. L. III. p. 100. de puella, quamvis nuda: ὅλῳ σώματι περιτειχίζει τὸν μαζὸν ὡς πόλιν ἀκρόπολις. Paul. Silent. ep. 6. Br.: *Μηδὲν ἔοι τὸ μεταξύ — Σεμιράμιδος γὰρ' ἐκεῖνο Τεῖχος ἐμοὶ δοκέει λεπτὸν ὕφασμα σέθεν.* Quibus exemplis fretus Iacobs. Anim. Anth. Gr. T. XII. (III, 1.) p. 51 sq. Fonteinii coniecturam in Agath. epigr. 8. Br. Anall. III, 36. (Anth. Pal. p. 137.): *οἷα δὲ πύργος ἔσκεπε τὴν κούρην ἁπλοΐς ἐκταδίῃ* — tuetur. Quodsi illis lascivioribus et cupidine gestientibus iam Coae vestis Semiramidis moenia viderentur, quid tunicae duplices et stola? quid superbi amiculi balteus et sinus? Vides igitur, quid digiti velint, viam frustra praetentantes per ista munimenta.

v. 31. facies vulgo sed perperam ad puellam referunt; tu vero facies rogandi et verba rogandi pariter coniunge; neque enim modo infelix amator nescit, quibus verbis, ne custodes sentiant, puellam alloquatur, sed ne illud quidem, quo vultu preces ne intercipiantur, significet. Cf. Interpp. ad El. III, 8, 25.

Elegia XV.

De dispositione carminis vid. Q. P. II, 5. p. 89.

v. 3. praetextae pudor est velatus amictu. Non prorsus huc pertinere censeo quem Lachm. confert Lucani locum II, 360.:

Non timidum nuptae leviter tectura pudorem
Lutea demissos velarunt flammea vultus.

Nam flammeo nuptae revera caput et vultum pudoris

testem velabant. Multo etiam minus Senec. Troad. 89.: Cui coniugio Pectora velas, captive pudor? Nam illic pudor velare dicitur pectus, hic contra ipse velari. Optime vero idem Stat. Silv. II, 1, 136. citat: Sola verecundo deerat praetexta decori. Addas licet Pers. Sat. V, 30.: Cum primum pavide custos mihi purpura cessit. Sententia igitur bene habeat. At ne in verbo quidem velare, pro quo Guyetus elatus coni., haerere debebant interpretes. Quoniam enim toga, dum virum velat, pudorem ipsum abscondit et ne appareat efficit, recte poetae, insigni rei pro re ipsa (i. e. liberiore vita) posito, velatum toga pudorem dicere licuit. Neque enim dissimile quamvis in alia re Stat. Silv. V, 2, 57.: imperium mulcente toga. Militiae enim severitatem pacis artibus mitigatam significat. Itaque ut El. III, 19, 22. Scylla „totondisse purpurea regna paterna coma", sic ipse hic Propert. velasse toga pudorem dicitur. Cf. praeterea Q. P. II, 6. p. 155. At restat scrupulus, quem correctione illa elatus minime exemerunt. Praetextam enim amictui opponi, cum tamen candida toga non magis quam praetexta amictus esset, vix credo per Latinae linguae proprietatem licuisse. Nec qui ego rem expediam, habere me fateor, nisi sic scripserit Propertius:

Ut mihi praetexti pudor est elatus amictus.

amictus Heins. habet, et legisse hoc librarios optimorum codd. error: amicus significat, praetexti vero manifesto Neap. exhibet. Iam unde variae discrepantiae venerint, satis apparet; neque librarios, ubi de vestibus toto versu agi senserunt, velatus procudisse ex elatus mirum esse potest. Elatum autem pudorem — sepultum dici iam Burm. certe licere demonstravit. At figurate efferri dici negat Lachm. se meminisse. Legitur tamen ap. Liv. XXIV, 22, 17.: periculumque ingens manet nisi paci et concordiae consulitis, ne libera efferatur respublica. Quod magnus Sigonius coll. XXVIII, 28, 12.: „Meo unius funere elata pop. Rom. erat respublica" primus recte interpretatus est. Atque hac sententia dictum — Ovid. Fast. VI, 245. quod optimae membranae consensu suo tuentur: „Spem metus extulerat" defendimus. Vulgo enim expulerat de coniectura reposuerunt. Et iam sublatum illud est, in quo non iniuria Lachm. haesit, quod amictu elatus non bene pudor dici videretur.

v. 4. amoris iter. Vid. El. II, 30, 14. 33, 22. Recte conferunt Ovid. Fast. III, 778.: Vestis quoque libera per te Sumitur et vitae liberioris iter.

v. 6. De Lycinna vid. Q. P. I, 6. p. 32., de temporis rationibus quarum hic Propert. meminit, vid. Q. P. I, 3. p. 16.

v. 11. Frustra quaerunt, cuius rei testem Dircam Prop. faciat. Unde Vulpius et Burmannus v. 41. et 42. huc intulerunt. At hoc est alieno aere versuram facere. Probarem enim, nisi sic multo etiam magis carminis exitus hiaret. Minus vero etiam recte Lachm.: Testis erat coni. sc. Antiopam Lyco accubuisse. Illa vero eius rei non testis erat, sed accusatrix; sin vidisse eam illud facinus significare Propertium censebat, non testis erat, sed fuerat scribendum fuisse illi, praetervidit. Quod vero ipse ad El. III, 12, 51. (i. e. 13, 51.) et 6, 21. (i. e. 7, 21.) provocat: illi loci prorsus non pertinent ad rem. Nam illic limina, quae etiam nunc sunt, Brennum et littora, quae adhuc manent, Agamemnonias curas testari dicuntur. Immo infinitivus ex crimine pendet. De testimonio autem non tam anxie ad calculos revocanda est poetae oratio, ut Propertio imprimis nihil occupare animo liceat. Hoc igitur ille: „Narrabo historiam et profecto eam quae ad Cynthiae et Lycinnae causam pertineat.“ Testem futuram esse Dircam ait. Cui autem nisi sibi contra eam, quacum confabulatur et rixatur Cynthiam? Erit autem ad eventum et finem narrationis spectat. Recte enim ait: „Dirces historiam me tibi testimonii causa narrare consenties, si probe mihi auscultaveris.“ — Ceterum frustra in expediendo insequentium versuum nexu laborabit, qui conflatam ex duabus fabulis narrationem secutum esse Propertium non consideret, quam utramque Hygin. refert Mythol. 7. et 8. alteram Euripidis ab Ennio Latine versam. Quodsi singillatim omnia quae ad hanc historiam pertineant cognoscere vis, doctissimam testimoniorum farraginem excute, quam in Paradoxis Thebanis, veluti quodam stupendae doctrinae horreo, amicissimus nobis Ungerus inde a p. 82. congessit. Antiopam enim Nyctei filiam ex Iove praegnantem Sicyonem ad Epopeum regem fugisse fingit. Cui tamquam filiae corruptori bello illato, Nycteum cum in pugna ipse cecidisset, Lyco fratri ut se ulcisceretur, mandasse: hunc Sicyone expugnata Antiopam captivam secum duxisse. Illam vero in itinere circa Asopi fontes (v. 27.) Amphionem et Zethum (v. 29.) gemino partu editos seni pastori educandos tradidisse (v. 36. 37.); Lycum interim amore servae captum invidiam Dircae uxoris movisse, quae tormentis saevissimis pellicem ita vexarit, ut tandem ruptis vinculis illa in Cithaeronem aufugeret (v. 23 — 28.). Non aguitam tamen filii matrem a pergula supplicem abegerunt, donec sene isto in-

terprete (v. 31—37.) errorem corrigerent. Tum matris iniuriam in noverca ulti Dircam tauro subligatam raptaverunt (38—40.). Zethus ingenio duriore poenas exegit (41.), dum Amphion mollior paeanem ex Aracyntho canit. Haec Propertius; sed ita solum capita quodammodo rerum tangit, ut tanquam scienti iam et consciae Cynthiae historiam notam in animum potius revocare, quam de industria exponere velle videatur. Unde nos Tauri Farnesiani signum ab Apollonio et Taurisco sculptum, tum vero in aedibus Asinii Pollionis curiosis patens et sine dubio multis elegantiorum hominum sermonibus iactatum, in hac descriptione ob oculos Propertii obversatum esse coniecimus Q. P. II, 4. p. 72.

v. 13. ussit. Heins. vulsit, quod Kuinoel. recepit. Quidni autem alteram quoque saevitiam dignam reginae invidia dicamus? Hanc enim poenam vel oculis irata Cynthia minatur III, 8, 7.: „Tu minitare oculos subiecta exurere flamma.“ Quid multa? certius faciem, quae meruit, foedabat crudeliusque hac quam illa poena miseram vexabat.

v. 14. immites. Unice vera haec Groning. scriptura, a qua altera immittens tam tenui litterarum discrimine differt, ut hanc pro illa reponere non tam correctio sit, quam interpretatio. Ad sententiam tamen, quamvis Iacobo non displiceat, mire languet (idem enim est immittere manus, idem figere) et solitam Propertio attributorum dispositionem turbat. Cf. Q. P. II, 6. s. IV. Ne tamen „inimitis“ — nimis mite saevientium istarum manuum ἐπίθετον videatur, cf. Gell. N. Att. II, 6. ibiq. Iac. Gronov. Macrob. Sat. VI, 7. Virg. Aen. VI, 438.

v. 15. pensis — iniquis. Crudelissimum quod Antiopa Dircae imposuit supplicium fuisse, ut ferreas fruges noctu moleret, primus Ungerus docuit coll. Etymol. M. p. 60, 3. in quo versus citatur Ap. Rh. IV, 1095.:

Ὀρφναίης ἐνὶ χαλκὸν ἀλετρεύουσα καλιῆς

(cf. enim nostr. v. 17.). Pacuv. frgm. Antiop. 2. p. 103. frgm. 3. et 9. p. 104. Perdita illuvie atque insomnia. Haec „ferrata pensa“ Claudian. dicit Rapt. Proserp. I, 53.

v. 21. servire. „Verior hic,“ Iacob. ait, „Groninganus est (qui servare exhibet). Si est etsi: Etiamsi deus es, non tamen tibi turpe tuam puellam servare“ — quasi cuiquam turpe esse possit puellam servare, aut quasi deo etiam turpius, quam mortalibus. Sola potius interrogatio (per hanc enim enuntiari vult versum), quae hic ferri posset, esset irridentis. Tum vero non particula si sed quod opus erat: „An tu credis, quod deus sit, servare te non debere puellam?“ Quod autem alteram scripturam ideo minus Iacob.

probat, quoniam nemo quin deus esset Iuppiter dubitaverit: poeta, acerbe Iovem increpans, iure de numine eius dubitare se ait, qui puellam suam (indignam deo negligentiam) servire patiatur. In ista tamen dubitatione, simul veram esse quam in protasi posuerit sententiam, fateri poetam, atque hanc ipsam propriam esse coniunctionis si virtutem, coll. comm. ad El. IV, 11, 19. Heindf. ad Hor. Sat. I, 6, 21. apparebit. Item in Graeco εἰ vel εἴ ποτε: Interpp. ad Hom. Il. α'. 39. 290. 503. Denique quis unquam si pro etsi positum, nisi addito in apodosi tamen aut simili verbo, vel fando audivit?

v. 29. 30. In participio abacta summam enuntiati versari Q. P. II, 6. p. 142. observavimus. Hoc enim ait: Mater, cum durum Zethum mollemque Amphionem experta esset, abacta est a stabulis." suis autem ait, quod iam Lachm. sensit, sibi debitis. Cf. ad El. IV, 3, 52. Proxime tamen I, 3, 37.: Namque ubi longa meae consumpsti tempora noctis. — v. 29. dubites, lacrimis dativus sit, an ablativus et ad matrem referendum. Quoquo modo tamen accipis, semper mirum videri debet, quod in eo versu, qui haud dubie causam insequentis continet, molliores Amphionis mores extremo loco commemorantur. Nam sive matris lacrimis cessit, sive precibus illius in lacrimas ipse effusus est, ab hoc certe expulsam esse Antiopen Propertius significare noluit, sed a duriore Zetho. Et sic rem gestam narrat Hygin. f. 8. p. 26.: „Devenit ad filios suos. Ex quibus Zethus existimans fugitivam non recepit." Miror criticorum negligentiam vel abstinentiam, qui tangere hunc locum obliti sunt. Nec tamen ego quidquam muto, quamquam dictum non laudo; hoc solum moneo, ut aliis poetis sic Propertio talia interdum excidere, nec nostro quod ne magno quidem Homero contigisse, ut nunquam dormitasse videretur. Ceterum mitius Amphionis ingenium etiam a sculptoribus Tauri Farnesiani indicari, in quo Dirce a Zetho subligetur, ab Amphione Taurus solum dometur atque ore contineatur, scite C. O. Muellerus observat Monum. Artis Antiqu. T. I. fasc. 4. Tab. 47. fig. 214. Cf. praeterea quae de diversis maxime fratrum illorum studiis ex variis auctoribus testimonia congessit Unger. Theban. Paradox. p. 86. 87.

v. 31 — 35. Locum a criticis varie vexatum, ab interpretibus vero peius etiam habitum lenissima cura, interpunctione, persanavimus. Sic enim olim legebatur:

Ac veluti, magnos cum ponunt aequora motus,
Eurus in adversos desinit ire notos,
Litore si tacito sonitus rarescit arenae:
Sic cadit inflexo lapsa puella genu.
Sera tamen pietas.

Vides deforme et foedum monstrum. Quamquam foedior etiam prae reliquis Kuinoelii interpretatio, nisi nimis esset ridicula. Haec enim ille, atque serio: „Praeclara comparatio desumpta a re penitus diversa —“ tollant equites peditesque cachinnum! Lachmanni contra v. 32. sat ingeniosa est coniectura: Eurus ubi adverso d. i. Noto, et quam, modo necessaria esset, verissimam dicerem: ita frequentia sunt adhaerentium alienis verbis litterarum in Neapol. exempla. In sequentibus tamen versibus minus feliciter ei emendatio cessit, quum v. 34. Sic pro si posito, hunc ipsum versum apodosin esse iussit antecedentium, tum post genu versum continuis verbis scriptum maiori signo a proximo qui sequitur, separavit. Quorsum enim ista fluminis cum mari comparatio? Nam Asopum — littore illo censet significari. — Aut quorsum omnino iterata eius fluminis commemoratio? Quid Asopus ad Antiopen? quid ad filiorum vel errorem vel pietatem? Quomodo denique sonitum fluvii, qui sub noctem augeri, non rarescere solet, diminutum dixerit Propertius? Nam tempestatis, de qua Lachm. cogitare videtur, ne uno quidem verbo mentio fit. Nec vero nunc in coniectura Iacobi reprobanda moror (qui v. 32. ut adverso — Noto et 34. pro inflexo iterum ut flexo reposuit); plana enim iam sunt omnia. Haec enim sententia: Post varios anxiae matris cruciatus et errores — maris tempestates diceres — cum iam omnibus viribus puella deficeret, tandem pietas liberorum (quamvis sera) apparuit — post nubila Phoebus. Nam de parenthesis usu post Ovidium nemini credo magis quam Propertio familiari satis diximus Q. P. II, 6. p. 128. Particula tamen vero quae sic posita et ipsa Ovidio in deliciis est, non raro praedicato ita additur, ut proprie quamvis cum attributo iunctum ponendum fuerit. Cf. Ovid. Fast. I, 495. 523. Metam. II, 337. Fast. II, 388. Trist. I, 5, 81. Quintil. II, 15, 14. ibid. 4. II, 13, 16. II, 11, 6. Praecipue vero hic usus observandus post vix et serus. Sic Virg. Ecl. I, 27.: Libertas quae sera, tamen respexit inertem. Tibull. I, 94.: Sera, tamen tacitis poena venit pedibus. Similiter sed apud nostrum est III, 4, 5.: Sera, sed Ausoniis veniet provincia virgis. Add. Ovid. Met. IX, 57.: Vix, tamen inserui sudore fluentia multo — Brachia. Graece est μόλις ὅμως ut eo ipso loco vertit Planudes. Cave tamen eodem referas El. III, 21, 7.: Vix tamen aut semel admittit, cum saepe negavit. Cf. ad El. II, 4, 9. Haec postquam scripsi, incidi in libellum Keilii, qui (p. 16.) emendationem nostram ut ineptam notare ausus est, quia scilicet littoris silentium,

quod aquis compositis fieret, huius rei causa diceretur. Non sensit bonus vir, protases illas: cum ponunt — et: si rarescit — ἐκ παραλλήλου positas esse, ita tamen, ut quod natura prius esset, priori loco assignaretur. Ipse haud inficete pro si — sub scripsit, in quam coniecturam ante eum iam Livineius inciderat.

v. 37. Ordionem pastorem invocari ab Ungero edoctus intelligo coll. Cedreno p. 24. D.

v. 40. in multis — locis. Apte quidem conferunt Ovid. Trist. III, 9, 28. de Absyrto: divisaque membra per agros Dissipat, in multis invenienda locis; et fuisse plurimos, qui Dirces corpus „vagis bovis discursibus foede laceratum et cruore fluens in fontem solutum esse ferrent," Unger. docet l. l. p. 92. Et tamen restat, in quo haereas. Profecto enim aliter membra dissipata multis locis esse dicuntur, aliter mors. Nisi mortem — corpus ipsum mortuum significare dicas. Cf. El. II, 13, 22. Q. P. II, 6. s. II. §. 28. init.

v. 43. Zethi. Unus Puccianus dativum praestat: Zeto. „Ergo Zetho uni partes diras tribuit; a Zetho alligatur." Recte quidem ille et acute et quod cum annotatis nostris sub v. 30. optime concinat, praesertim cum Amphionis quoque canentis imago ad signum illud nobile expressa quodammodo videatur. Nam illic etiam Amphion cithara instructus cernitur. Tamen de genitivo Zethi nihil muto, nedum omne eius nomen hinc delendum esse Heynio (ad Virg. Ecl. II, 23. qui laetum — Paeana maluit) aut Schradero (pro Zetho — late rescribenti) aut denique Lachmanno concedam. Quamquam hic ceteris multo probabilius et ingeniose ut qui maxime leto proposuit. Quid tamen, si certa nominum monumenta illae regiones servarunt? Si Zethi prata, sicuti Romae Coclitis semita (III, 11, 63.), sic iuxta Thebas visebantur? Nam ne Aracynthum quidem satis ab urbe Thebana et Dirce fonte remotum sedem Amphionis facturum fuisse Propertium crediderim, nisi in hac quoque re vel historias veteres vel fabulas et nomina prisca locorum factum illud testantia secutus esset. Laetor vero eandem coniecturam in quam ante nos Onwensium incidisse doceor (Noctt. Hag. III, 17. p. 539.) Ungero probari, Theban. Paradox. p. 86. qui totum illum in monte Cithaerone tractum, per quem Dirce dicebatur raptata a tauro fero appellatum, ex hoc facto esse persuasum habet. De Aracyntho autem ipso in confinis Boeotiae et Atticae sito adi eundem p. 89 sq.

Elegia XVI.

v. 1. 2. vulgo sic leguntur:

Nox media et dominae mihi venit epistola nostrae.
Tibure me missa tussit adesse mora.

et tamen interpretati sunt, quasi non Tibure Romam, sed Roma Tibur arcessitum esse se Propert. dicat. Contrariam viam ingressus est Iacob. qui coll. Valer. Flacc. IV, 747. Virg. Georg. II, 7. Ovid. Heroid. XV, 95. Ib. 84. Ennio ap. Cic. Tusc. I, 16, 37. Ovid. Metam. II, 512. verbum adesse, ubi locus quo quis venerit significetur, ad analogiam verbi advenire semper cum quarto casu coniungi pugnat. Quod autem addit „quando adesse est advenire“: non prorsus illud ad amussim. Nam adesse — eventum quidem adveniendi significare potest, non ipsum advenire. Quamquam cum eventum illum postulamus, sive illud imperativo modo fit, sive post verba iubendi, ipse adveniendi actus in medio positus inter voluntatem atque factum, ut simul sponte apud animum intelligatur simulque postuletur, necessario efficitur. Normam vero illam quam Iac. proposuit, minime nobis persuasit veram esse. Nam Liv. XXI, 63. haec habet: „Edictum ad consulem misit, ut is exercitus Idibus Martiis Arimini adesset in castris.“ ibid. XXXVI, 9.: Exercitum adesse Romae ad diem triumphi iussit. XLV, 29.: Adesse Amphipoli denos principes civitatum iusserat. Iam vero quod Iacob. v. 4. et 5. nescio quem locum regionis duodecimae describi ait, quo aquae Anienis tubis deducti fuerint: tam evidens Tiburis ipsius descriptio illa est, ut lectorum Romanorum, quibus quotidie in conspectu erat illud oppidum (ἐν ὄψει τοῖς ἐν Ῥώμῃ ut Strabo ait V. T. II. p. 175. Siebenk.), nemo dubitare posset, qui locus his versibus designaretur. In altis enim rupibus, communi oppidorum apud veteres Italos munimento, situm (cf. Nieb. H. Rom. III, 18, 2. Bunsen. in Descript. Rom. T. III. p. 12. 13, hinc proni Tiburis arx Iuven. III, 192. summa Tib. arx ibid. XIV, 87.: hinc vero etiam „moenia Catili“ Hor. Od. I, 18, 2. Tiburtia moenia Virg. Aen. VII, 670. unice explicanda. Vid. Q. P. I, 1. p. 6.) candidam eminus pro lapidis Tiburtini natura (Travertinum nunc vocant, de quod vid. Vitruv. II, 7. Pallad. I, 10. Plin. N. H. XXXVI, 5. 48. Mueller. de Archaeol. p. 315. §. 268, 2. Dissen. ad Tibull. I, 7, 58. luculentissime vero Hoffm. in Descriptione Rom. I. p. 68 sqq.) praeferebat speciem et scissum fluminis interventu ac duplex culmen in utraque ripa, hac villas potentium Romanorum, hac turriti

oppidi fastigia longe ostendebat. Inter quae Anis nobilissimis cataractis praeceps devolutus longe patentem efficit lacum, donec terrae hiatu abripitur. Sic locum Statius in Vopisci villa (duplicisque commercia ripae — et Anienem infra supraque) Silv. I, 3, 21. describit. Add. I. I. Gerning. Itinerar. Austr. et Ital. T. III. p. 160 sqq. Neigebauer. Itinerar. Ital. p. 561 sqq. Turres vero cum magnificas excelsasque aedes in universum (hae turres sunt in Capitolio Cic. Catil. III, 8. — hae turres Tyri Tibull. I, 7, 19. ubi et alios Dissen. citat et Obbar. in Horr. Seebod. a. 1825. p. 460. Add. Iahn. ad Ovid. Metam. I, 290. Sic noster El. III, 21, 15.: Romanae turres), tum quae in portis divitum specularum modo extrui solebant, significare docet Ernest. ad Sueton. Neron. 38. coll. Duker. ad Liv. XXXIII, 48. et Tacit. Histor. III, 38. Add. Plin. Ep. II, 17. c. med. Becker. Gall. I. p. 303. n. 30. Turneb. Advv. XXIV, 4. Denique cui non dictus aut cui non cognitus „praeceps Anio“ (Hor. Od. I, 7, 13.) „qui per saxa volutus Tiburis Argei pomifer arma rigat“ (Ovid. Am. III, 6, 45.). Strabo l. l.: ὁ καταράκτης ὃν ποιεῖ πλωτὸς ὁ Ἄνιων ἀφ' ὕψους μεγάλου καταπίπτων εἰς φάραγγα βαθεῖαν. Add. Stat. Silv. l. l. Itaque non Romam Tibure, sed Tibur Roma arcessiri Propertium certissimum est. Quid igitur? Cum superioribus interpretibus Tibure post verbum adesse eodem modo, quo supra a Livio Arimini Romae, Amphipoli, positum esse dicamus? Non ego committam. Nam cum alternam rationem, qua ablativus cum eo verbo coniunctus non locum quem quis petit, sed eum unde venit significat, frequentiorem etiam hac ipsa esse Iacobo aeque concedamus, de industria Propertium plus quam ancipitem orationem facturum fuisse nequaquam credimus. Quinimmo si tamen ablativum voluisset, Tiburi potius dixisset, magis etiam usitatam formam quaque ambiguum illud certius evitaretur. Sic Sueton. Calig. 8, 2. Claud. 34, 3. sic Cic. Att. XVI, 3. scripserunt; sic denique proprie et paene semper scripsisse veteres Servius ad Virg. Aen. IV, 224. docet. At metrum obstabat, neque igitur aliter in simili causa Horat. Ep. I, 8, 12.: Romae Tibur amem ventosus, Tibure Romam. Adde praeterea Hoffm. in Iahn. Annall. a. 1828. vol. II. fasc. 1. p. 20 sqq. Ruddim. Instit. T. II. p. 270 sq. coll. 276 sq. Audio. Sed nihil tamen obstitisse aio, quin Tibur scriberet. Atque sic corrigendum esse dicerem, si modo, quid librarios in communem illum errorem compulisset, satis appareret. Itaque medicinam certissimam simul et lenissimam, quae in medio posita, tamen ut fit VV. DD. omnes fugit, eam huic loco adhibuimus, ut in fine v. 1. virgula de-

leta, post Tiburе puncto minore distingueremus: quo simul omnis lis dirempta est.

v. 2. missa. Alii nulla ex Ment. praetulerunt. Ad sententiam nihil interest; ad orationem probum utramque. Hic igitur sola auctoritas librorum valeat.

v. 4. Nympha Aniena. Ridiculum ait Lachm. Nympham in lacum cadere, itaque lympha ex Gron. recepit. At verissimum alterum. Diximus de ea re Q. P. II, 4. p. 78. Sed locupletissimus auctor Cicero N. D. II, 23.: Itaque illud quod erat a deo natum, nomine dеr nuncupant, ut cum fruges Cererem appellamus, vinum autem Liberum. Lucret. II, 655.:

Hic si quis mare Neptunum, Cereremque vocare
Constituet fruges, et Bachi nomine abuti
Mavolt, quam laticis proprium proferre vocamen,
Concedam.

Quin vulgo receptum dicendi id genus Clemens Alexandr. docet Protr. p. 7.: *Οἱ δὴ τῶν ἐκ γῆς φυομένων τοὺς ἡμέρους δρεπόμενοι καρποὺς Δηὼ τὸν σῖτον, ὡς Ἀθηναῖοι, καὶ Διόνυσον τὸν ἄμπελον, ὡς Θηβαῖοι, προσηγόρευσαν.* Add. Theodoret. de Provid. Serm. I. p. 10. Therap. III. p. 45. Sext. Empiric. adv. Math. p. 511. quos Davis. citat ad Cic. l. l. Neque ego nunc vulgatissima illa dico, velut „Bacche perfusa tempora“ (Tib. I, 2, 3.) eademque „uda Lyaeo“ (Horat. Od. I, 7, 21.), Minervam pro lanificio dictam (El. IV, 5, 23. Dissen. ad. Tib. II, 1, 65.) atque adeo pro oleo (Trist. IV, 5, 4.: infusa Pallade flamma; unde cave Metam. VIII, 665.: „sincerae bacca Minervae“ in castitatem deae virginis interpreteris, quod putidum esset, sincera enim Minerva purum oleum, quod ibid. Palladios latices appellat): Nymphas si hic monstro simile habet Lachmannus, quid ubi personam nūminis, non donum suum, ipsa verba efflagitare videantur, ut Stat. Silv. III, 1, 41. qui Herculem dicit multo fratre madentem? Neque aliter Ovid. Ep. ex Pont. IV, 10, 55.: Quique duas terras Asiam Cadmique sororem dividis, aut contraria confusione Trist. II, 53.: Per mare, per terras, per tertia numina iuro. At ne illud quidem vulgare, quod Ep. ex Pont. II, 7, 82.: Phoebea virgine (i. e. lauro) cincta tempora ait. Nymphas igitur pro aqua confuso numinis et aquae discrimine Martialis ponit VI, 43, 2.:

Dum tibi felices indulgent, Castrice, Baiae
Canaque sulphureis nympha natatur aquis —

et prorsus ut noster VI, 47, 1.:

Nympha mei Stellae, quae fonte domestica puro
Laberis et domini gemmea tecta subis —

ubi solitos hoc in nomine et paene perpetuos librariorum errores iure non curavit Schneidewin. Add. Auctor. Eleg. in Obit. Maecenat. 33. Anthol. Lat. T. I. p. 259.: Maluit umbrosam quercum Nymphasque cadentes — et sic Cels. III, 18.: Confert etiam ad somnum Silanus iuxta cadens. Nam propriam eius nominis significationem haud prorsus hic voluisse eum credam. Sed omnem dubitationem Statius tollit, qui de Anieno ipsius huius nostri Anienis deo et, quod plus etiam est, de eodem Anienis lacu Silv. I, 3, 70 sqq.:

> *Illis ipse antris Anienus fonte relicto*
> *Nocte sub arcana glaucos exutus amictus,*
> *Huc illuc fragili prosternit pectora musco,*
> *Aut ingens in stagna cadit.*

Quid, quod deo licuit, deae negemus? Nec vero Lachmanno El. III, 28 (i. e. II, 32.), 15. ad Bentleium provocandum erat, qui Horat. Carm. III, 13, 15.: „unde loquaces Lymphae desiliunt pede" tum Epod. XV, 18.: „montibus altis Levis crepante Lympha desilit pede" legendum censuit, quia scilicet longe esset „figuratius et ποιητικώτερον lymphae sive aquae dare pedes, quos non haberet: quam Nymphae, quos haberet, concedere." Tales enim magnorum virorum errores rectius tacentur, quam aeternitate donantur in posterum etiam nocitura. Hoc tamen addam, in nullius numinis appellatione proniorem esse illam et poetis magis expeditam dei et naturae confusionem, quam in Nymphae nomine; siquidem utraque vox initio et origine eadem postea demum in diversas significationes dispertita est, ita ut antiquissimis scriptoribus Romm. aquae fontiumque dea pariter et Lympha et Nympha nuncuparetur. Cf. Varr. R. R. I, 1, 6. Gruter. C. I. XCIII, 1. Fest. s. v. *Lymphas.* Serv. ad Virg. Aen. VII, 377. quos Forbig. citat ad Lucret. V, 947. ubi eadem atque hic a VV. DD. lis mota erat. Add. Orellii C. I. n. 1639.: LYMPHEIS DIANAE REDUCIS SACR. 1638.: LYMPHIS SAC. et solito in formulis solemnibus pleonasmo 1637.: NYMPHIS LYMPHIS Q. AUGUST. OB. REDITUM. AQUARUM. P. POMPONIUS. CORNELIANUS. Q. UT VOVIT. Unde absurdam olim Gruppii coniecturam Lygd. (Tib. III.) 5, 3.: „Nunc autem sacris Nympharum" (pro Baiarum) „maxima lymphis" refutavimus in censura Elegiae Gruppianae Annall. Hall. a. 1839. N. 128. p. 1023.

v. 7. At si haec distulero. Lachm. ex Neapol.: At si distulero haec dedit, ut quae elegantior collocatio esse sibi videretur, numerosque suaviores redderet. At difficiliora synaloephes genera in hac hexametri sede maxime frequentari, exemplis Q. P. II, 6. s. IV. p. 179. s. fin. collatis appa-

relat. Deinde nostro — timore cum ceteris quidem interpretibus ad verbum distulero relatum inter hyperbata recensuimus Q. P. II, 6. s. II. §. 10. p. 122. At nescio tamen quid languidi habeat illud nostro. Nam si quis timore quid differt, quo tandem ille timore nisi suo differat; neque ego quemquam veterum sic locutum esse credam. Quid igitur si ablativum, quo naturalis verborum collocatio ducit, cum mandata coniunctum eo modo explices, quo non raro a Propertio sextum casum positum illustravimus Q. P. II, 6. s. IV. p. 135 sq. Nostro igitur timore paene idem fuerit, quod nobis timentibus, sicut El. I, 21, 3.: nostro gemitu pro nobis gementibus. Dativum fortasse alius maluerit. Sic commode interpreteris:

Doch verschoeb' ich etwa das zu meinem Schreck mir Befohlne —.

v. 9. totum — in annum. De hoc anno vide Q. P. I, 3. p. 16.

v. 12. sic licet ire. Diu verum latuit, cum Heinsius modo: si libet, ite — modo: Scironias his liceti. vias coniecisset, Lachm. vero librorum patrocinium professus media scilicet in via sic tueretur, ut ignorari ab eo Propertium pronuntiaret, qui illi hunc usum infinitivi non concederet. Edicto isto doleo, nec tamen possum quin palmarem Iacobi emendationem dicam, Laurentiani codicis firmamento nixam: sic licet ire via. Verissime enim ille: Nemo Propertio magis sic amat, hic est sic, si quis amat. Nec tamen refert quoties, sed quomodo Prop. ea particula usus sit. Cf. igitur quae ad El. I, 19, 16. disseruimus.

v. 15. ministrat iter. Sic nostri omnes. Quod recte contra Broukh. (qui ministrat equis ex uno Regio reposuit) Lachm. tuetur. Nam sine luce Lunae iter invium et paene nullum. Unde Lucretius I, 1108.: Namque alid ex alio clarescet, nec tibi caeca Nox iter eripiet et contra Virg. A. X, 161.: „Iam quaerit sidera opacae Noctis iter", ubi sidera ipsa iter vocantur, metonymia pulchra, sed cui nullus esset locus, nisi pari et effici iter sideribus crederetur. Ministrare vero est officiose praebere. Itaque iam confectam rem habere debebat uno Maecenatis loco Conviv. apud Serv. ad Virg. Aen. VIII, 310.: „Idem humor ministrat faciles oculos, pulchriora reddit omnia" cett.

v. 16. percutit. Guyetus: praecutit scripsit, receptum exinde ab omnibus praeter Iacobum, qui recte „praecutit" ait „facem is, qui praecedens percutit: hic autem Amor percutit ante". Supererat autem, ut rariorem verbi usum, qui superiores interpretes fugit, exemplis firmaret. Cum enim vulgo sit ferire aut certe percellere, elegantius tamen

etiam ea res, quam quatimus et iaculamur, percuti dicitur. Sic Ovid. Met. VI, 58.: subtemen — Percusso feriunt insecti pectine dentes. Pecten enim non penetratur, sed ipse penetrat subtemen. Quin absque penetrandi notione ibid. VI, 64.: „Qualis ab imbre solet percussus solibus arcus — Inficere ingenti longum curvamine coelum," quod qui non intellexerant, correxerunt: percussis. Frustra: nam ab imbre — post imbrem est, percussus vero solibus arcus est, quem sol per aerem iaculatur. Citra enim dubitationem manifesto Virg. Aen. VIII, 22.: lumen Sole repercussum. Quamquam ne illic quidem defuerunt, qui enallages praestigiis locum expeditissimum intricarent, cum tamen in verbo composito repercutere illa quam diximus significatio vulgaris iam et propria facta sit.

v. 19. Sanguine tam parvo. Parvus s. dicitur utpote exilis et ignobilis hominis caede fusus, enallage illa vulgari de qua cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 24. p. 144. Haec igitur sententia: Quis tam exigua victoria laetetur, unde nec praedam nec gloriam rettulerit? Quod non monerem, nisi cum vetere Medeae ariete poetam comparare interpretibus placuisset, coll. Ovid. Met. VII, 315.: exiguo maculavit sanguine ferrum. Quanto rectius Struchtmeyerus Obss. Crit. II, 10. p. 156. parvum sanguinem explicat parvam caedem, ut ap. Stat. Theb. VIII, 573.: magnus sanguis pro magna caede est, et parva arma Cicero dicit de Off. I, 22. contemnenda. Pravo sanguine mirum est Dorvillii inventum (ad Charit. IV, 2.); scilicet nefandam caedem intellexit.

v. 20. exclusis. Corruptum esse verbum primus Lachm. suspicatus est. Nec tamen feliciter ipse et cursus coni. Hiat enim compositio, nec post interrogationem et illud recte sedet, ne de nimia literarum differentia dicam. Facillima ad has esset correctio: Improbus exulis? his f. — at ne sic quidem Propertianus fuerit versus. Itaque fortasse quis maluerit: exilii fit c. i. V. Neque enim, quod sponte intelligatur, post exilii his vel adeo huic iterandum. Exilium autem errorem significare procul domo circumvagantium, satis notum est. Sed vulgata quoque defendi possit, cum Cic. pro Cluent. vagus, exsul, exclusus tamquam *συνώνυμα* coniungat, modo ne exclusum foribus amicae, ut priores interpretes, sed commercio hominum intelligas.

v. 23. huc. Sic libri (non haec, quod a Guyeto est); recte: ad funera et ad rogum, qui unguentis infusis inspergi solebat, et odoris causa et ut flammae alerentur. Cf. El. II, 13, 30. IV, 7, 82. Subiectum autem enuntiati ne cum

Lachmanno longius quaeras, custos est ad utrumque verbum pertinens, quam tamen Cynthiam intelligi satis certum est.

v. 29. Dedi, cum inter plura per codd. optare liceret, id quod maxime Propertianum videretur: humet cumulus, non humer cumulis. Cf. ad El. IV, 8, 76. Q. P. II, 6. p. 152. 153. Cumulus vero — non tumulus — tum propter v. 27. scribendum erat, tum quod attributum vallatus in illum potius, quam in hunc quadraret. Nam librorum in tam assidua utriusque vocis confusione nulla est auctoritas, praesertim cum ipse non semper discernas, utrum vocabulum librarius exprimere voluerit. Vallare vero ad similium verborum omnium proportionem (qualia sunt cingere, cumulare, cf. Virg. Aen. XII, 174. 215. circumdare, circumferre) non modo cum accusativo eius rei, quam circum vallum ducitur, coniungere licebat, sed etiam eius ipsius, quae in valli modum extruitur. Vallare igitur idem est atque aggerare, quod proximum significatione verbum item duplici modo usurpatur. Nam et arbores aggerari dicuntur: Columell. XI, 2, 46. i. e. aggere cingi, et terra (ibid. 28, 2.) vel cinis (ibid 3, 28.) aggerari i. e. in acervum extrui, et ita Silius XV, 405. Carthaginem novam sublimi vallatam vertice montis, non cinctam vertice, ut consentaneum est, sed eductam significat.

Elegia XVII.

v. 2. pacato restituit Iacob., qui pacis per Bacchum impetrandae precationem per versus sequentes aperte exponi recte observat. Groning. autem error bacchato unde nasci potuerit, luculentissime docet Mentel. quem falso, ut saepe, Burmann. cum Groning. consentire praedicat. Ad metaphoram cf. El. II, 14, 29. III, 24, 15.

v. 6. vitium — dilue. Metaphoram a notis et maculis animo inustis (κηλῖδας, καύματα Graeci dicunt) ductam esse erudite observat Iacobs. Floril. Poet. Lat. p. 216. coll. Plutarch. T. II. p. 562. B.: ἐξαλεῖψαι κηλῖδα τῆς κακίας. Elegantius vero et concinnius hoc simile eo fit, quod verbum diluere optime cum liquida vini natura concinit, unde illud Ovid. A. A. I, 238.: Cura fugit multo diluiturque mero.

v. 7. 8. in astris — ad coelum Aldinarum editores primi mutaverunt pro ad — in scribentes, Lachm. restituit. De pleonasmo vid. Q. P. II, 6. s. II. §. 29. p. 158.

v. 10. aut. Calphurnius vel dedit, quod vetante Latini sermonis proprietate mirum quam diu in editionibus haeserit. Iure tamen Lachm. expulit.

v. 12. utrinque meum. Consentienti Gron. et Perr. auctoritati refragari religio fuit; et immane languet Neapolitani et reliquorum illud utroque modo, cum quo Iacob. comparare non debebat Manil. Astron. I, 312.: Has — utrumque, Dividit et iungit squamis ardentibus anguis. Grat. Cyneg. v. 333.: Utrumque, et prudens et sumptis impiger armis, aut Oppian. Cyneg. I, 90.: *Ἀμφότερον, κραιπνόν τε θέειν σθεναρόν τε μάχεσθαι.* Aliud enim illud pronomen sonat praemissum divisioni, aliud subiunctum. Catonis autem Dir. v. 93. corruptissimus est. Contra alterum optime de diversis animi perturbationibus. Sic El. I, 3, 14.: quamvis duplici correptum ardore inberent Hac Amor hac Liber, durus uterque deus. Itaque Horat. Epist. I, 4, 12.: Inter spem curamque, timores inter et iras. Utroque — meum primus, ni fallor, Passerat. proposuit, quod receptum deinde usque ad Iacob. libros occupavit. Quod licet et ipsum per se probum, „utroque" tamen „simpliciter pro utrinque poni" pronuntiare non debebat Burmann.

v. 17—20. Interpunctionem Iacobi secutus sum. Qui enim hoc Dummodo ad superiora referunt, maiore signo post v. 19. posito, nimis cauponantem cum deo poetam faciunt. Ille vero custodem vinearum vel sine mercede se sistit. Contra impleri numine se spondere non potest, nisi divinus ille liquor suppetat. — v. 19. per te et tua cornua. Dicendi genus illustravimus Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 151. Significatur *Διόνυσος Κερατοφυής* vel *Ταυρόμορφος*, de quo cf. Athen. XI. p. 476. Plutarch. Isid. 35.

v. 21. Aetnaeo fulmine partus: cf. Q. P. p. 136.

v. 22. De Nysis vid. I. H. Voss. in opp. posthumis a Brzoska editis L. 1834. N. II., sicuti de toto qui mox recensetur apparatu Bacchico doctam Schoenii amicissimi viri Commentationem de Personarum in Euripidis Bacchabus habitu scenico. Lips. 1831. p. 70 sqq.

v. 23. Vesanum — in vite. Crassa Minerva interpretantur: in vitem. Tu vero cf. Q. P. II, 6. p. 134. Nec minus errant, cum v. 24. in triplices greges pro triplicibus gregibus dictum existimant. Est potius praegnans ille praepositionis usus plane Propertianus, quem Q. P. II, 6. s. II. §. 17. p. 133. comm. ad El. II, 17, 6. III, 14, 5. II, 32, 23. illustravimus. Sunt igitur funera in triplices greges divisa non tam gregibus istis grata, quam ei de quo uno hic agitur, Baccho. Dativus enim ex ipso sententiarum nexu facile intelligitur. Cf. comm. ad El. I, 6, 32. extr.

v. 27. bene olentia flumina. Scalig.: bene olenti flumine, sublato post v. 28. distinguendi signo. At

recte codicibus patrocinatur Lachm. De industria enim Prop. structuras variare amat. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 15. p. 130. ubi exemplis congestis adde quod maxime huc pertinet II, 19, 11.: spectabis arantes, Et vitem — ponere — comas. Docte nuptiae Bacchi et Ariadnae significantur, in quorum honorem vina ex saxis manasse auctor est Senec. Oedip. 587.: Pumice ex sicco fluxit Nyctelius latex. Hinc fabulam de perenni vini fonte Naxio per saecula servatam esse coll. Steph. Byz. s. v. *Νάξος*. Iacobs. observat Flogil. P. L. p. 218.

v. 29. Quae virtus esset mutatae subito formae orationis, primus videtur Iacobs. intellexisse. Nam poeta dum canturum se Bacchi laudes promittit, velut ultro insania illa divina abreptus, ipsum deum praesentem videre sibi videtur atque adorare. Pertinet igitur ad id figurarum genus, quod Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 157 sq. illustravimus.

v. 30. Cinges Beroald. correxit, nam in libris Cingit erat, manifesto librariorum lapsu, quo nihil vulgarius. Bassaricae comae quae essent, nemo recte interpretatus est. Bacchicas comas significari constat, i. e. ea specie adornatas et per colla fluentes, quae soli illi deo propria primo aspectu doctis statuas eius prodit. Cf. Viscont. Mus. P. Cl. T. II. tab. 28. p. 206. Schoen. l. l. p. 13. Zoega, qui singularem de crine Bacchico libellum scripsit a Welcker. ed. p. 24. Accuratissime cultum eum Eurip. describit Bacch. v. 453.:

Πλόκαμός τε γάρ σου ταναὸς, οὐ πάλης ὕπο,
γένυν παρ' αὐτὴν κεχυμένος, πόθου πλέως.

Hinc Liban. in Tim. se ipsum deferente IV. p. 189. Reisk. Alcibiadi tribuit *κόμας τοῖς κροτάφοις ἐπισπωμένας βακχικάς*. Ne igitur mirare, tam insignem dei ornatum in ipso Baccho Bacchi nomine separatim nominari, neve in eo calumniare, quod alias tamen quam Bacchicas Bacchus comas habere non possit. Ad nomen deinde Bassareus, ne varia somniantibus interpretibus credas, vid. Schoen. l. l. p. 147. qui sic eum a veste *βασσάρα* appellatum, vestem vero a maculato vulpium quarundam genere cognomine dictam esse coll. Scholl. ad Hor. Od. I, 18, 11. Herod. IV. c. 190. Hesych. s. v. docet. Restat ut de Lydia mitra dicamus, quae qualis diceretur non satis explicuerunt interpretes. Tria autem capitis tegumentorum genera mitras dictas fuisse certum est, quorum illud, quod Phrygii pilei nomine vulgo appellatur, alienum a cultu Bacchico fuisse Schoenius l. l. p. 142. docte exposuit. Hic praeterea sicuti El. IV, 2, 31. verbum cingere, ut de infula potius quam de pileo cogitemus, persuadet. Iam vero quominus cum reliquis inter-

pretibus illud (κεκρύφαλον) muliercularum tam Graecarum quam Romanarum vulgare ligamentum (cf. comm. ad El. II, 29, 15. El. IV, 5, 70.) a sacris sacerdotum vittis et regio diademate non nimis abhorrens (Arist. Thesm. v. 263. eiusd. frgm. ap. Poll. VII, 95. Lucret. IV, 1122.) dici hic existimemus, attributum illud Lydia prohibet, quo proprium aliquod gentibus barbaris ornamentum significari constat. Hoc autem diadema illud fuerit, quod additis utrimque buccarum tegumentis in angustiores lemniscos exit, uti in Bacchi imagine videre est ap. Millin. Pict. Vas. I. tab. 9. a Creuzero indicata de Symbol. III. p. 498. Hinc ille μιτροφόρος audit Orph. h. LII, 4. χρυσομίτρης Soph. O. R. 200. Alia cf. ap. Schoen. l. l. p. 15 sq. p. 135 sq. Obesse autem nostrae interpretationi videtur, quod Lydia mitra ap. Pindar. Nem. VIII, 14. et Virg. Aen. IV, 216. vocatur Phrygius ille pileus. Nec tamen moveor. Duplex enim Lydiae mitrae genus esse potuit, et in Bacchica hac nostra fasciolarum et buccularum dependentium apparatus barbaram originem prodit. Unde Senec. Hercul. Fur. 470.: Mitra ferocem barbara frontem premens. Quam ut Bacchus ex Lydia attulisse crederetur causa fuit, quod Tmolus Lydiae mons a quibusdam patria eius esse ferebatur. Cf. Eurip. Bacch. 65. Heyn. ad Apollod. IV, 4, 3. p. 278. Hinc in cohorte eius Lydae mulieres recensentur a Lucian. de Saltat. c. 3. T. II. p. 167. Reitz. Athen. V. p. 198. C.

v. 31. Levis. Unus Gron. Lenis, quod non displicere videtur Iacobo. Alterum tamen multo evidentius, et iam propter olivum paene necessarium.

v. 32. Pallam hic significari coll. Val. Flacc. I, 385.:

Puniceo cui circumfusa cothurno
Palla imos ferit alta pedes —

certum est; eandem autem esse tunicam talarem (non amictum, quod et alii demonstrare conati sunt et Becker. Gall. I. p. 324. II. p. 90 sqq.) Pollux VII, 59. docet: Λυδῶν δὲ βασσάρα χιτών τις Διονυσιακὸς ποδήρης. Callixen. Rhod. libro III. de Alexandria (ap. Athen. V. p. 198. C.) χιτῶνα πορφυροῦν διάπεζον appellat — et Albinov. Obit. Maecen. v. 59.: Et tibi securo tunicae fluxere solutae. Add. Stat. Achill. I, 206. Senec. Hercul. Fur. 476. et quae in censura operis Beckeriani disputavimus, Annall. Hall. 1839. Novemb. N. 289. p. 2305 sqq. De nudis pedibus altum apud interpretes silentium, quos tamen et in universum aliquid religiosi habuisse Spanhem. docet (ad Call. h. Cer. v. 125.), et Bacchi cultui proprios fuisse Musgravius demonstrat ad Eur. Bacch. 665. Cf. Schoen. l. l. p. 155.

v. 33. 36. Mollia tympana — cymbala rauca. Nomina haec locum mutare iubet Burmannus, ut contraria nanciscantur attributa, plaudente Lachmanno. Frustra. Utut enim alibi „tympana rauca“ dicuntur, „cymbala mollia“ dici natura rei vetat. Acutissimum enim illa sonum edidisse Rhaban. Maurus testatur Comm. in Iudith. Mscr., quem Elmenhorst. citat ad Appulei. de deo Socrat. p. 49, 18. Confirmat Philipp. Thessal. 6. Ann. Br. p. 210. qui ὀξύδουπα κ. appellat, et ep. ἀδέσπ. 174. Ann. Br. T. III. p. 184. ubi ὀξύφθογγα audiunt. Hunc autem ipsum acutum et tinnientem sonitum raucum dici Iacobs. l. l. p. 219. demonstrat coll. Virg. Ecl. II, 13. ubi cicadae raucae appellantur et Aen. XI, 458. ubi cygni. Mollia igitur tympana non auditu intellige sed tactu, quippe quae e mollitis coriis fabricantur. Hinc βυρσοτενῆ τύμπανα Eurip. Hel. 1272. βύρσης κτύπος Bacch. 503. Phalaec. ep. 3. Ann. Br. I. p. 422.: κούφοσο βαρὺν τυπάνου βρόμον. Catull. LXIII, 8.: leve typanum. Taurini pulsus Stat. Theb. II, 78. taurea terga Ovid. Fast. IV, 342. levia terga Stat. Achill. II, 157. (cf. Schoen. l. l. p. 126.) Quid, quod Stat. Achill. I, 654. Achilles Deidamiam increpans: tibi, inquit, pensa manu, tibi mollia gesto Tympana? — Muliebre autem imprimis instrumentum erat, nec fere in choro Bacchico alii cuiquam nisi Bacchabus tribuitur, unde Senec. Hercul. Fur. 469.: laude qui notas manus Ad non virilem tympani movit sonum. Atqui hic Dircaearum Thebarum nomine muliebres choros docte significari, cum Panes v. 34. illis oppositi persuadent, tum vero etiam, quod Bacchas Euripideas ante oculos poetae obversatas esse plus quam verisimile est. Euripidis autem chorum e solis mulieribus compositum fuisse constat. Ceterum ne propter Cybelen tympana v. 36. malis: cymbala non minus illi sacra fuisse praeter loces ab interpp. adhibitos Stat. Ach. II, 154. Virg. Georg. IV, 64. Lucret. II, 618. Ovid. Fast. IV, 213. epigr. Anthol. Gr. supra citatum testantur. Ceterum ne illud quidem absurdum, quod Iacobs. Floril. Poet. Lat. p. 219. propter ipsum mulierum usum molle dictum esse tympanum observat.

v. 34. Panes cum Satyris hic ut fere solent ab interpretibus confunduntur. Quamquam illos quoque in cohorte Bacchi fuisse, quis nesciat? At Pan φίλος Ἑρμείοιο Nicomed. Smyrnaeo vocatur Ann. Br. II, 382. ep. 2. Anth. Gr. III. p. 91. Iacobs. Animadvv. T. X. p. 129. Et plures Panes etiam Columella novit X, 427. Myrin. Epigr. 2. Ann. Br. II. p. 107. A. P. p. 190. Anth. Gr. II. p. 93. Cf. Mueller. de Archaeol. p. 519. §. 387, 1. 5. coll. p. 515. §. 385, 2.

v. 35. Cybele. De nominis forma vide comm. ad El. III, 22, 3. de cultu eius deae Bacchico Schoen. l. l. pp. 69. 109. 113. 118. 121. Interpp. ad Pindar. Pyth. III, 78. Dissen. ad frgm. Parth. I. p. 629.

v. 36. Tuadet verissima Scaligeri est coniectura, quam in ordinem recipere dubitasse Iacobum tanto magis miror, quanto apertius unde error venerit v. 38. docet.

v. 37. 38. crater — fundens. Orellius Iacobsio teste (l. l. p. 219.) craterae fundent, quod magnopere probabat Iacobus. At Graecas formas unice Propertio placuisse compertum habeo. Cf. Q. P. II, 6. s. III. Cave tamen, cum Broukhusio crateram auro pro aurea cratera dictam esse censeas. Quod Propertianum esse coll. El. II, 31, 7. minime pervincunt: cf. comm. ad l. l. Ablativus auro potius ad fundens pertinet. Ne vero quod ipse crater ex auro libare dicatur mireris, cf. quae de hoc dicendi genere in universum disputavimus Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 153. Add. comm. ad El. IV, 6, 4. imprimis vero El. III, 10, 22. IV: 26, 50. Ex hoc autem loco unice emendandum Ionis frgm. ap. Athen. XI. p. 463. B. quod in libris mss. sententia cassa sic legitur:

Χαιρέτω ἡμέτερος βασιλεὺς σωτήρ τε πατήρ τε·
Ἡμῖν δὲ κρητῆρ' οἰνοχόοι θέραπες
Κιρνάντων προχύταισιν ἐν ἀργυρέοις· ὁ δὲ χρυσὸς
Οἶνον ἔχων χειρῶν νιζέτω εἰς ἕδαφος·
Σπένδοντες δ' ἁγνῶς Ἡρακλεῖ — κ. τ. λ. Πίνωμεν.

Bentl. v. 3. 4. durius: *ὁ δ' ἕκαστος οἷ. ἕ. χειροῖν*, Brunck. pro *χρυσός — Χρύσης*, de Apollinis sacerdote cogitans; Bergk. *Χρυσός* coll. Arist. Vesp. 1252. At optime et Ionis, si quid sentio, ingenio maxime accommodate auro ipsi i. e. vasi ex auro confecto, plane ut hoc loco Prop., vitam et libandi ministerium tribui intelligo. Itaque pro corrupto illo *χειρῶν* repone:

ὁ δὲ χρυσὸς
Οἶνον ἔχων ΧΑΙΡΕΙΝ νιζέτω εἰς ἕδαφος.

ΧΑΙΡΕΙΝ igitur substantivi modo positum ut Persianum illud: Quis expedivit psittaco suum *ΧΑΙΡΕ*. *Νίζω* vero admodum *γραφικῶς* ad analogiam verbi *λέγω*, cuius illud est signum, cum accusativo coniunctum. Nostro denique loco participium fundens fere ut supra versu 37. Neque omissum verbum substantivum quidquam duri habet, modo sic dictum accipias: Ante fores templi (i. est) crater antistitis, qui fundit merum. Ita prorsus El. III, 19, 21.:

Tuque o Minoa venumdata (eras) Scylla figura,
Tondens purpurea regna paterna coma.

Durius enim etiam adiecto ipso verbo substantivo participium est ap. Lucret. III, 397.: Et magis est animus vitai claustra coercens; atque adeo Cic. Nat. D. II, 8.: Omnia enim haec meliora sunt, quam ea, quae sunt his carentia; add. Davis. ad Tusc. IV, 3.; ad utrumque genus cf. Ruddim. Instit. I. p. 306. ed. Lips. Krueger. Gramm. Lat. p. 652. B. et C., quamvis exempla illic collecta paullo sint ab his diversa.

Elegia XVIII.

De argumento vid. Q. P. I, 5. p. 29.

v. 1. Clausus — alludit. Infelici Scaligeri coniecturae Plausus non plauserunt critici praeter unum Broukhusium; et quis mare lacu plausum ferat? Loci autem quae hic describitur natura satis cognita unice desiderat quod libri tuentur Clausus, ideoque praecoces coniecturas suas ipse Heinsius curis secundis retractavit. Tenui enim sed praerupto iugo Avernus, antequam ab Augusto cum Lucrino l. in portum Iulium coniunctus est, a mari dividebatur. Cf. Sueton. Aug. 16. Heyn. ad Virg. Georg. II, 161 sqq. maxime vero Strab. V, 4.: *Περικλείεται δ' Ἄορνος ὀφρύσιν ὀρθίαις ὑπερκειμέναις πανταχόθεν πλὴν τοῦ εἰσπλου.* Nec tamen equidem inficior evidentiorem etiam descriptionem futuram esse, si Avernum lacum hunc non eum significari censeamus, qui proprie dictus Lucrino interiecto a mari remotius quam hic distabat, sed ipsum Lucrinum. Quamvis enim ponti nomine etiam Lucrinum ipsum contineri aliquo modo posse non negaverim, postquam mari immisso hic portum effecerit (et sic adeo Cass. Dio XLVIII, 50. tres illos portus simul *θάλασσαν τριπλῆν* appellat): magis tamen proprie Baianum sinum pontum appellaverit, ut clausum inde Avernum semita Herculis dici existimes. Iam vide quam accurate haec expositio ad naturam loci quadret, qualem Strabo l. l. definiverit: *Ὁ δὲ Λοχρῖνος κόλπος πλατύνεται μεχρὶ Βαΐων χώματι εἰργόμενος ἀπὸ τῆς ἔξω θαλάσσης ὀκτασταδίῳ τὸ μῆκος, πλάτος δὲ ἁμαξιτοῦ πλατείας ὃ φασιν Ἡρακλέα διαχῶσαι κ. τ. λ.* Lucrini autem et Averni nomina et passim a veteribus inter se mutata esse, Strabo autor est (*Ἔνιοι δὲ τοῦτον αὐτὸν τὴν λίμνην εἶναι τὴν Ἀχερουσίαν φασίν, Ἀρτεμίδωρος δὲ αὐτὸν τὸν Ἄορνον.*), et mutavit haud dubie Diodor. Sic. IV, 22.: *Ὁ δ' Ἡρακλῆς — κατεσκεύασεν ἔργα περὶ τὴν Ἄορνον ὀνομαζομένην λίμνην. — — Ἀναπεπταμένης δὲ τῆς λίμνης εἰς τὴν θάλασσαν τὸν Ἡρακλέα λέγεται τὰν μὲν ἔκρουν ἐγ-*

χῶσαι, τὴν δ' ὁδὸν τὴν νῦν οὖσαν παρὰ θάλατταν κατασκευάσαι τὴν ἀπ' ἐκείνου καλουμένην Ἡράκλειαν. Deinde ludit quod libri omnes exhibent, manifesto est falsum. Nam verbum ludere cum eo tantum accusativo coniungitur, qui est lusus illius, quem ludimus. Hinc ad animum translatum est ludibrio aliquem habere, illudere. Ea autem qua hic intelligunt significatione, ludendo tangere, leviter plaudere, nusquam invenitur, nec pro verbi natura inveniri potest. Vide enim qua sententia Senec. Hippolyt. 1232. dicat: Me ludit amnis ora vicina alluens. Aliam longe rationem esse compositi alludere consentaneum est. Quod de leni undarum vel venti appulsu dictum occurrit Ovid. Met. IV, 342.: alludentibus undis. Cic. N. D. II, 39.: Mare terram appetens littoribus adludit (sic certe e cod. Glog. Heindorf.). Et sic hoc loco Lambin. et Canterus emendari iusserunt. Secutus est ex recentioribus interpp. unus I. H. Vossius. Miror autem, quod nec Lachmannus nec Iacobus verissimae eius coniecturae mentionem fecerint. Olim malebam allidit; at suspecta hic mihi nimis, qua haec scriptura nitatur, Puccii auctoritas est. Hoc unum tamen observasse non supervacuum videatur, omnibus locis, quibus nunc verbum alludere ea quam diximus significatione legitur, ut Quintil. V, 14, 34. Cic. Top. 7. Plin. XXVI, 7, 22. Catull. LXII, 68., aut universis libris aut bona tamen parte alterum allidere commendari. Cf. Gessner. et Schneider. ad Columell. R. R. IV, 20, 2. Unus de quo non satis mihi compertum est, Ruf. Avien. est Perieg. 121.: Insula qua Cyrnus fluctu madet alludente.

v. 2. Fumida. Certissimam hanc Scaligeri emendationem non iam olim recepisse nos poenitet. Humida enim, quod libri habent, nimis superfluum stagnorum attributum. Contra Propertium, quocum in describendis regionibus evidentia nemo facile certet, unum illud, quod maxime ei loco proprium esset, omisisse nequaquam est verisimile. Neque enim praetermiserunt (quos iam Burmann. recte adhibuit) Lucretius VI, 749.:

Qualis apud Cumas locus est montemque Vesevum,
Oppleti calidis ubi fumant fontibus auctus.

aut Ovid. A. A. I, 256.:

Quid referam Baias, praetextaque littora velis,
Et quae de calido sulfure fumat aquam?

cui cf. Stat. Silv. III, 17.

v. 4. sonat. De curribus dictum interpretantur. Ne crede; angustior enim limes vix peditibus ante Agrippam certum iter praebebat. Testis Strabo l. l.: πλάτος δὲ ἁμαξι-

σοῦ πλατείας et deinde: Δεχόμενον δ' ἐπιπολῆς τὸ κῦμα ὥστε μὴ πεζεύεσθαι ῥᾳδίως Ἀγρίππας ἐπεσκεύασεν. Sonat igitur via maris vehementioris appulsu.

v. 5—10. Quantum perversis interpretationibus vexatus sit hic locus, Q. P. I, 5. p. 30. indicavimus. Interpunctione verum sententiae intellectum adiuvimus. Neque enim quemquam, nisi Scaligeri opinione occupatum, aliter hos versus explicaturum esse existimo quam eo modo, quo iam oppositio Thebani dei — et hostilis dei trahit, ut inde a v. 7. At nunc — apodosin incipiat, quam cum proprie dicendum esset: „Ubi cymbala Thebano deo concrepuerunt, hic nunc nescio quis deus malignus constitit," criminis memoria abreptus poeta, violentius particula At orditur, et indignabundus contra ipsas Baias conversus in interrogationis formam sententiam circumflectit. Quod cum ita videatur in prompta esse ut neminem fugiat, omnes tamen interpretes praeteriisse satis mirari non possum, quoniam si invisae Baiae non vocandi sed nominandi casus habetur, non tolerabilis nascitur repetitio haec: Qua — fumida Baiae stagna — hic invisae Baiae. Iam vero ut de His dicamus, Kuinoel. quidem illud explicat: undis Baianis. At unde, quaeso, petitum? Utrum ex antecedentibus verbis, ubi nullum undarum vestigium? At hoc non solum Latinitas, verum omnis humani sermonis ratio vetat. An ex sequentibus Stygiis undis? Hoc vero et durum, et vix dicere possum quam inficetum. Ergo ex his Baiani portus in illas Stygii fluminis undas praestigio quasi quodam transmigravit? Ne de Styge lacu dicam, quem Baiis vicinum fuisse, VV. DD. nescio a quo deo hosti ductos incommodo tempore memoria subiit. Nam Kuinoel. ad v. 9.: „Alludit ad Avernales aquas lacus proximi Baiis." Ἄτιθετον scilicet argutum et Ovidii artificiis rhetoricis, quam Propertii gravitate dignius. Illi enim dicere concedamus, quod est Trist. V, 2, 74.: „vel me Charybdis — Devoret aque suis ad Styga mittat aquis." At minime istud Propertianum. Restat igitur, ut His ad proximum qui extat pluralem: Baiae referatur, quod quam commode fieri liceat, statim videbimus. Nam quod sedato orationis impetu secundam quoque alloquendi personam tertia mutat, hoc Propertio antiquum esse coll. Q. P. II, 6. s. II. §. 5. p. 116. apparebit. Premere autem proprium in vexationibus valetudinis vocabulum (cf. Ovid. Metam. XVI, 21. Nep. Hann. 4. et similiter in animi perturbationibus Virg. Aen. III, 49.: formidine pressus; de vino Propert. dixit II, 15, 42. morsu premere Lucret. III, 663. habet). Nec vero intra vexandi significationem substitit, sed etiam oppri-

mere interdum est, atque adeo enecare. Tacit. Ann. XIV, 5.: Pressus Crepereius. Virg. A. IX, 330.: tres famulos premit. Tac. Hist. IV, 2.: paucos pressere. Propert. IV, 1, 116.: exuviis Graecia pressa (i. e. interempta nimia sarcina) suis. Quinimmo de veneficiis Iuven. Sat. VI, 621.: unius praecordia pressit ille (boletus) senis. Hanc denique afflictandi et opprimendi notionem ad coeli gravitatem transtulerunt. Ovid. Ep. ex Pont. I, 7, 11.: Nos premet aut bello tellus aut frigore coelum, et Trist. III, 10, 11 sqq. loco desperato, quem sic refingimus: Dum flat iners (libri: statimur) Boreas et nix agitatur ab (codd. agitata sub) Arcto, Tum liquet has gentes axe tremente premi. Adde Iustin. II, 1.: Aestivi soles incolas Aegypti premunt. Itaque Baiis pressus erit: Baiarum intemperie afflictus. Quo vero modo, inquit, id quod de coelo quidem valet, de ipsis Baiis dicatur, aut qui Baiae salubribus fontibus insignes, noxiae appellentur? Docet Cic. Epist. ad Famill. IX, 12. cum haec Dolabellae scribit: „Gratulor Baiis nostris, siquidem ut scribis salubres repente factae sunt, nisi forte te amant et tibi assentantur et tam diu, dum tu ades, sunt oblitae sui. Quod quidem si ita est, minime miror, coelum et teras vim suam, si tibi conveniat, dimittere.“ Vides igitur et coelum Baiarum grave et noxium, et ipsas Baias insalubres vulgo existimatas esse. Iam singula ut percenseamus, primum Lachm. v. 5. mortalis cum nonnullis priorum interpretum pro nominativo non recte habuisse videtur. Nec me movet, quod interpretatur: „cum etiam mortalis esset, necdum deus Hercules.“ Nam aliter Propertium sensisse certum est. Quo enim illud in apodosi ὀξύμωρον „Hic deo illi, nondum deo, cymbala sonuerunt“ —? At Amphitryoniades qua tempestate iuvencos egerat e Geryonae stabulis Caco victo iam deus apud Italas gentes cultus est. Hoc et alii testantur et Servius ad Virgil. Aen. VIII, 269.: „Unde etiam Hercules primo non est ab Evandro susceptus: postea vero cum se et Iovis filium dixisset, et morte Caci virtutem suam probasset, et susceptus et pro numine habitus est.“ Hinc sibi aram et sacrificia condidit (El. IV, 9. maxime sub fin. Serv. l. l. paullo infra. Liv. I, 7. Tacit. Ann. XV, 41. Ovid. Fast. I, 579. Paullo diversa, quamvis non ad nostram rem, Dionys. H. tradit I. p. 31. 32. et auctor de Orig. Romae c. 6.); hinc deum iam tum eum Virg. vocat, Aen. VIII, 201. — Quid, quod nudatum attributo nomen urbes nec Propertianum nec omnino concinnum sonat? Mortales contra urbes, enallage maxime nostro familiaris pro urbes mortalium (Q. P. II, 6. s. II. §. 24. p. 143 sqq.), probum

praeterea efficit et poeticum contrarium. Cf. Q. P. I. I. §. 31. p. 160 sq. Ne multa, utut homo etiamtum fuit Hercules, mortalem tamen poeta nequaquam dicere potuit, quippe cui immortalitatem certis deorum fatis promissam esse universi, etiam si qui cetera dissentiunt, autores affirmant. Cf. Serv. ad Virg. l. l. v. 271. Liv. Dion. Hal. ll. cc. Ceterum dextra quaereret urbes, ne cum Beroaldo conderet malis: Latinum esse illud et ad sententiam aptissimum post Broukh. Lachmannus coll. Virg. Catall. XI, 53. Lucan. II, 572. docuit. — Deinde v. 6. quamvis in universum recte Thebanum deum — Thebis maxime cultum interpretantur, hoc tamen amplius commemorasse propter vocem cymbala debebant, coniunctam utriusque numinis et Bacchi et Herculis religionem veterum monumentis passim significari. Sic, cum Hercules triumphantem Bacchum comitatur (Viscont. Mus. Capitolin. IV. tab. 67.), vel eodem curru vehitur (Mus. P. Cl. IV. tab. 26.), vel etiam cum Satyrorum Panumque choris tripudiantibus stipatus incedit, sicut ap. Viscont. l. l. T. VII. tab. 10. Mus. Chiaram. tab. 42. Denique, quod prorsus VV. DD. videntur praetervidisse, deus ille mundi servator salubrium quoque fontium, Thermarum imprimis, tutela est. Hinc Heracleae Trachiniorum, hinc Tiburi, hinc denique his ipsis Baiis fana habuit et sacra. Cf. Pausan. II, 22. Apollon. Argonaut. IV, 445. Biagius Caryophilus de Thermis Herculan. p. 30 sqq. Interpp. ad El. II, 32, 5. IV, 7, 82. Vides quanto iam maiore iure Baias poeta indignabundus percontetur, quis nunc deus noxius in illis aquis constiterit, antea Herculis numine salubribus.

v. 10. Lachm. sic distinxit verba: Errat et in vestro spiritus, ille, lacu; et sane primus sententiam veram, quam ea interpunctione significari volebat, eruit. Hanc nos quoque amplexi, non tamen ideo versum virgulis ita minutatim concidi opus esse duximus.

v. 12. amplexum. Scaliger. amplexo ci. Ad sermonem Latinum utrumque bene: cf. Ruddim. Inst. p. 15. ed. L. Krueger. Gr. Lat. p. 634. §. 482. Recte igitur Lachm. codd. scripturam vindicat.

v. 14. Et per maternas omnia gesta manus. Satis inficete Passeratius omnia interpretatur, quaecunque modo Propertius percensuerit. Omnia enim illa Marcello aegrotante ab Octavia matre pro filio aedili administrata esse. Absurdior vero Kuinoel. qui dictata recinit. Quid enim laudis inde haberet quod aegrotus esset, aut quod, quae eius nomine administrarentur, ipse agere non potuisset? Quid Volscum dicam, quem tamen etiam Burmannus sequi poterat,

nihil omnino Marcello relinquentem, sed ne aedilitate quidem contentum, porticum, bibliothecam, templum, theatrum, ludos, omnia, ad matrem Octaviam referentem. Egregia scilicet laus, quod omnia quae egisset, non egerit. At ne ille quidem, quem provocat, testis Plutarchus (vit. Marcell. extr.) paret. Nihil enim ille nisi haec: *Εἰς δὲ τιμὴν αὐτοῦ καὶ μνήμην Ὀκταβία μὲν ἡ μήτηρ τὴν βιβλιοθήκην ἀνέθηκε, Καῖσαρ δὲ θέατρον, ἐπιγράψας Μαρκέλλου.* Cf. Sueton. Aug. 29. Liv. epit. 138. Cass. Dion. XLIX, 43. qui utrumque monumentum ad Octavianum ipsum referunt, et Cass. Dion. LIII, 30. qui conditum iam a C. Caesare theatrum, dedicatum vero in Marcelli honorem ab Augusto esse docet. Restat igitur, ut Et illud non explicativum, sed propria sua significatione copulativum esse dicamus. Hoc igitur Propertius: Quid referam Marcelli ipsius gesta, quid praeterea omnia illa, quae eius nomine mater gesserit?

v. 16. Tot bona tam parvo clausit in orbe dies. Non satis accurate vim huius locutionis VV. DD. interpretantur. Nam recte quidem illud, quod claudere — finire esse aiunt. Cf. ad II, 15, 54. Tum diem — fatalem explicant, quod, modo reliqua addicerent, nemo me libentius concederet. Cf. comm. ad El. II, 28, 32. Quid vero orbe parvo fiat? quem nisi genitivo certo adiecto, aut apud animum alicunde suppleto, de parvo annorum spatio, quod post Beroaldum omnes fecerunt, explicari non licet. Orbem igitur eius ipsius diei, qui (vel quae) in fine versus adest, intelligi necesse est. At quae ista sententia: Unus ille dies tam parvo duodecim horarum vel etiam duplici spatio, quo ille mortuus est, tot vitae bona finivit: quasi Propertius, ut per plures dies Marcellus mortuus esset, optaverit, aut quasi hominibus integro die ad moriendum opus esset, non una hora, vel potius uno temporis momento. Itaque diem, quod toties significat, ipsum temporis illius spatium intellige, quod fatis Marcelli expletum est. Hic igitur parvus temporis orbis cum ipse clauderetur (vides autem, quanto magis proprie illud verbum sic dictum fuerit), etiam bona omnia ista secum clausit et finivit. Neque aliter Horatium Od. IV, 13, 13. intelligi posse video:

> *Nec Coae referunt iam tibi purpurae,*
> *Nec cari lapides tempora, quae semel*
> *Notis condita fastis*
> *Inclusit volucris dies.*

Nam dies in fastos relata, non unus est dies, nedum ultimus totius seriei, sed singuli dies omnes, quibus tempora praeterita explentur. Magnopere enim erraverint, qui con-

dita ad tempora referentes diem volucrem quasi actuarium faciunt, qui tempora in fastos referat, vel adeo in scrinia includat.

v. 20. ista. Burm. ex Mss. usta dedisse se ait, ex uno nempe, si recte coniicio, Palatino Gebhardi, nullius pretii libro (Q. P. III, 5. p. 246.); et tamen paene cum Broukhusio quod ista ediderit rixatur, scilicet quod v. 22. iterum ista positum esset. Non satis saepe bonos Batavos mireris, quibus cum alias nimis dura sint ilia, fluctus interdum in simpulo excitati nauseam moveant. Retinuit tamen etiam Lachmann. in ed. L. usta; dubium forte an consulto.

v. 21. huc omnes, huc p. et u. o. Lachmannus, cum in G. et N. semel hoc positum invenisset, bis reposuit. Sed prorsus legitima est ea ellipsis. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 12. p. 125.

v. 24. publica cymba. Recte comparant Hermes. ap. Athen. XIII. p. 597.:

Ἔνθα Χάρων κοινὴν εἵλκεται εἰς ἄκατον
Ψυχὰς οἰχομένων —.

Nec tamen hunc imprimis locum obversatum esse Propertio spondeam. Trita enim veteribus *φράσις*. Sic iam Aeschyl. Sept. 858. cymbam illam *τὰν πάνδοκον ἁρπάδα* appellat.

v. 27. Nirea. In ed. Barth. Nivea, operarum vitio, metro respuente.

v. 29. Hic — luctus. Vulgo Sic corrigunt. Nec tamen tollunt scrupulum, in quo solo offendere possint, quod luctus pro re lugubri dicatur; quamquam vulgare hoc quoque Propertio: cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 28. init. Hoc autem dato, quid difficile in pronomine Hic inveniri possit, non intelligo. Significatur enim strages, qualem mors facere solet et inter Achivos fecit. Magis tamen etiam Lachm. miror, qui luctus bis intelligendum censet: „Hic luctus Achivos luctus ignaros populavit.“ At ignarus luctus aut est qui nescit luctum esse, aut qui ipse nondum, quid sit luctus, patiendo expertus est. Atqui neutrum in Achivos post nonum belli annum et in ipsa pestilentia cadere liquet. Contra sine casu positum rerum inscitiam significat, eosque qui quid rei aut unde sit nescii stupent: *ἀπόρους* Graeci dixerint; et proxime Latinum inconsultus. Sic Virg. Aen. VI, 361.: Ni gens crudelis — gravatum — Ferro invasisset praedamque ignara putasset, ubi frustra ignava corrigi Wagn. docet. Ovid. Metam. II, 100.: Quid mea colla tenes blandis, ignare, lacertis. Iam vide Achillem ap. Homerum (Il. *α*. 62.):

ἀλλ' ἄγε δή τινα μάντιν ἐρείομεν, ἢ ἱερῆα,
ἢ καὶ ὀνειροπόλον — καὶ γὰρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν —
ὅς κ' εἴποι, ὅ τι τόσσον ἐχώσατο Φοῖβος Ἀπόλλων.

Satin' Achilles ignarus? Nec tamen luctus ignarus erat, sed causae, quam extemplo Propertius addit: tanto stetisse alterum Agamemnonis amorem Chryseidemque raptam. At ille ipse alter amor v. 30. non liber mansit a criticorum vexationibus. Nam cum Passeratius primum amorem Argynni significari dicat, Vulpius vero (sicuti ante eum Beroaldus) Chryseidis primum, Briseidis secundum intelligat: Lachmannus, altera Galli interpretatione tamquam nimis subtili, altera Itali, quoniam ne vera quidem sit, reiecta, tertiam viam, quam unice veram existimamus, indicasse contentus est, ut post Clytaemnestram alterum Chryseidis amorem causam pestilentiae fuisse Prop. dicat. At ipse inventum statim abiicit, quia „putidum sit, per numeros indicare amores Agamemnonis." Iudicii elegantiam intelligo et pedibus ipse in eam sententiam abirem, si nihil amplius quam amores enumerari hic viderem. Sed ita infeliciter Agamemnoni omnes amores cesserunt, ut Prop. si per altum amorem (altus enim Lachm. ci.), qui magno illi stetisset, tempus aliquod significare vellet, nihil ageret. Maximo vero omnium Clytaemnestrae constitit, quippe ipsa vita carius. Itaque non istud ait: Luctus Achivos populavit, quo tempore damnum Agamemnon ab amore accepit, qui amor inter omnes eius amores numero erat secundus — nimis enim absurdum —, sed hoc: „quo tempore A. iterum amore male mulctatus est." Argynni vero amor ita obscurus est, ut aliud agentem Prop. de hoc cogitasse nequaquam sit existimandum. Restat ergo, ut primum Clytaemnestrae indicare voluerit.

v. 31. 32. Locus vexatissimus et quem toties coniecturis repetiverunt, ut quid verum sibi videretur, quid non, in tanto obstrepentium sententiarum tumultu vix ipsi interpretes discernerent. Ac primum Guyet. coni.: At tibi, Markland.: At tu — Huc animae portes c. i. suae. Heins.: Duc an. Porthmeu c. i. suae. suae etiam Kuinoel. retinuit, cetera qualia in libris leguntur servavit. Hi vero omnes de sententia securi Huc ad Qua rettulerunt. Lachm. intacto hexametro versum breviorem sic refinxit: Hoc a. p. c. i. suae. Ad alterum vero distichum et verbum cessit subiectum ex genit. animae repetendum esse censuit anima, hac sententia: Corpus quidem Charon in Elysium auferat [?], Animus in astra abeat, qua Marcellus et Caesar. Iacobus v. 31.; p. h. quo trai. u. Huc; unum enim tantum novisse se ait, qui umbras traiiciat. Neque ego nunc in singulis opinionibus refutandis diutius moror, sed purgatam emplastris simul et cicatricibus faciem loci talem, qualis in libris mss. habetur, repono; hoc solum addo, primam hanc omnium errorum ori-

ginem atque fontem fuisse, quod VV. DD. loco Ovidii ad verba non dissimili seducti corpus animae inane coniungerent idque cadaver anima vacuum interpretarentur. Quo facto omnia ita corruerunt, ut variis deinde fulmentis frustra laboraretur. Unus Iacob. verum vidisse videtur, qui: „Philosophorum" ait „commenta, qui in sidera remigrare piorum animas aiunt, et fabularum campos Elysios illius aevi more commiscuit". Sed ne sic quidem omnem difficultatem sustulit, nedum singula, quae tamquam absurda Lachm. impugnavit, vindicasset. Primum igitur nauta, qui pias animas traiicit, Charon est, non quin idem ad Tartara impios traiecerit, sed quia nunc larvis commemoratis non opus erat, atque id potissimum poeta agebat, ut ad laetam sedem pias (qualis Marcelli fuerat) animas traiiciendi arbitrium fuisse Charonti significaret. Neque enim aliter Horatius de Mercurio ψυχοπομπῷ Od. I, 10, 17.: „Tu pias laetis animas reponis Sedibus virgaque levem coerces turbam," quamvis huic quoque utriusque turbae imperium fuisse constet. Cf. Homer. Od. ω'. init. Virg. Aen. IV, 243 sqq. At ne sic quidem cum vulgaribus fabulis Propertium facere certum est; nam cum reliqui poetae, quorum omnium instar unus sit Virg. Aen. IV, 425 sqq., post Stygias undas et Charontis cymbam a Minoe sedes diversas dari consentiant: noster, quamvis alias easdem opiniones secutus (velut El. IV, 11, 5 sqq.), tamen et hic et El. II, 28, 29. IV, 7, 55 sqq. novam aut ipse commentus est aut ex fontibus deperditis hausit μυθοποιίαν, qua statim in faucibus Orci per diversa flumina diversis cymbis animae vectae esse fingantur. Unum Hegesippum novi, qui similem opinionem secutus sit ep. 7. Ann. Br. I. p. 255. Anth. Pal. VII, 545. p. 293.:

Τὴν ἐπὶ (f. ἀπὸ) πυρχαιῆς ἐνδέξια φασὶ κέλευθον
Ἑρμῆν τοὺς ἀγαθοὺς εἰς Ῥαδάμανθυν ἄγειν —

quod Iacobsius (Animm. ad Anth. Gr. XI. p. 176.), Propertianorum fortasse locorum immemor, alibi legere meminisse se negat. Deinde animae tuae — flabra tua iam Puccius recte interpretatus erat, nec quisquam ante Burmannum quin probum illud esset et Latinum dubitavit. Hic vero non tulit, scilicet quia longe diversa sententia Ovid. Met. XIII, 488.: „Quae corpus complexa animae tam fortis inane" dixisset. At quid nostro cum Ovidio? Imitatusne est istum? At fortasse Ovidius nostrum. Audio; sed si istud fortasse mihi des, fortasse etiam falso acceptum ab Ovidio nostrum dicam. Nam sententiam aptam nequaquam sic proditurum esse huic loco, nisi culiello critico per omnia membra grassatus fueris, ne ipse quidem Burmannus diffitetur. Utinam tamen istis me-

dicinis, ne dicam carnificinis, quidquam iuvisset! Mittamus igitur Ovidium, ut quam bene animae tuae — aurae Stygiae dicantur appareat. Sic Lucret. V, 1229.: „prece — quaesit Ventorum pavidus paces animasque secundas.“ Horat. Od. IV, 12, 2.: „Impellunt animae lintea Thraciae.“ Varro ap. Non. IV, 2.: „Detis habenas animae leni, Dum nos ventus flamine sudo suavem ad patriam perducit.“ Accius ibid.: „Lassis trahere in salum et vela ventorum animae permittere“. Recte autem Charontis (tuae) animae illae dicuntur. Huic enim truci deo ut undas Acherontis, sic etiam ventos, quibus vela dirigat, addictos credi consentaneum est. Nam alterum Aeolum apud inferos non novi. Hinc quoque tibi illud explices, quod cum redundare Passerat. dixisset, et hunc et sedulum eius epitomatorem Kuinoel. debito cachinno Lachmannus excepit. Tibi autem, ut toties, est tua gratia, tui obsequio, tuo dicto audientes et munus tuum grato ministerio iuvantes. Hoc autem ipsum Charontis officium erat, ut pias animas laetis sedibus reponeret. Neque igitur alius dativus, quam El. III, 21, 14.: Iam liquidum nautis aura secundat iter, aut I, 8, 14.: tali sub sidere ventos, Cum tibi provectas auferet unda rates. Iam corpus inane quid sit non dubitabis, si reputaris, quoties res apud inferos gestae cum sepultura, Manes cum cineribus et ossibus, cum ab aliis poetis, tum vero maxime a nostro confundantur. Sic Cornelia apud inferos causam agens (El. IV, 11, 14.):

Én sum, quod digitis quinque levatur onus.

Deinde v. 18. umbram se significat; iam vero v. 20.: In mea, ait, sortita (Aeacus) vindicet ossa pila, cf. v. 58. v. extr. Tum v. 74. eadem Corneliae umbra:

Nunc tibi commendo communia pignora natos:
Haec cura et cineri spirat inusta meo.

Neque aliter Cynthiae simulacrum ossium sub imagine Propertio El. IV, 7, 11 sq. apparet, ubi vid. comm. Quinimmo eadem Cynthia in Orco Propertium exceptura v. 93 sq.:

Nunc te possideant aliae: mox sola tenebo:
Mecum eris et mixtis ossibus ossa teram.

Sic quoque El. I, 19, 6.:

Non adeo leviter nostris puer haesit ocellis,
Ut meus oblito pulvis amore vacet.

Et mox de eodem se mortuo v. 11.:

Illic quicquid ero, semper tua dicar imago:
Traiicit et fati litora magnus amor.

et de Cynthia, quae a superis oris expectata venerit, v. 18.:

Quamvis te longae remorentur fata senectae,
Cura tamen lacrimis ossa futura meis —

ubi v. comm. cf. v. 22. Insolentissimum tamen quod hoc in genere Propert. ausus est, Manes sunt contraria confusione pro cineribus positi El. II, 13, 31 sq.:

Deinde, ubi supposita cinerem me fecerit arder,
Accipiat Manes parvula testa meos.

Add. ibid. 57. 58.:

Sed frustra mutos revocabis, Cynthia, Manes:
Nam mea quid poterunt ossa minuta loqui?

His locis omnibus comparatis quin corpus inane — tenuis et inanis umbra sit, dubium esse amplius non poterit. Sic Ovid. Trist. III, 11, 25. non dissimili confusione:

Quid inanem proteris umbram
Quid cinerem saxis bustaque nostra premis?

Hac autem tantum sententia, i. e. confusis corporis combusti et animae rationibus, corpus inane a Charonte paludes infernas traiectum ferri potest, non si cum Lachmanno accurate utrumque discrevisse et de industria animam a corpore separasse Propertium credamus. Quis enim unquam fando audivit, cadavera torpentia a nauta illo vecta esse, animas hinc exemptas et coelo datas? Quis in eodem enuntiato ipsum secum Propertium ita pugnare toleret, ut eidem nauclero quem modo umbras pias i. e. animas et Manes tollere navigio Acheruntico dixisset, nunc sine anima corpus commendaverit? — Iam vero, qui acute ista omnia dividit, quo tandem modo v. 33. explicet, quaerimus. Nemo enim veterum rettulit, nec Romanas religiones observans referre potuit, inter astra receptum esse M. illum Claudium Marcellum Syracusarum victorem. At ne Propertius quidem fecit, quamvis mixtis Graecorum Romanorumque superstitionibus, alias coelum cum Elysio confuderit; cf. comm. ad El. II, 28, 27. de diis Rom. patr. I, 2. p. 6. all.; hic vero ab Elysiis campis et sedibus piorum in coelum semitam ducere finxerit. Neque vero hoc sine exemplo priorum, siquidem beatarum insularum incolis cum coelestibus multifarium commercium fuisse iam vetustissimi omnium Orphici finxisse videntur. Hanc enim viam Iovis esse interpretor ap. Pindar. Ol. II, 70. qua iuxta Saturni regiam ingredi animae piae dicuntur: ὅσοι δ' ἐτόλμασαν ἐστρὶς ἑκατέρωθι μείναντες ἀπὸ πάμπαν ἀδίκων ἔχειν ψυχάν, ἔτειλαν Διὸς ὁδὸν παρὰ Κρόνου τύρσιν· ἔνθα μακάρων νᾶσος ὠκεανίδες αὖραι περιπνέουσιν. Nam Quintus certe Smyrnaeus descensum rectum e coelo ibi fuisse commemorat XIV, 255. Vid. Boeckh. Dissen. Tafel. ad Pindar. l. l. Et haec for-

tasse via significatur, qua Themidem in Olympum sublatam idem Pindar. rettulit ap. Clem. Alex. Strom. V. p. 731. (frgm. 6.): *Πρῶτον μὲν εὔβουλον Θέμιν οὐρανίαν χρυσέαισιν ἵπποις Ὠκεανοῦ παρὰ παγᾶν Μοῖραι ποτὶ κλίμακα σεμνὰν ἄγον Οὐλύμπου λιπαρὰν καθ' ὁδόν.* Sic demum et reliqua et v. 34. humana via nemini explicatum quid rei sit, intelligas. Nam quod ad Ecclesiae patres et Lactantium provocant, nugae istae sunt. Humana est via, quae (v. 22.) omnibus pariter teritur, quae semel cuique mortalium calcanda est, i. e. via leti Horat. Od. I, 28, 16. Hac autem, qua ne Marcellus quidem aut Caesar exempti fuerunt (nam et Achilles mortuus est et Nireus): alia via in Elysium duxit, hinc in astra. Post mortem igitur Elysium vel adeo coelum patebat. Quae omnia, modo de Elysio illud seponas, Romanorum persuasionibus, quas de deorum Manium natura conceperant, optime accommodata esse, collata nostra de diis Romm. patriis dissertatione (Lib. I. c. 2—5. p. 5 sqq.) apparebit. Corpore enim sepulto et penitus humato omnibusque sacris funebribus rite peractis, anima luci huic reddita, iam vero etiam superis inserta est (vid. Virg. Aen. V, 722. coll. 735. c. 11. f. p. 30. c. 20. p. 49.). His igitur praemissis vix monendum restat, ne, quamvis verbum cessit ad utrumque subiectum spectet, in astra illud etiam ad Claudium referas. Hoc enim Charontem obsecrat, ut Marcellum eo advehat, qua via ad sedes beatorum ducat. Hac quondam avum Claudium cessisse, hac divum Caesarem ingressum ulterius etiam astra petiisse. Nec vero causa illius fictionis obscura est. Utriusque enim avi, et Claudii et Caesaris, exitum simul in Marcelli exemplum componere voluit. Quid faceret aliud, nisi ut eadem via utrumque in diversa tamen fata abiisse diceret? Quodsi durior videatur ratio verbi cedere sine casu et praepositione positi, cf. comm. ad El. III, 22, 35. et Q. P. II, 6. s. II. §. 16. p. 132.

Elegia XIX.

v. 2. illa pro ista, v. 5. sedaret pro sedetur, alterum a Burmanno, alterum a Broukh. sola novandi cupidine repositum, iure expulit Lachmannus. Nam Broukhusii inventum soloecismus manifestus, Burmanni vero non procul a soloecismo abest. Iam v. 10. rapidae, pro quo Dousa rabidae dedit, vulgo receptum usque ad Lachmannum, optime habet. Sic Liv. XXII, 12, 11.: ferox, rapidus in consiliis, ac lingua immodicus. Hic vero rectius etiam illud, quod sumptam ab equorum cursu et impetu metaphoram

et v. 3. frena et v. 9 sq. cursus stimulique testantur. In talibus autem proprium vocabulum rapidum esse, non rabidum, quis nesciat? Cf. Virg. A. XII, 478. 523. V, 291. Ovid. Heroid. IX, 28. Sil. It. I, 161. I, 656. IV, 93.

v. 12. I. abiegnae c. f. bovis. Sic in antiquissimo exemplari fuisse, errores librariorum indicant. Integrum tamen qualem exhibuimus versum ex nostris codd. unus Dresd. exhibet. Utut est, optimo iure primus Scaliger in ordinem illud recepit, ne cum Lachmanno de autore dubites. Audacissimum dicendi genus, sed prorsus Propertianum Quaest. II, 6. s. II. §. 28. p. 151. illustravimus; cf. comm. ad II, 26, 18. Alius poetae locum, quem cum hoc nostro conferam, non plane habeo. Pertinere tamen huc aliquo modo id genus patet, cum adiectivum aliquod animali tribuitur, cuius in partem tantum insignem illud quadrat, veluti in Homerico ἕλικας βοῦς: camura cornua Virg. interpretatur (Georg. III, 55.). Sic γλαυκιόων λέων Hom. Il. XX, 172. a solis oculis epitheto repetito: caesium leonem Catull. vertit XLV, 8. Sic „praepes adunca Iovis" ap. Ovid. Fast. VI, 196. Cf. comm. ad El. IV, 1, 11.

v. 17—21. In interpretandis his versibus varie se torquent VV. DD. Iacobus enim sic orationem pergere ait: „Medeae amor matris iram expiavit, amor Clytaemnestrae Pelopis domum dehonestavit." At quamvis non alienam Propertio hyperbati figuram esse satis compertum habeamus (cf. Q. P. II, 6. §. 10. p. 121.), durissima tamen haec ratio; nec nunc his machinis egemus, neque adeo, si quaeris, menti poetae esset oratio accommodata. Quem non hoc referre velle manifestum est, quo tempore Medeae amor iram piaverit, sed amorem illum ipsum, tum maxime perspicuum, quum iram matris caede natorum piavit. Neque aliter in Clytaemnestra. Magis etiam Lachmannum miror, qui in interpretandis prioribus versibus eandem quam Iacobus viam secutus, deinde v. 19. pro Clytaemnestrae rescripsit Clytaemnestra, quia scilicet „tamenetsi cum Burmanno hic Clytaemnestrae crimen et v. 17. Medeae crimen v. 15. intelligeremus" (quamquam id ipsum fieri licere negat) „tamen, quid cum illis, quae sequuntur, Tuque o Scylla faciendum esset, minime liqueret." Quasi vero Propertio, bis quidem per nominandi casum allocutionis figuram ducere liceat: semel non liceat! At ne longus sim, Clytaemnestra producta ultima Latinum non est: vid. comm. ad El. II, 14, 5. Quocirca Burmanni eiusque sectae interpretationem probo, qui ad utrumque genitivum ex superiore nominativo crimen eandem vocem casu quarto apud animum addi iusserunt.

Quod quamvis minime sit vulgare, praesertim cum illic crimen per mutationis figuram ipsa Myrrha dicatur, hic propria significatione idem vocabulum intelligendum sit, tamen prorsus est Propertianum. Cf. enim quae id genus exempla plurima, multo etiam quam hoc est insolentiora, Q. P. II, 6. s. II. §. 11. p. 123 sq. congessimus. Add. comm. ad El. II, 13, 55. El. II, 13, 38. quod ad verba durissimum, III, 9, 5. quod ad sententiam. Nam proximam hanc rationem ei zeugmatis generi esse, de quo Q. P. II, 6. s. II. §. 16. p. 132. exposuimus, satis manifestum est. v. 21. denique solum nomen Scylla, quod ideo virgulis inclusimus, vocandi casu positum est; venundata vero praedicatum est, ad quod verbum substantivum es apud animum intelligere, vulgare est Propertio. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 11. p. 124. Quod ne ipsum Prop. in fine versu non addidisse mireris: oberat norma, quam Lachm. ad El. II, 6, 15. eruit. *O* vero ἐπιφώνημα ad totum enuntiatum pertinet, uti El. II, 16, 13. Deinde participium tondens eodem modo nexum est quo El. III, 17, 38. fundens; ni forte tondes malis, quod quomodo defendi possit coll. Q. P. II, 6. s. II. §. 8. p. 120. apparebit. In hanc autem quam extremo loco posuimus coniecturam nunc etiam Keilium (p. 38.) incidisse animadvertimus.

v. 22. Egregiam hanc metonymiam explicuimus Q. P. l. l. §. 28. p. 155. Confert Huschkius Ep. crit. 25. Odyss. XVIII, 142. et frgm. ap. Suid. Vol. II. p. 372.: *Πορφυρέην ἤμησε κρέκα* — quod Callimachi esse non inepte Toupius suspicatur Cur. Noviss. in Suid. p. 238., cui adstipulatur Heyn. ad Virg. Cir. T. IV. p. 95. p. 162. ed. Sillig. et Wagner. Interpres dicti quodammodo est Ovidius, quamvis nec brevitate concinna, nec elegantia par nostro Met. VIII, 94.: nec me nunc tradere crinem, Sed patrium tibi crede caput.

v. 24. amor. Sic, non Amor, scribendum esse coll. Q. P. l. l. p. 153. apparebit. Finem denique carminis ne propter enthymema in quod exit, truncum existimes, cf. ibid. p. 127.

Elegia XX.

Dispositionem vid. Q. P. II, 5. p. 89. coll. p. 98.

v. 4. Corruptum in codd. locum unus Iacobus vindicare studet, Pucciani libri scripturae patrocinatus: tantine in lacrimis. At nisi adiecto attributo aliquo, quo cuius lacrimae eae sint significetur, nec Latinam esse orationem, neque humanam patet. Rectius igitur Heins. Broukh. Markland.: Tantine, ut lacrimes; nec male, quamvis multo quam illi liberius Lachm.: „Tantisne in lacrimis A. grata fuit.“

Ego quo et libris satis darem, et sententiam qualem deiderari nemo non intelliget refingerem, Tantine his lacrimis scripsi. Quod eo confidentius in ordinem recepi, quia occupatum Paldami coniectura postea sensi. Formula enim ea „tanti est", vel sequente ut (cf. El. I, 6, 13. I, 8, 3. II, 16, 55.), vel consecutiva sententia apud animum addita ponitur (ut El. IV, 3, 63. IV, 11, 83. III, 12, 3. ubi vid. comm.). Duas autem res hac formula semper comparari, longeque diversam eius vim esse atque huiusce, operae pretium est: satis patet. Unde falso Markl. Stat. Silv. 1, 2, 41. pro illo: „hanc propter tutum Tisaea lege trementem currere" coniecisse sequitur: „h. p. tanti" cett. His lacrimis autem δεικτικῶς et satis pulchre in Cynthiam dictum esse, quis non sentiat? Nam paene idem est atque: hac lacrimante (vid. comm. ad El. III, 19, 12. Q. P. II, 6. p. 151 sq.). Praestat tamen eo, quod lacrimas pulcherrimae puellae faciem humectantes evidentissime ob oculos quodammodo proponit. De ablativo vero vid. Q. P. II, 6. p. 135.

v. 5. Broukhusius interpretatur: „Tu inania eius verba pondus aliquod habere putas." Quod cum Latinum esse Lachm. recte neget, ipse sic dictum explicat: „Tu deos fingis — deos falso testes advocas, tu verba inania fingis — falsis promissis me decipis." Hoc vero, quod ne ipsum quidem latuit, cum omni elegiae argumento pugnat. Unde δευτέρᾳ φροντίδι coniicit: At t. st., deos, t. f. in. vera? hac sententia: Tune fingis tibi veros deos esse, quos ille amoris testes fecerit? tune illa inania promissa vera esse tibi persuades? Ingeniosa sane coniectura, modo opus esset. Multo tamen infelicius Kuinoel.: At tu, stulta, deos tu fingis, inania verba. Quod falsum esse iam perversus numerus et pessumdata cum ἀναφορᾷ compositio testatur. Itaque Iacob. verba — amatoris promissa intelligit, quae cum inania sint, pro veris habita recte fingi a puella dicuntur. At vide, ne vir sagacissimus sententiae nexum dissecuerit potius, quam disposuerit. Nam veri dii longe aliter dicuntur ac verba vera. Illi enim (nisi pro veracibus dicti sint, velut El. III, 13, 66. coll. Terent. Andr. II, 5, 12. Ovid. Epist. V, 123.) sunt dii, qui revera sunt neque esse finguntur, verba autem vera nemo ea dixerit, quae revera verba sunt, nec quum aliud quid sint verba esse finguntur. Immo verba vera erunt, quae cum factis concinunt. Hinc sequitur, ut longe diverso modo dii et verba fingi dicantur. At illud enim zeugmatis genus haec dictio pertinet, quod Propertio imprimis familiare Q. P. II, 6. p. 132. et comm. El. I, 16, 11. illustravimus. Haec igitur sententia est: „Tu

deos veros esse et quales deos esse decet (periurii vindices), falso tibi persuades. At illi perfidiam non curant, iste vero fortasse iam aliam puellam adamavit.“ Iam verba fingere quid sit, Sallust. docet Iug. XIV, 20.: fingere me verba, fugam simulare — itemque Cicero Fin. II, 77.: verba tu fingas et ea dicas, quae non sentias. Inveniendi enim et fallendi notio simul aperte subest. Quem autem puella simplex et decepta fallere velit, nisi ipsa se? Hoc igitur ait: „Tu in solatium tui verba componis, ne perfidum credere amatorem sustineas — at inania sunt, quae tecum iactas; blandis imaginibus sciens te fallis.“ De prolepsi enim fortissima, quae attributo inania continetur, vid. Q. P. II, 6. p. 140.

v. 6. terat libri optimi. Usque ad Iacobum tamen terit editiones obtinuit. At illud post particulam forsitan magis proprium esse, grammatici persuadent. Cf. Reisig. §. 328. p. 595. cum Haasii observationibus et Krüger. §. 457.

v. 8. De docto avo vid. Q. P. I, 6. p. 38 sq.

v. 11. Hinc Scaliger novam elegiam orsus est. Probant Lachm. Iacob. scilicet, quia in uno carmine nemo legi ferat: „Fidus ero: in nostros curre puella toros“ et „Nox mihi prima venit.“ Sed praeclaram eo ipso, quod VV. DD. improbaverunt, artem apparere coll. Q. P. II, 5. p. 89. manus dabis. At, ut vulgo fit, sequitur vara vibiam. Nam ut aptum novi carminis initium pararetur, disticha proxima (vv. 11. 12. 13. 14.) ordinem mutare Scaliger Lachmanno suffragante iussit. At quis immanem illum ἀναχρονισμὸν aequo animo tulerit, ut poeta primum interdiu Lunam advocet, deinde ad Phoebum conversus, ut illi loco cedat precetur, iam vero iterum de nocturnis gaudiis loquatur? Deinde ne sic quidem singula verba intacta manere posse, Lachm. recte perspexit, qui ut viam semel institutam persequeretur, neve in angustiis ab ipso sibi structis haereret, pro data tempora — dato tempora, deinde pro: Tu quoque qui — Tuque, o, qui rescribere coactus est. At optime libri. Post puellam enim Solem, ut cursum acceleret, poeta hortatur. Quamquam illum, si legibus naturae, non amatoris precibus parendum esset, longius moraturum esse non diffitetur. De usu enim hoc participii futuri elegantissimo vid. Q. P. II, 6. p. 141. Aestate autem scriptum esse hoc carmen Q. P. I, 4. p. 16. observavimus. Deinde data tempora noctis, quod, si post genitivum ut vulgo fit virgula interpungeretur, non tolerandam efficeret prioris membri repetitionem, accusativus temporis est, ex verbo morari pendens.

v. 17. De tabulis nuptialibus hic agi recte interpretes

senserunt; et quis non? Hoc tamen addendum, sponsoris munere Amorem hic fungi, quo de usu vid. Ant. Hotomann. de Ritu nuptiali c. 9. p. 265. ed. Amst. a. 1662.

v. 18. torta corona. Vulgo de Passeratii coniectura tota reponunt, cui invento locum Horatianum (Od. II, 8, 10.), neglectum tamen hucusque, eximie favere quis dicat: Expedit fallere — toto taciturna noctis signa cum coelo. Sed criticos hoc imprimis transversos egit, quod tortam coronam, nisi de sertis quibusdam explicari non posse opinabantur (ut torta quercus ap. Virg. Ge. I, 349.). At tenere debebant, quod Burm. recte perspexit, coronam utique esse chorum siderum (coll. Tibull. II, 1, 87.). Iam vero torqueri verbum de coeli siderumque conversionibus fere proprium. Virg. Aen. V, 738.: torquet medios nox humida cursus. Ovid. Metam. II, 71.: Coelum — Sideraque alta trahit celerique volumine torquet. Sic Meleag. Anth. Pal. p. 112. c. V. ep. 173.: *Ὄρθρε τί νῦν, δυσέραστε, βραδὺς περὶ κόσμον ἑλίσσῃ;* Stellarum autem turbam cum Nocte choream ducente circumactum omnis antiquitas finxit. Sic Eurip. ap. Clem. Alexandr. Strom. V. p. 717. Euseb. Praepar. Ev. XIII. p. 681.: *περὶ ὃν μὲν φῶς, περὶ δ' ὀρφναία νὺξ αἰολόχρως, ἄκριτος δ' ἄστρων ὄχλος ἐνδελεχῶς ἀμφιχορεύει* — unde expressum paene nostrum locum credas. Cui autem laetarum caerimoniarum testis turba siderum saltantium non placeat? Iam adde Orph. Hymn. VI, 4. Heinrich. ad Mus. p. 120. Procl. Lyc. hymn. in Sol. v. 8. Ann. Br. T. II. p. 441. Anthol. Gr. T. III. p. 145. Iacobs. Anim. T. X. p. 273. ex Latinis vero Varr. ap. Non. VI, 16. Praeterea non tortum pro totum, sed totum pro tortum a librariis passim substitui, et consentaneum est, et demonstratur a VV. DD. ad Sil. Ital. III, 205. IV, 244. XVI, 319. Virg. Aen. I, 88. Lucan. V, 600. Cic. N. D. II. p. 192. Claudian. Rufin. I, 66. — Paullo ante v. 17. constringet recte primus Beroaldus restituit; v. 19. cedent, quod tamen ipsis libris mss. tutum est, pro cedant Aldinarum invento Lachmannus. Ad sententiarum vero nexum optime Iacobus: „Longam exoptat noctem etiam eam ob causam, quia foedera ante gaudia ponenda sunt; haec certissima fore sperat, sed quod magna eis temporis iactura facienda sit, queritur. Sunt tamen necessario icienda: namque, ubi non cett." Quam expositionem non repetiissem, nisi Lachm. parum accurate haec reputans ex orationis scilicet iuncturis hiantibus novarum transpositionum conatum auspicatus esset: vv. enim 19. et 20. statim post v. 12. collocavit.

v. 22. violanda. Verissima Perr. libri scriptura, quo-

cumque modo nobis servata est. Nam noctem vigilandam, quod reliqui exhibent, eam esse, per quam „puella a perfido amatore deserta insomniis crucietur", quis unquam evincet? Nam perfidia et solitudo et cruciatus unde sumpta sint, nemo interpretum demonstrat. Quidni vero etiam hilares vigilias inter serta et pocula cogitemus? Contra violanda nox (i. e. sancti amantium conventus et foedera violata) et ad sententiam optime habet, et ad orationem elegantius est. De usu enim participii fut. pass. pro praesenti infinito positi post sagacissimam Haasii expositionem (ad Reisig. Gramm. Lat. p. 746 sqq. n. 580.) amplius dicere supervacuum existimo.

v. 23. nox. Vulgo ex codice Colotiano et Vaticanis duobus: mox. Sed optime Iacobus: „Quibus libido, non foedera fida, imponit vincula, iis nox, unius gaudia noctis exhausta, vincula solvit. Quo nihil potest dici melius." Nihil addo, nisi, ut de verbis sic per mutua nexis Q. P. II, 6. p. 122. adeas; de sententia vero interpretationem nostram poetae Germanicam.

v. 24. omina. Vulgo scribunt omnia, cum codd. auctoritas in his verbis nulla sit. Quod autem Iacobus poetam malum omen superioris versus deprecari censet, haud prorsus illud recte. Prima enim omina ut fidem quam promiserint contineant, precatur. Itaque iusta et laeta auspicia, quae eo usque ex votis cesserint, quaeque nocte etiam instante propitia affutura sperat, ne eventu mendacia cadant, optat. Simillimus locus et in interpretationem nostri velut de industria comparatus Claudiani est, de Raptu Proserpinae II, 363—365.:

Ducitur in thalamum virgo: stat pronuba iuxta
Stellantes Nox picta sinus: tangensque cubile
Omina perpetuo genitalia foedere sanxit.

Hoc etiam insequentium versuum ratio confirmat, quibus ne alteruter paciscentium sciens dolo malo irrita reddat iuramenta — hinc Ergo —, mutuis imprecationibus caveri iubet.

v. 25. pactas aras. Lachmanno aras rumpi mire dictum videtur, ideoque tolerabilius pactas aras, quod in libris scriptis est, quam quod in suo cod. Passeratius invenerat tactas aras, esse censet, quia saltem pacta rumpi Latine dicatur. Non placet ista argumentatio. Nam aras rumpere, sic crassa Minerva coniunctum, nequaquam ferri posse patet. Contra tactae araе, iurisiurandi insigne, pro ipso iuramento positum in Propertio paene vulgare videatur, si quae de hoc metonymiae genere Q. P. II, 6. p. 151. vel accuratius etiam ibid. p. 155. extr. et sq. ad El. II, 7, 6.

exposuimus, comparaveris. Neque ratione grammatica ita differt, quod statim subiicitur versu breviori: novo toro sacra marita polluere. Nam non toro polluimus sacra, sed eo, quod quaerimus novum torum. Quo multo etiam audacius Ovid. Metam. VIII, 684.: Et veniam dapibus, nullisque paratibus orant, i. e. τῷ μὴ προξεῖναι παρασκευήν. ibid. II, 28.: liceat perituraе viribus ignis Igne perire tuo clademque autore levari, i. e. eo, quod tu auctor es. — Quodsi nos quoque hoc loco pactas aras probamus, non ideo fit quod facilius credamus, sed quia et a libris optimis commendatur, et exquisitius etiam altero videtur esse. Nam pacisci verbum in ritu nuptiali solemne (cf. Ant. Hotmann. de Ritu nuptial. p. 253. Fr. Hotmann. de Sponsalibus pp. 336. 347. 350.) mutua maritorum promissa significat. Hinc pacta in foedus ara communis domus focus erit, iuxta quem et alia sacra nuptialia fiebant, et iuramenta futuri foederis concepta hic finguntur. Cf. Hotmann. l. l. c. 29. p. 325. et quae Brisson. collegit de Ritu Nupt. p. 79 sqq. Paciscuntur igitur aram, qui fide mutua interposita commune illud in perpetuum sacrum fore invicem sibi promittunt. Hinc vel taedae pactae pro nuptiis dicuntur ab Ovid. Metam. IX, 721., quo fortasse ipse ille ignis communis et titio de foro petitus significatur, de quo Brisson. l. l. p. 78 sqq. plurimos veterum locos congessit. Hoc vero certissimum matrimonii insigne et quodammodo pignus pro ipso foedere nuptiali ponere quis Propertium vetet, quem multo insolentiora eo in genere ausum esse et supra et Q. P. II. cc. significavimus.

v. 28. argutae historiae. „lepidae venustae.“ *Kuinoel.* Loquaces potius viciniarum confabulationes intelligi, quibus infelix amator perstringatur, constat.

v. 29. patefiant. Gr. patefactae, quod ad v. 27. relatum a Iacobo, mihi quoque olim probabatur. At interposito verbo finito praebeat durior ea ratio videtur et quam invitis certe tot et tam probis libris obtrudere Propertio non audeam. Praeterea propter vicinam vocem nocte facilius in patefactae, quam in correctissimum illud patefiant unus et alter librariorum aberrare poterat.

Elegia XXII.

De dispositione vid. Q. P. II, 5. p. 87. De tempore itineris vid. quae coniectavimus ibid. I, 5. p. 26.

v. 1. iter proficisci Graeco more dictum Iacobs. existimat (Floril. p. 222.), itaque ante eum Passeratius; Bur-

manus exclamationis loco positum censet. Falsum utrumque. Appositionis enim loco omni enuntiato praefixum est. Hoc enim: Athenas proficisci — magnum iter est. Cf. comm. ad El. III, 3, 4. II, 20, 8.

v. 4. Ipse. Burm. proposuit Inde, Kuinoel. recepit. Quo omnes sales dicti pereant. Hoc enim Propertius: Amor causa simul sui est et eventus; propter amorem specto, spectando rursus ad amorem accendor. Praeterea ne Latinum quidem est: mihi inde aliquid praebeo, pro sumo.

v. 5. Infelicissima Heinsii est coni.: quaecumque fugare Possint: ast omni me pr. igne d. Primum enim ast Propertianum non est. Deinde premere Amor vel pondere vel manu intelligitur, non igne. Cf. El. I, 1, 4. I, 9, 24. II, 30, 8. Quanto denique efficacius hoc: ab omni parte omnia tentata sunt; et verum hoc esse confirmat v. 6. De dicendi autem formula omnia facere, tentare, quae idem sonat atque nihil reliqui facere, satis egerunt Burm. et Iacobs. ad h. l. Gonsal. ad Petron. 107. Ruhnken. ad Rutil. p. 34. ad Terent. Andr. II, 1, 11.

v. 6—8. Pro amica ingeniose Scaliger: amicta. Sed dubitationem movet illud ipse (v. 6.) tam brevi intervallo (post v. 4.) repetitum, quo idem deus, qui flammas nutrit, simul saevo abstinentiae imperio ipse cruciare amatorem significatur. Itaque, quod interpunctione indicavi, subiectum deus etiam per versum 7. pertinere censeo. Amor ipse et committere amantes, et negare amplexus fingitur, eodem modo quo El. I, 1, 4. coll. v. 17. Hinc eadem illis remedia (v. 29. 30.) ab amicis poeta, quamvis ignavus adhuc et timidus, expetit, quae hic iam fortior factus ultro accipit. Ceterum cf. comm. ad ll. Iam vides, cur hic amica vers. breviori novum subiectum minime omittendum sit, neque ea sententia amplius (ut olim Lachmann.) pro Seu — Et cum positum postulabis. Nam v. 7. poeta ab Amore, qui durus custos limina servat, vix semel admissus fingitur. Iam v. 8. quod rarius etiam et vix credibile contingit, ipsa amica. Nec tamen quidquam iuvat nimia illa et diu exoptata felicitas. Aversa enim Cynthia cubat, copiam denegat. Itaque Seu illud prima et propria significatione positum Vel si significat, quo de usu alias quoque perperam a VV. DD. accepto cf. comm. ad El. II, 1, 5—10.

v. 9. 10. Vulgo verba sic iunxerunt: Mutatis terris tam procul ibit amor animo quam oculis. Primus Iacobus interrogandi signum post finem demum v. 9. posuit, ut mutatis terris auxilium pro auxilio dictum esset in terris

mutatis posito. Sententiosam scilicet orationem breviori versui integram reservari voluit. Et languet sane illud mutatis terris et sine usu in sequentem versum praependet. Nec tamen locos communes a nostro de industria captatos esse crediderim. Itaque Lachmannum secutus vel nomen Cynthia virgulis, quibus inclusum tenebatur, liberavi, ut iam non vocativus, sed nominativus esset. Neque enim, si quaeris, amor ex oculis abit, sed ex animo. Contra planissima sententia, qualem hoc carmen imprimis desiderat: Cum Cynthiam non amplius videbo, non amabo amplius.

v. 11 sqq. Pro in aequora libros omnes: in aequore habere, error Lachmanni est ed. Lips. Deinde pro undisonos Markland. undosos corrigebat, quia undisonus in litore tantum et scopulis diceretur. Contrarium Iacobs. coll. Val. Flacc. I, 364. evicit, unde ante eum Dorvill. Miscell. Obs. p. 74. nostrum tuitus est. Quid, quod Propertius primus illam vocem invenit? Ab hoc igitur, non ab imitatoribus, quid significaret quaerendum erat. Cf. Q. P. II, 6. s. III. p. 163.

v. 21. sufferte. Dedi, quod numerus et sermo incitatior commendabant. Nam librorum in talibus discrepantiis nulla est auctoritas. Praeterea si sufferre — properate legas, rectius qui pro quod, et pedem ante properate scriptum crediderim.

v. 23. me litora. Mira Gron. discrepantia ne cui fucato nitore blandiatur: nec terrestre iter lintea patitur, et unde librarius doctrinam suam repetiverit, v. 13. docet.

v. 25. 26. Hos versus Lachm. ut spurios notat; et fortasse rectius abessent. Sed cum per se et singulis verbis spectatis nihil offensionis habeant, coniuncti solum cum insequenti disticho repetitione eorundem vocabulorum non tolerabili nauseam moveant: a Propertio quidem esse eos, sed alterutrum distichum a poeta fortasse in marginem coniectum et futurae recensioni servatum, ordini reliquorum ab amicis superstitibus insertum esse coniicio. Nam ea ipsa quibus offendunt verba (studiis Platonis — studium linguae; docte Epicure — docte Menandre) tam facilia erant ad corrigendum, ut poetam ipsum non sentientem in iis peccasse nequaquam mihi persuadeatur. Singula vero verba, ut dicimus, optime habent. Primum enim Illic, modo ne cum Lachm. ad muros longos referas, sed ad eas de quibus tota elegia agitur Athenas: plane eodem modo dictum est, quo El. I, 17, 19. ubi certum nomen, ad quod referatur non suppetit; item El. I, 19, 7. ubi appositione subiecta demum illustratur. Idem igitur adverbii demonstrativi usus est,

quem in cognatis pronominibus, ad communem aliquam, quae praecesserat, sententiam referendis ad El. IV, 11, 36. illustravimus. Iam vero quod idem Lachmann. vel ad sequens aut Latine referri posse negat: rectissime ille quidem. At non disiunctiva, sed intensiva vi positam esse eam particulam praetervidit. Sic etiam II, 2, 6.: et incedit vel Iove digna soror, Aut — cett., quem locum, ut plurima, docte illustrat Handius de Particul. I. p. 549. Cuius expositionem si accuratius Keilius (p. 48.) inspexisset, non in eodem quo hic Lachmann. scrupulo haesitasset. Iam studia Platonis, quae maxime criticos offenderunt, quia Platonis genitivum q. d. obiectivum putabant, studia sunt, qualibus Plato vacabat. Quo de usu genitivi elegantissimo vid. Q. P. II, 6. p. 154 sq. et comm. ad El. I, 1, 3. Propius tamen ad nostram rem Homericum illud accedit Il. π'. 507.: ἅρματ' ἀνάκτων non certorum dominorum currus, sed currus, qualibus domini uti solent (*Herrscherwagen*); ex Latinis Tibull. I, 3, 71.: serpentum Cerberus ore (*Schlangenmaul*), Stat. Silv. V, 2, 47.: apex bellorum, i. e. quali bellantes utuntur (*Kriegs-Helmbusch*). Nec multum differt nostri: Orpheae lyrae carmen (El. I, 3, 42.). Prorsus tamen ad nostrum exemplar Phaedr. III. prol. v. 29.: Librum exarabo tertium Aesopi stilo, i. e. dicendi genere quali Aesopus usus est. Sic igitur interpretare Ovid. Fast. IV, 831.: dominae potentia terrae — potentia, qualis esse solet civitatis in alias dominantis. Ceterum a librario sciolo confectos esse hos versus non posse, iam sola hortorum Epicuri docta commemoratio declarat, de quibus vid. Cic. N. D. I, 33. eund. ap. Augustin. adv. Academm. III, 7. Heraclid. Allegor. Homer. IV. p. 10. Schow. Phaniae epigr. Anthol. Pal. VI. p. 200. n. 307. Ann. Br. II, 53. n. 6. ibiq. Iacobs. Menag. ad Diog. Laert. X. p. 451. Nec certe, qui sic interpolare poetam didicisset, cetera tam expertem elegantiae se arguisset. Ex coniecturis tamen maxime probaverim Broukhusii stadiis, neque tamen eo, quo ipse volebat, sensu metaphorico et ad animi exercitationes translato, sed eadem significatione, qua spatiis item a Broukh. in notis mss. prolatum, quod et aliis et Huschkio magnopere placuit. Stadia enim Latino vocabulo spatia appellata esse ad El. IV, 2, 58. docuimus. Unde Cic. de Or. I, 7. tria spatia cave in universum pro tribus itineribus dictum putes: De Finib. V, 1. de Legg. I, 4. Stat. Silv. III, 5, 90. Gymnasiorum vero stadia (de quibus vid. Vitruv. V, 11, 3.), a Graecis communi nomine δρόμοι dicta (Pausan. Eliac. Poster. c. 23. Dion. Chrysost. encom. Melancom. Orat. 28. p. 531. Platon.

Phaedr. p. 227. Xenoph. Oecon. 11, 15. Platon. Euthyd. p. 273. Polluc. Onom. IX, 43. cf. Becker. Charicl. I. p. 333 sqq.), philosophorum ambulationibus frequentabantur. Neque ego nunc dubito, quin ap. Capitolin. Anton. Phil. 26. pro eo, quod nunc est: „Apud Aegyptios civem se egit et philosophum in omnibus studiis, templis, locis“ — legendum sit: in omnibus stadiis. — Academiam vero inter gymnasia Attica ambulacris illis stadiatis excelluisse, quis ignoret? Cf. Plin. N. H. XII, 5. Cic. Acad. I, 4. Horat. Ep. II, 2, 45. ubi vid. Schmid. Haec igitur sunt „nobilitata illa Academiae spatia“ ap. Cic. Fin. l. l. Ad hoc exemplar idem Tullius Academiam suam in Cumano, et qui exinde Romanorum elegantiores simili modo villas sibi paraverunt, has non nemoribus solum, sed xystis etiam et exedris et stadiis exornaverunt. Cf. Cic. Acad. IV, 3. Brut. 5. Senec. de Ira III, 18. Sueton. August. 72. Schneider. ad Vitruv. l. l. p. 400. ad Varr. R. R. II. praef. 2. p. 509. et in Ind. p. 419.

v. 28. Lachm. versibus olim desperatis commate post librorumque posito subvenire studuit, ut genitivus e voce studium (v. 27.) penderet, tuos sales vero, ut supra Demosthenis arma, appositio esset. Assentiuntur Iacobus et Iacobsius. At quomodo librorum studium sales Menandri dicantur? An hoc voluit, quod tamen ne sic quidem Latinum esse aio, ut Demosthenem δεινότητα suam linguae studio, sic sales suos Menandrum librorum studio debuisse? Irrisoris ista laus foret, non admiratoris. Nam sales non studio aut lectione parantur, sed naturae dono gratis impertiuntur. Itaque coll. Q. P. II, 6. §. 24. p. 144. comm. ad El. III, 9, 21. non dubitabis, quin enallage haec sit adiectivi sola illa poetis antiquis concessa, qua, cum duo substantiva in unius quodammodo notionis ambitum coniungantur, attributum, quod proprie ad genitivum illum referendum erat, ipsi nomini generali addatur — rarius contra. Quod quantumvis tuos librorum sales pro librorum tuorum sales dictum nostrarum linguarum ingeniis repugnet (ut si Germanice vertas: „*deinen Bücherwitz*“), nihilo tamen minus Latinum erit, quam cetera eiusdem generis l. l. collata, quae si ad verba interpreteris: „*Keusche Diebstähle des Lagers, gebückte Küsse, verwandte Scheiterhaufen, verheirathete Fackeln, betrunkene Kennzeichen, molossische Hundshälse,*“ iure nostratibus risum debeas. Et extant audaciora etiam id genus plurima in utraque lingua exempla. Nam ne Meleagri illud dicam ep. 72.: ἆδε φίλα θρέπτειρα χάριες, quod quamvis proximum sit huius nostri El. IV, 3, 11.: Haecne marita fides, tamen criticorum cultros

non effugit. Insolentissima Aeschylus habet Eumen. 517.: *ξένότιμοι ἐπιστροφαὶ δωμάτων*. Sept. adv. Theb. 340.: *βλαχαὶ δ' αἱματόεσσαι τῶν ἐπιμαστιδίων*. ibid. 398.: *Λίκη δμαίμων*. 676.: *ἀνδροκτασία αἵματος οὐ θεμιστοῦ*. v. 852.: *αὐτοκτόνα κακά*. Ag. 154.: *θυσίαν νεικέων τέκτονα σύμφυτον, οὐ δεισήνορα* pro *τέκτ. νεικέων συμφύτων οὐ δεισήνορος*, et quod monstro paene simile Suppl. 10.: *αὐτογένητον φυξάνορα γάμον Αἰγύπτου παίδων* pro *φυξανόρων ἡμῶν γάμον αὐτογενήτων Αἰγ. παίδων*. Add. Eurip. Hercul. Fur. 447.: *γραίας ὅσσων πηγάς*, quo optime Virgil. locus illustratur, Aen. X, 418.: „Ut senior leto canentia lumina solvit" coll. Prop. IV, 7, 23. Imitati autem sunt poetae Romani per omnes aetates: unde nunc haec tantum delibo. Lucret. I, 475.: Ignis Alexandri Phrygio sub pectore gliscens. V, 1258.: auri nitido capti laevique lepore. Catull. VI, 10.: tremulique quassa lecti Argutatio inambulatioque. Virg. Aen. II, 453.: tectorum pervius usus. II, 576.: sceleratae poenae. Ad eandem regulam exigendae sunt compositiones illae primo aspectu abnormes, qualis Sophoclea O. C. 718.: *ἑκατομπόδων Νηρήδων*, quod putide vulgo de quinquaginta Nereidibus dictum interpretantur, cum Nereides sint quodammodo centies pedibus instructi i. e. centum Nereides. ibid. 17.: *πυκνόπτεροι ἀηδόνες* i. e. *πυκνοὶ ἀηδόνες πτερωταί*. Aiac. 413: *ἁλίῤῥοθοι πόροι* i. e. *πόροι ἅλιοι ῥοθοῦντες* — ne Suidae s. v. *πόρος* aut Harpocrationi s. v. *πόριος* credas: *πόροι εἰς ἅλα ῥέοντες* interpretantibus. — De adiectivo docte, quod modo in munde, modo in compte vel culte critici mutaverunt, vid. ad v. 26.

v. 30. De manibus ebore exactis cett. egerunt Burm. et Lachm. Sed rectius discernere debebant inter duplicem vocis usum, cum de arte dicatur, velut epigr. Rufin. Anthol. Pal. V, 15. Vol. I. p. 87. Stat. Silv. I, 3, 50. Ovid. Fast. III, 825. Nicomed. Smyrn. v. 9. Ann. Br. T. II. p. 384. Iacobs. Anim. ad Anth. Graec. IX, 41. p. 310., et cum de operibus ipsis, usu multo rariore. Sed hoc quoque Graeci praeiverunt. Sic *χείρ* ap. Manethon. Apotelesm. III, 24. epigr. *ἀδεσπ.* 315, 3. Ann. Br. T. III. p. 218. Cf. Gronov. Observv. III. c. 7. p. 373. ed. Platn.

v. 33. fractus. Burm. de homine libidinibus exhausto interpretatur. At istud vel optasset Propertius. Contrarium potius malum significari, infelici amore et aerumnis fractum animum, cum omnis elegia tum vv. 5—10. testificantur. Et sic Cic. Fin. II, 95. inter *συνώνυμα* verbi dolere hoc quo-

que recenset: frangi. Sic animus fractus et afflictus apud eund. Ep. ad Att. XII, 22. ad Famil. I, 4. Add. Rhetor. pro Domo sua 97. c. 46. in Senat. p. red. 19. Recte conferis Britannorum: *heart — broken.*

Elegia XXII.

Dispositionem vid. Q. P. II, 5. p. 88. De Tullo v. 2. commemorato ibid. I, 5. p. 23 sqq.

v. 3. Olim Pucciani libri fide deceptus coniecceram: Dindyma qua sacra Argivum fabricata, Cybele, quod de signo deae ligneo interpretabar ab Argonautis in Dindymo Cybelae consecrato, de quo vid. Apollon. Arg. I, 1117. I. H. Vossii enim coniecturam: Diudymaque Arctoae qua sunt sacrata Cybelae ideo ferri non posse intellexeram, quod mons Arctos, de quo ille cogitabat, diversus est a Dindymo. Strabo enim XII, 8. §. 11. Tzschuck.: τῆς δὲ πόλεως, inquit, τὸ μὲν ἔστιν ἐν ἐπιπέδῳ, τὸ δὲ πρὸς ὄρει. καλεῖται δ' Ἄρκτων ὄρος· ὑπέρκειται δ' ἄλλο Δίνδυμον μονοφυὲς ἱερὸν ἔχον τῆς Δινδυμήνης μητρὸς θεῶν, ἵδρυμα τῶν Ἀργοναυτῶν. Isaaci contra Vossii coniectura iuvenca, omnium interpretum plausu excepta, hacpropter suspecta mihi erat, quod et iuvencam ille in templo Dindymenae fuisse nullis veterum testimoniis nixus praedicaverat, et de taurobolliis cogitaverat, multo inferiore tempore institutis. Cf. Creuzer. de Symbol. T. II. p. 53 sqq. Quae vero iam antiquitus Cyzici factae sunt boum nigrarum immolationes, eas non Cybelae sed Proserpinae fuisse, Appianus me docuerat bell. Mithrid. p. 221. Steph. et Plutarch. Lucull. X: Add. Klausen. de Aenea et Penat. p. 97. n. 243. Iam vero postquam ab eodem Klausenio edoctus boum simulacra Magnae Matris religione nequaquam aliena fuisse apud Cyzicenos, et boum vel iuvencarum effigies frequentissimas in nummis eius civitatis conspici (velut apud Mionnet. II. p. 528, 81—83. V. p. 304, 128—130. II, 120. II, 93. V, 138. II, 155. 124—126. II, 159. II, 184. 186. 224. V, 250. 262. 308. 344. 387. 410.), quinimmo Proserpinae sacra et fortasse illa ipsa *Θεσμοφόρια*, de quibus vid. Appian. et Plutarch. ll. cc., cum Cybelae cultu arcte coniuncta fuisse intellexi: non amplius dubito, quin extremam versus partem Is. Vossius recte restituerit. Verum ne sic quidem omnem locum persanatum esse, duae res arguunt, nomen montis, quod Graeci omnes, Strabo l. c. Apollon. l. l. Scholiast. ad Apoll. I, 985. Steph. Byz. s. v. Schol. ad Nicandr. Alex. p. 51., et Romanorum quotquot ex codd. mss. fide satis

sunt castigati, aut *Δίνδυμον* (neutro genere) aut *Δίνδυμα* (plur. num.) scriptum exhibent: tum adiectivum sacra, quod pro sancto in numine dictum contra communem Latinitatis usum pugnare, comm. ad El. III, 1, 1. docuimus. Itaque levissima mutatione effeci:

Dindyma sacra ree et fabricata iuvenca Cybelae —.

Causa erroris manifesta. Nam cum nomen Rheae (reę) propter vicinarum litterarum similitudinem excidisset, versus fulciendi causa particula et transposita, et Dindyma, cui *s* ex proxima voce adhaeserat, in Dindymus abiit. Sin cui participium fabricata, omnibus tamen libris tutum, non addita materie unde bos fabricata esset, languere videatur, restat ut paullo etiam audacius refingat:

Dindyma, farre sacro fabricata iuvenca C.

Nam si verum est, quod de coniunctis Cybelae et Proserpinae sacris Klausen. (l. l.) eruit, ultro se nobis offert narratio a Plutarcho et Appiano ll. cc. tradita, in Phersephattiis, cum intercluso per Mithridatem armentorum commeatu hostia solita, iuvenca nigra, immolari non potuisset, effigiem eius ex farre fabricatam in verae iuvencae locum substitutam esse. Iam cum hostia per miraculum subter mare annatasset et ultro se sacrificio praebuisset, simulacrum, quo non amplius opus erat, in memoriam facti apud delubrum deae haud dubie asservatum est. — In nomine Cybelae nihil contra codices tentavimus. Nam Bentleii normae, qui ad Lucan. I, 600. penultima producta Cybebe, correpta Cybele semper scribi iubet, nec codd. mss. nec Graecorum usus addicit, qui non modo *Κυβέλη, Κυβήβη, Κυβήλη, Κύβελλα* promiscue scribunt, sed in derivatis *Κυβηλιαστής, Κυβηλίς* contrariam formam constanter servant. Cf. Hesych. II. p. 364 sq. Fischer. ad Anacr. XIII, 1. His adde locos et ab iis collatos, qui cum Bentleio faciunt (Drakenb. ad Sil. Ital. VIII, 363. IX, 293. XVII, 8. Heins. ad Prudent. *περὶ στεφ.* X, 196. Spanh. ad Call. Lavacr. Pall. pr. et Broukh. ad h. l. et ad III, 15, 35. Gud. et Burm. ad Phaedr. III, 17, 4. 20, 4. Graev. ad Lucian. II. p. 895. Berkel. ad Steph. Byz. v. *Κυβέλεια*. Sillig. ad Catull. LXIII, 9. Wagner. ad Virg. Aen. XI, 768. X, 230.), et ab iis qui contra: Stephan. Schediasm. de Delectu in lection. Virg. p. 57. Barnes. ad Eurip. Bacch. v. 79. Denique Cybebae non esse genitivum sed dativum coll. Q. P. II, 6. s. III. p. 163. apparebit.

v. 4. Raptam iuxta Cyzicum Proserpinam esse, disertis verbis unus hic noster ait; indicare etiam videtur Auctor Priap. Anthol. Latin. II. p. 550. ep. 70, 13.: Hennaeae Cererem

nuras frequentant: Raptam Cyzicos ostreosa divam. Nec convenire inter ceteros de loco facti Prellerus docet de Cerere et Proserpin. p. 133 sqq. Doti datam a Iove illam civitatem Proserpinae, Appianus refert Mithrid. p. 221., et expressam raptus imaginem in nummis Cyzicenorum Klausen. nos admonet de Aen. et Penatib. l. l. coll. Mionnet. II. p. 541. n. 188. Suppl. V. p. 322. 254. p. 333. 326.

v. 7—16. Miris modis hos versus vulgo interpretantur, quasi aut omnia haec Cyzici Tullus viderit (sic I. H. Voss.), aut contra etiam v. 5. Hellesponti urbes in exemplum tantum cum reliquis miraculis Propertius recensuerit (ita Burmann.). Immane alterum; alterum absurdum. Tu vero hanc esse sententiam puta: Si forte Cyzicus et Hellesponti oppida te morantur, ne Romam redeas (1—6.), nil agis; nam omnia, ubicunque terrarum quaeras, miracula (7—16.) Romanis cedent. Hoc iam v. 16. doceri debebant. Nam Nilum certe verum vivumque non imagine apud Cyzicenos expressum significari, certo est certius. Itaque ne signa quidem (v. 9.) statuas interpretor, sed vestigia ipsa luctae, qualia peregrinantibus portenti causa passim monstrari solebant ab accolis locorum fabulosorum. Egregie vero huc facit locus Plin. N. H. V, 1. iam a Burmanno allatus: „Ibi (Lixae, Mauritaniae urbe) regia Antaei, certamenque cum Hercule: et Hesperidum horti. Affunditur aestuarium e mari flexuoso meatu, in quo draconis custodiae instar (leg. quod draconis custodientis instar) fuisse nunc interpretantur. — — Extat in ea (insula) et ara Herculis nec praeter oleastros aliud, ex narrato illo aurifero nemore“. Eadem fere Solin. Polyh. c. 24. p. 45. Add. Lucan. IV, 590.: Inde petit tumulos excesasque undique rupes, Antaei quae regna vocat non vana vetustas. Haec illi spelunca domus. Quid, quod Gabinius historiarum auctor ipsa Antaei ossa illic integra reperta esse Strabone teste (XVII, 2.) significáverat: *πρὸς γὰρ τῇ Τιγγὶ Ἀνταίου μνῆμα ἱστορεῖ καὶ σκελετὸν πηχῶν ἑξήκοντα, ὃν Σερτώριον γυμνῶσαι, καὶ πάλιν ἐπιβαλεῖν γῆν.* Cf. praeterea Plin. V, 5. XIX, 21. ibique Harduin. Illic etiam in insulis Gorgadibus (v. 8.) verum Gorgonis caput monstrari solitum credulis, quis miretur? quamvis duo eius monstri exemplaria iam Hanno Carthaginem abstulisset. Plin. N. H. VI, 36. Solin. 56. p. 88. De insulis vero ipsis Mel. III, 9. Heyn. ad Apollod. II, 4, 2. p. 302. Ceterum choros Graeca significatione locos chorearum dictos puta, ne cum Burmanno domos malis.

v. 8. Phorcidos — non Phorcydos scribendum esse,

analogia evincit. Nam a Phorcys (yos) aut Phorcyis aut, ne absurdum sonet, Phorcyas formandum est. Cf. Buttm. Gr. Gr. ampl. §. 119. n. 61. Neque igitur recte ab Heynio ad Apollod. I, 2. *Φορκυάδες* expulsum. Cf. C. Schneider. de Anal. L. L. p. 181. Contra a Phorcus (i) — ut est apud Hygin. praef. p. 7. Munck. — recte fit Phorcis, Phorcidos (ut est apud Schol. Aeschyl. Prom. 792. Hygin. l. l. cf. Heyn. ad Apollod. l. l.): unde barbaram illam formam Phorcys (ydos) et ex aliis poetarum exemplaribus, et ex Ovid. Metam. IV, 774. ubi tamen hodieque haeret, diu exulare oportebat.

v. 9. Geryoni. Libri mss. Geryonis. Itali correxerunt Geryonae. Graeca lingua triplex monstri nomen agnovit: *Γηρυών, Γηρυόνης, Γηρυονεύς*, Eustathio teste in Dionys. p. 81. Hinc *Γηρύων* ap. Schol. Hesiod. p. 310. *Γηρυονῆα* Hesiod. Theog. v. 287. Priscianus tamen duas tantum formas Geryones et Geryoneus probare videtur VI, 18. p. 284. Kr. Neque ego, qui primus Graecorum *Γηρυών* scripserit, satis compertum habeo — nam apud Dionys. quoque Perieg. v. 561. *Γηρυόνου* plures quam *Γηρυόνος* libros exhibere video —: hoc scio, Romanorum neminem ante Senec. Hercul. Fur. v. 487.: „Nec una Geryon victus manu —“ ea forma usum esse. Postea passim obtinuit, velut Symm. Epist. I, 1. Hygin. Praef. p. 12. Munck. Fest. Avien. Ora Marit. p. 436. Pith. Albric. de deor. imag. 22. p. 328. Munck. Veteres igitur Servius significat ad Virg. Aen. VII, 622. cum haec ait: „Sane sciendum declinari hic Geryones, huius Geryonae. Unde est: Tergemini nece Geryonae: ut Anchises, Anchisae. Unde Sallustius usurpavit, Geryonis dicens.“ Quo testimonio quod ita abusi sunt VV. DD., ut genitivum semper Geryonae rescribendum censerent (cf. Burm. ad Anthol. Lat. p. 325. Burm. patrum ad Sueton. Tib. 14. Heins. et Wagner. ad Virg. Aen. VIII, 202. Ovid. Epist. VIII, 9. ad Vellei. Paterc. I, 1. Gronov. ad Senec. Herc. Fur. 1170. Agam. 841. Drakenb. ad Sil. Ital. III, 422.): in hoc sine dubio falsi sunt. Nam Servii verba extrema aut nihil omnino, aut hoc significant, genitivum eius nominis sive Geryonae sive Geryonis efferatur, a nominativo Geryones ducendum esse, itaque inter ea nomina barbára referendum, quae a Graecis accepta Romani modo ad primae modo ad tertiae declinationis formam exegerint. De quibus vid. C. Schneider. de Anal. L. L. p. 36 sqq. Nam quae priores grammatici de hoc loco egerunt, nimis sunt confusa. Nec nos hic Geryonis tetigissemus, nisi vocalitatis normae a Propertio tam sollicite observatae doctius hic aliquid a librariis

oblitteratum esse proderent. Nam nomen Geryones inter ea fuisse, quae genitivum tertiae vel in *is* vel in *i* declinarent (coll. Schneider. l. l. p. 167. locisque ab illo congestis), nemo erit quin consentiat. Iam vero si optio data esset ante vocem stabula vel Geryonis vel Geryoni scribendi, quis Propertium adeo surdum fuisse censeat, ut sibilantem illam formam probae huic et exquisitae anteponeret? Librariorum autem errorem tanto libentius excusabis. Contra unde a Geryonae ad Geryonis universi aberrassent, nemo docuit. At ne ulterius dubites: in eadem prorsus positione, i. e. litera *s* impura sequente, apud Virgilium (Aen. VIII, 202.) omnes paene codd. Geryonis spoliis praestant, unus vero egregius ille Romanus manifesto habet: Geryoni. Senties, me non cum criticis facere, qui illic quoque invicem sibi plaudentes Geryonae reposuerunt.

v. 11. tuo remige qui, uti Kuinoel., cum tuis sociis interpretantur, bis peccant. Primum enim simplex ablativus comitandi significationem habere non potest; deinde non cum remigibus Tullus ipse flumen propellit, sed per remiges. Insolentior utique in personis ea ratio, quae in rebus maxime est vulgaris. Sed recte et hic, et ubicunque homines non quatenus mente et voluntate praediti sunt, sed veluti muta alterius voluntatis instrumenta quaedam ponuntur. Exempla vid. ad El. I, 13, 13. Deinde tuo per eandem πρόληψιν dictum, quam in genitivi usu illustravimus Q. P. II, 6. p. 139 sq. — Colchon Aldinarum inventum Statio quam Propertio dignius, qui nunquam in adiectivis 2. decl. Graeca positione usus est.

v. 13. De ablativo insolentiore v. Q. P. II, 6. p. 135. de praesenti vero pro perfecto posito ibid. p. 120.

v. 15. Primus Lachmannus qua adverbium loci esse, ad coniunctionem vero si — „legas“ apud animum addendum docuit, qua de ellipsi vid. Q. P. II, 6. p. 131. Mire tamen idem vir sagacissimus interpretatur: „Qua Caystri ora est, tam vicina illa Ortygiae, ut huic videnda sit.“ At istud si dicere voluisset Propertius, quamquam ne potuisse quidem velle eum censeo, profecto eo ipso videndi vel prospectandi verbo usus esset, non visendi, quod semper frequentandi et adeundi significationem continet. Ne de usu partic. futuri dicam, quod sic positum non facultatem sed necessitatem designat. Denique quantae poetam insimularemus infantiae, si simplicissimum hoc: proximum Ortygiae Caystrum tam inconcinnis et paene Sibyllinis ambagibus circumscripsisse eum crederemus. At rectissime erunt omnia, si Ortygiae genitivum existimes, sive ex altero genit.

Caystri pendentem (usu a Propertio minime alieno; cf. comm. El. IV, 1, 103.), sive quod malim locativum. Nam participii visendus propria haec est et elegans vis, ut res visu dignas et non omittendas peregrinanti significet. Cf. Cic. Verr. IV, 59 sq. Lucret. I, 728. Quintil. XII, 10, 3. Plin. N. H. XVI, 91. Liv. XLV, 17. Haec igitur erit sententia ab omni parte sana et integra: „Et si navigaveris, qua memorabilis Caystri ora iuxta Ephesum tendit.“ Ceterum ex turba coniecturarum, quibus aperto codd. ulceri origae mederi docti et semidocti tentaverunt, ceteras referre atque refutare longum est: unice vera videtur Isaaci Vossii emendatio, eo tamen quo Lachm. proposuit modo codicum vestigiis magis accommodata. Vossius enim Ortygii scripserat, ut attributum esset Caystri. Vix autem dicere possumus, quantum ei calculum adiiciat simillima loci Hermesianactei corruptio (Athen. XIII. p. 598. B. n. 71. p. 160. Bach.), ubi vulgo, sententia absurda, haec leguntur:

Ἄνδρα δὲ τὸν Κυθέρηθεν ἀνεθρέψαντο τιθῆναι
Βάκχου καὶ λωτοῦ πιστότατον ταμίην
Μοῦσαι παιδευθέντα, Φιλόξενον, οἷα τιναχθεὶς
ὠρυγῇ ταύτης ἦλθε διὰ πτόλεως,
γιγνώσκει.

Canum latratum *ὠρυγὴν* Hesych. *κυρίως* interpretatur, dignam, hercle, tanto poeta laudem! Quin tu mecum ocius repone: *Ὀρτυγίην*. Nam Philoxenum a Dionysio et ex lautumiis profugum Ephesum se contulisse ibique diem supremum obiisse, satis constat. Cf. Schweighaeus. ad Athen. l. l. Bach. l. l. p. 161. Weber. de poetis Graec. elegiacis p. 683. Nec quidquam me movet, quod Spanhem. ad Callim. h. Dian. 257. ideo felicissimam hanc Is. Vossii coniecturam improbat, quia lucus Apollinis Ortygius non Caystro, sed Cenchrio flumine alluueretur. Nam Propertius non lucum illum Latonae, sed ipsam Ephesum significat, quam antiquo nomine Ortygiam dictam fuisse locupletissimi testes affirmant Stephan. Byz. s. v. Eustath. ad Dion. Perieg. v. 827. p. 109. Plin. N. H. V, 31.

v. 16. Vix credas, quo interpretes nostros somnia sua auferant; Gangem enim hic dici Passerat. et Cerda cogitabant, Rhesum Troadis fluvium Beroaldus. Deinde vias temperat Kuinoel. explicat: „in septem alveos divisus cursum suum moderatur, et minus rapidum reddit.“ Immo temperare propria significatione liquor Nili dicitur, qui denuo semper per vias suas effunditur, novasque aquas prioribus addit, et has suis miscet. Alluit vero etiam ripas ostiorum, et arentes humectat. Sic Virgil. Georg. I, 110.: illa (aqua) scatebris arentia temperat arva.

v. 22. ira. Ex libris pessimis Burm. illa. At recte iam antea Broukhus.: „Nos, quamvis irati, postquam vicimus, manibus temperamus.“ Vere Propertianam esse dictionem coll. Q. P. II, 6. p. 150. senties, ne cum Bachio (l. l. p. 176.) *κατ' ἀντίφρασιν* iram cessantem dici credas.

v. 25. Libri incorrupti: Albanus lacus et socia Nemorensis ab unda. Scaliger ex Guiaciano: Albanusque lacus socii Nemorensis ab unda, sententia perversa. At ne alterum quidem sanum. Nam nec Nemorensis lacus Albano aquas suppeditat, nec (quod Lachmannus vult, librorum hic patronus) uterque ab eodem fonte oritur, siquidem Strabo (V. §. 12. T. II. p. 179. Siebenk.) de Nemorensi: *τὰς μὲν οὖν πηγὰς ὁρᾶν ἐστιν ἐξ ὧν ἡ λίμνη πληροῦται. τούτων δ' ἐστὶν ἱερεία (Ἰτέρνη* Casaub. — tu vero mecum corrigere ne dubita *Ἡγερία* coll. Ovid. Fast. III, 261. 263. 273. 275. Stat. Silv. I, 3, 76.) *καλουμένη δαίμονός τινος ἐπώνυμος.* Albani contra lacus fontes (in ipsius lacus fundo scaturientes teste Dion. Hal. frgm. Mai. 11.) nec visebantur, neque unde repentini fluctus venirent, quae bello Veiente marginem egressi subiacentia inundarent, causa manifesta erat. Cf. Plutarch. Camill. 7. Dion. Hal. l. l. Liv. V, 15. Niebuhr. H. R. I. p. 205. II. p. 537. Neigebaur. Itinerar. Ital. p. 222. coll. p. 238. Itaque iam olim tentaveram:

Albanusque lacus, socia Nemorensis et unda. —

Nunc eandem sententiam effici video, si librorum vestigiis propius pressis socii intactum relinquamus. Socius enim fere idem saepe quod propinquus. Plin. N. H. XII, 1, 5.: Platanus est clara in Lydia gelida fontis socia amoenitate. Stat. Silv. I, 3, 3.: sociae commercia ripae. Cave autem imprimis, ne Kuinoelio hic confidas, qui non modo Nemorensi et Albano lacui eundem fontem tribuit, sed hunc — mirabile dictu — ipsam Iuturnam esse credit, Casauboni coniectura (ad Strabon. l. l.) sine dubio seductus. At Iuturnas duas fuisse, alteram, quae prope Lanuvium haud procul a mari lacum efficit (hodie: *Lago di Torno*) — cf. Serv. ad Virg. Aen. XII, 139. —, alteram hoc loco commemoratam, in foro Romano iuxta Vestae, satis constat. Cf. Dion. Hal. VI, 13. Ovid. Fast. I, 707. ubi diversa priores interpretes confuderunt, recte nunc regiones et fabulas Merkelius distinxit p. CXLVIII. Hic autem fons ille est, ad quem post pugnam Regillensem Castor et Pollux Vatieno apparuerunt, equis sudantibus potum praebentes. Cf. Cic. N. D. II, 2. Plutarch. Coriol. p. 215. Aemil. Paul. p. 268. Symmach. Epist. I, 95. Dion. Hal. l. l. Lactant. Div. Instit. I, 10. Liv. II, 20. Hic igitur in adversa fontis ripa contra Ve-

stae templum Castorum aedes ab A. Postumio dicata est. Dion. Hal. Liv. ll. cc. Niebuhr. H. R. I. p. 583. Ambrosius in libello de locis et sacris Romm. (*Studien und Andeutungen*) p. 100. Hinc Valerii Maximi error corrigendus (I, 8, 1.), qui nescio quas fabulas confusas secutus ita rem narrat, quasi iam tum prope Iuturnam Tyndaridae aedem habuerint. Incertum vero est, de hoc an de altero fonte Ovidius (Fast. II, 603.) et Varro (L. L. V, 71. p. 28. Muell.) loquantur. Nam utriusque salubritas laudatur. Merkelius denique si recte verba eius subobscura (Prolegg. ad Ovid. Fast. p. CCV.) interpretor, ex male intellecto Servii loco (ad Virg. Aen. XII, 139.) tertium fontem in Campo Martio sibi finxit, ubi aedes tantum Nymphae Laviniensis erat. — lympha scripsi, non nympha, codicibus obsecutus, non quod sententia postulari id credam. Cf. ad El. III, 16, 4.

v. 28. fluit, quod Fruterii iam et Canteri coniectura occupatum Bernardini Vallae liber postea firmavit, simplicitate praestat alteri furit, haud sane inficeto Itali eius commento, qui librum Scaligeranum interpolavit. fuit frustra Iacobus defendere studet.

v. 29. Andromedae dativum esse, non ut Lachmann. censet genitivum, coll. Q. P. II, 6. s. III. p. 164. apparebit; iam v. 30. de attractione vocativi fugate cf. ibid. s. II. §. 19. p. 138. et comm. ad El. I, 8, 19.

v. 33. in arbore. inter arbores vulgo interpretantur; et probare possint coll. El. III, 3, 13. Sed doctius sine dubio, quod Lachm. apud Iacobum admonet Eurip. Bacchar. v. 1093. Addere licet Pausan. II. Corinth. 2, 6.: *Πενθέα — ἀναβάντα — ἐς δένδρον θεάσασθαι τὰ ποιούμενα· τὰς δὲ (γυναῖκας), ὡς ἐφώρασαν, καθελκύσας τε αὐτίκα Πενθέα, καὶ ζῶντος ἀποσπᾶν ἄλλο ἄλλην τοῦ σώματος.*

v. 35 sqq. non pro nec propter Gron. et Ment. consensum Keil. mavult. Fortasse recte. Sed non tanti nobis fuerat, ut scripturam tot saeculis traditam desereremus. Iam vero nemo de eleganti accusativi usu dixit, quo curvare pro efficere curvando positum est, aut de metonymia elegantiore etiam: bove dedecorare faciem pro: bovis figura vel ore —. Tu de altero cf. comm. ad El. II, 1, 9. II, 7, 11. II, 20, 8. IV, 5, 14. de altero Q. P. II, 6. p. 157. Sequitur zeugma insolentissimum, quod ante Lachmann. frustra suppleto verbo curvare solvere studuerunt. Quo vero tum non hospita Graiis saxa? An haec quoque Sinis curvavit? At multo rectius *ὁ κριτικώτατος* ex proximis versibus habendi vel adhibendi verbum ultro effici observat.

Quod genus ad usum Graecum optime Bernhardy. illustravit Syntax. Gr. p. 458.; de Propertio cf. Quaest. II, 6. p. 132. Neque inepte Chr. Bach. ad Nep. Alc. III, 5. Thrasyb. IV, 1. Dat. VIII, 4. provocat. Quamquam haud equidem diffiteor, facilius multo omnia cessura esse, si sic rescribere nobis liceret:

Arboreasque cruces non hic, et inhospita Graiis
Saxa, et curtatos in sua fata paves.

non hic, ut supra v. 29. dictum fuerit; paves ut v. 30. tremis. De copulativo et post negationem vid. comm. El. II, 1, 21. Ne autem mireris, quod curtati paveri dicantur, cf. comm. ad El. II, 7, 6. Q. P. II, 6. p. 155. Iam id, quod efflagitare hic locus videtur, ut tres illi Isthmi latrones significentur, impetratum vides. Recte autem, quod nomen Sinis uti reliquorum duorum circumscripsit. Utut est, „non hospita saxa" invitum paene te cogant, ut Scironias rupes intelligas. Atque ita ab universis ante nos interpretibus factum est. Quod tamen, nisi accepta quam proposuimus coniectura, fieri licere negamus. Nam Sinis et primi et extremi commatis subiectum haberi, novissima vero verba sic expleri necesse est: „Sinis curvatas in sua fata trabes habet." Alioquin enim verba in sua fata explicari non possunt, eodem modo dicta quo El. III, 9, 56.: Antonique graves in sua fata manus. Hoc autem ut ferimus, ita quomodo quis inter medias cruces et trabes Sinidis inculcata haec Scironis saxa concoquat, non modo praedicato suo unde pendeant et subiecto quo regantur carentia, sed quae aliud etiam subiectum aliudque praedicatum atque proxima membra sibi postulent — haud equidem perspicio. Non nobis tam dura sunt ilia. Itaque, si tamen interim vulgata acquiescendum sit, saxa inhospita fauces Isthmi interpretor, in quibus *Πιτυοκάμπτης* iste praetereuntibus insidias struebat. Ceterum Sinis nomen in librorum mss. nullo comparet, primum, ne cum Iacobo dubites, a Beroaldo inventum, quamvis hic, ut saeculo illo, Scinis scripserit.

Elegia XXIII.

De argumento vid. Q. P. II, 5. p. 88.

v. 5. puellas. Sic optimae membranae. Vulgo ex quibusdam libris notae inferioris puellam reponunt. At illud recte Iacobus restituit, sive in aliis iam castris secum militasse fideles illas tabulas poeta significat, sive nota synecdoche utitur, de qua diximus ad El. II, 7, 15.

v. 9. Qualescunque. Sic distinxi verba, quo et compositio aptior per contrarium procederet, et numerus mollicula caesura blandior flebile quid sonaret. Sic enim iam Catullus, quamvis minor aurium captandarum artifex:

Quare habe tibi, quidquid hoc libelli
Qualecunque.

v. 11. fuerant. N. fuerint; itaque iam Heins. coniecerat. Sed probum alterum et, ni fallor, magis Propertianum. Cf. comm. ad El. I, 11, 28. II, 29, 7. Contra

v. 14. bene lenissima correctura idem pro bona restituit, quod nunc etiam firmari cod. Hb. video. Neque enim prorsus superfluis attributis orationem onerare decebat, nedum in carmine tam simplici et tenui. An etiam bona crimina sunt? Contra: „Non bene ficta crimina" egregie faciant stomachabundae puellae, et leviter irridenti. Deinde venies, quod iam Lachmann. coll. Horat. Epist. I, 7, 69. probavit, et optimis libris et sequenti cessabimus unice commendatur. Praeterea confidentius sperantem eoque certius impetraturam puellam describi malim, quam invitantem simpliciter.

v. 17. volens palmaris Broukh. est coniectura, postea Perreiani exemplaris consensu probata. Reliqui libri omnes dolens. Nam quod inter discrepantes codd. Hb. omisi, operarum error est. Sed ulcus vetustum originem librario debet, qui ad finem v. 18. oculis aberraverat. Ad sententiam idem deinde Broukh. aptissime Catullianum illud citat:

Ibi illa multa tum iocosa fiebant,
Quum tu volebas nec puella nolebat.

Qui tamen spreta hac emendatione dolis in iocis (ut Perr.) mutare voluerit, eum proximos certe versus hoc ordine transponere oportebit: 16. 15. 12. 13. 14. Magis vero necessarium, quod v. 18. Lachm. ex G. restituit: „dicitur." Neque enim inter nocturna gaudia talia scribuntur et rescribuntur, sed ut ipsum argumentum epistolae docet, ante noctem, et cum hora dicitur. De dolis vero minime cum Lachmanno dubitabis, si fallaciarum muliebrium memineris, quibus vel praepotenti amatori, vel lenae os sublinitur. Cf. El. IV, 7, 16 sqq. IV, 5, 73. Nec magis alieno patrocinio egregia Beroaldi emendatio v. 22. ligna pro signa eget, quae nunc etiam ab Hb. haud spernendum firmamentum nacta est.

v. 20. „duras ephemeridas, in oppositione ad tabellas amatorias, ob avarorum duritiem". *Kuinoel.* Recte quidem, nam qualis dominus est, talem esse apparatum decet. Et tamen absurdum esset, nisi revera etiam ephemerides

duriores fuissent tenuibus his pugillaribus et delicato usui destinatis, de quibus cf. Martial. XIV, 8, 9. Mus. Borbon. I. tab. 2. Becker. Gall. I. p. 181. Atqui ephemerides in codicibus scribi solitas esse coll. Cic. Verr. I, 36. I, 57. pro Rosc. Com. 2. §. 4. 5. satis constat. Hi vero annuas vel ampliores etiam accepti et expensi rationes continebant, multiplici paginarum congerie graves, tum robustis plagulis inclusi, fortasse etiam aeneis claviculis muniti. Nam in perpetuum usum et vetustatem parabantur. Cic. pro Rosc. Com. 2. §. 6. Interpp. ad Nep. Att. c. 13. Huiusmodi societatis causa tristis duraeque cur poetam tabellarum suarum debilium misereat, satis apparet.

v. 23. Haud prorsus recte Burm. Apulei. Met. VI. p. 93. confert, ubi per praeconem Psyche fugitiva promulgatur. Contra de hoc usu cf. Digest. XLVII, 2, 43.: Solent plerique hoc etiam facere, ut libellum proponant. Cf. Beckm. Histor. Invent. T. II. p. 231 sqq. Becker. Gall. Sc. IV. n. 11. p. 246.

Elegia XXIV.

De anno, quo haec elegia amori Propertii fatalis scripta sit, cf. Q. P. I, 4. p. 16. Dispositionem illustravimus ibid. II, 5. p. 97.

v. 2. oculis facta superba meis. „oculorum meorum iudicio, quo tuam olim formam probavi.“ *Kuinoel.* In universum quidem recte; sed vellem, probasset. Nexu enim demum sententiarum illud efficitur, ut oculi pro oculorum iudicio sint. Qua in re longe aliter comparata esse exempla, quae ad El. II, 4, 32. adhibuimus, coll. comm. ad e. l. apparebit. Quodsi quis eam interpretationem tueri velit, oculos causam superbiae dicere possit. De usu enim ablativi, quo causa remotior significatur, vide quae Q. P. II, 6. p. 137. congessimus. Add. Ovid. Met. VII, 433 sq.: Te, maxime Theseu, Mirata est Marathon Cretaei sanguine tauri, i. e. propter taurum. Nec multum differt Tibull. II, 1, 51.: assiduo satiatus aratro, ubi cave cum Dissenio satiatus interpreteris: lassus; immo satiatus aratro dicitur, qui arando victum, victu deinde satietatem paravit. Sed maiorem etiam evidentiam hic locus inde habet, quod amantium oculi capi a puellis finguntur. Quo de usu accuratius egimus ad El. I, 5, 11. I, 19, 5. II, 30, 9. Oculis igitur amatoris quasi spoliis quibusdam superba Cynthia exultaverat. Vides quantum Burm. erraverit, cum propter El. I, 1, 1. tuis necessario hic legendum esse praedicaret. Nec magis Schraderus proficit, qui Olim elegis malebat

Emend. VIII. p. 164. Gebhardo vero gratia debetur, quod severis his studiis fessos hilaritate recreare studuit, talia coniectans: O ioculis vel O logulis vel etiam O titulis. Cf. praeterea Huschk. Ep. crit. p. 85. Lachm. ad El. V (IV), 4, 32.

v. 5. mixtam varia — figura. Zeuxidis Heracleotae (Cic. Invent. II, 1.) Iacobus admonet. At displicet variarum puellarum pannis consarcinata Cynthia. Figura et forma potius, ne erres, pulchritudo est, qua non modo membrorum conventus et symmetria, sed etiam color et crines et quae sunt eiusmodi laudes muliebres continentur. Hinc caerula forma II, 18, 32. candida forma II, 29, 30. — Et recta figura II, 18, 25. faciei fucatae opponitur. II, 32, 58. III, 11, 16. imprimis vero comm. ad El. I, 4, 13.

v. 12. verba fatebor. Passerat. et ante eum Livineius vera fatebar coniecerant. Confestim arripuerunt VV. DD. Antiqua probo. Quid enim Propertius verum fassus dicatur? — Scilicet eam opinionem, quam nec patrii amici, nec Thessala saga ei eripere potuerit, Cynthiam laude et amore dignam esse. At fatemur ea, quae quamvis celare cupiamus, tamen aut vi coacti aut veritatis studio ducti proloquimur. Atqui Prop. nunquam amorem et laudes Cynthiae dissimulavit, nec dissimulare voluit, nec si voluisset, ulla res ut laudaret coegisset. Unde quam frigide, quam paene ridicule dictum foret: „non ferro, non igne coactus, pulchram eam esse dixi", apparet. Sensit hoc haud dubie Barthius, qui praecedentium verborum oblitus, quamvis Passeratii coniectura recepta sic interpretatur: „Ad haec fatenda antea, neque igne neque ferro coactus, neque in naufragii periculis constitutus cogi poteram; nempe te non esse pulchram," quasi legisset: „nec ipsa naufr. A. vera fatebar" vel: „non fatebar, quamvis coactus." Sensit etiam I. H. Vossius, qui cum vera a Passeratio accepisset, fatebor tamen e codd. restituit, et post aqua puncto minore posito haec ad sequentia rettulit. At sic et compositio carminisque contextus male turbatur, cum singula disticha in diversas partes trahantur, et, quod est argumentum gravissimum, amici et Thessala saga ab igne et ferro poeta invito divelluntur. Atqui his ipsis versibus coniunctis παλινῳδία argutissima non modo omnis anteacti amoris, sed eius potissimum carminis efficitur, quod veluti prooemium his amorum libris ipse Propertius proposuerat, El. I, 1. Hoc autem voluisse poetam collatis El. I, 1, 19.: At vos, deductae quibus est fallacia Lunae et v. 25 sqq.: Aut vos, qui sero lapsum revocatis, amici — Fortiter et ferrum, saevos

patiemur et ignes — nemo venustior negabit. Hoc igitur nunc ait: „Non ego diutius caeco amore decipi me patiar. Iam omnes tuas illecebras, quibus nec patrii amici, nec veneficarum artes liberare me potuerunt, abiiciam. Iam vestris medicinis opus non est. Ipse me servavi. Non coactus ferro aut igne, sed ultro superiores illas laudes mera verba fuisse fateor, et usque fatebor, vel si ipsi dii, quod iam antea fugienti puellam (I, 17.) mihi minitati sunt, naufragii periculo pristina amoris vota repetituri sint.“ Neve tu nunc in eo haereas, quod pronominis numerum poeta variaverit. Nam cum Quod recte haberet, singulari numero omne quod praegressum erat argumentum amplectens: Haec tamen necessario sequi debebat propter notissimum illud attractionis genus, quo pronomen demonstrativum praedicati sui positioni accommodatur. Atqui verba non verbum pro mendaciis dici lexica docent. Cf. tamen e nostro El. III, 20, 5. II, 9, 31.

v. 13. Simile hoc non satis suis exemplis interpretes illustraverunt. Neque enim hoc singulare, quod torreri se Veneris flammis poeta dicit, sed quod in ahenum coniectum se fingit. Itaque Venerem magicarum artium antistitem dici puta, quae veluti alterum Aeetam lacerata Propertii viscera coquat. Proxime fortasse Meleagri illud ep. 4, 7 sq. Anth. Br. I, 4.:

Ὀπτᾶσθ' ἐν χάλκει, τύφεσθ' ὑποκαιόμενοι νῦν,
ἄκρος ἐπεὶ ψυχῆς ἐστι μάγειρος Ἔρως.

Neque inepte Luciani Luc. 6. compares, quamvis illic puella, non Venus ipsa tales artes in pectora humana exercere se glorietur: *ἀκριβῆ βλέπει ἀνθρωπόμάγειρον — — ἤδη — τὸν ἄνθρωπον οἶδα ἔγωγε καὶ σφάττειν καὶ δέρειν καὶ κατακόπτειν· ἥδιστα δὲ τῶν σπλάγχνων αὐτῶν καὶ τῆς καρδίας ἅπτομαι.* Cf. praeterea Iacobs. ad Anthol. Gr. T. VI. p. 20. Immaniorem vero etiam metaphoram, cum metonymia coniunctam, simillimam autem huic Horat. habet Epod. XVII, 33 sq.: „tu, donec cinis Iniuriosis aridus ventis ferar, Cales venenis officina Colchicis“ — ipsam Canidiam sic allocutus.

v. 15. Metaphorae fundum quaeras ex El. II, 29, 10. Amorem enim infelicem cum naufragio comparari El. II, 4, 19. II, 14, 29. 30. docuimus. De coronatis vero in felici reditu puppibus praeter locos ab interpretibus congestos cf. Virg. Aen. II, 418. Ovid. Fast. IV, 335. Val. Flacc. I, 301. Hinc demum recte interpretandum esse reor Asclepiad. Anth. Pal. p. 111. V. ep. 169. T. I. p. 131. Iacobs. Anth. Br. I, 215. ep. 20.: *ἡδύ τε ναύταις ἐκ χειμῶνος ἰδεῖν*

εἰαρινὸν στέφανον. Nam quod vulgo interpretantur post hiemem — flores vernos, quid his nautae plus laetentur, quam aut agricolae aut ceteri mortales omnes?

v. 18. sanum. Turpis Gron. lapsus est: saniem, et recte Burmann. sanum usu adiectivorum, neutro genere pro substantivis fungentium interpretatur, collatis ex nostro El. III, 5, 28. II, 26, 36. II, 16, 45.

v. 19. si qua dea es. Haec quoque egregia scriptura Bernhardini Vallae libro debetur. Et ita iam Beroaldus emendandum esse perspexerat, quem ne illud quidem fugit, quod tamen sequentium interpretum multi praeterviderunt, deam Mentem non fictum nunc esse a poeta, sed delubro publico cultum numen. Deinde lepide dictum: dono contra Heins. et Markland., quorum alter condo alter pono coni., Lachmannus tuitus est. Nam ut ille ait, „ipsum se pro donario vel ἀναθήματι donat Bonae Menti.“ Vereor tamen ne hoc vir doctissimus non satis animum adverterit, quo et audacia dicti excusetur, et superior illa metaphora elegantius etiam per hos versus continuetur. Ex naufragiis enim servati simulacra sui in sacella deorum tutelarium EX VOTO dedicare solebant. Cf. Cic. N. D. III, 37. Horat. A. P. 20. Schol. Cruq. ad Hor. Serm. II, 1, 33. et ad Od. I, 5. extr. Iuvenal. XII, 27. Diog. Laert. VI, 59. Plutarch. Mar. p. 486. E. Brisson. de Formul. I, 177. p. 107. Heindf. et Lambin. ad Hor. l. c. Creuzer. ad Cic. N. D. l. c. Differunt enim, quae vulgo cum his confunduntur, tabulae pictae a naufragis circumlatae, de quibus vid. Iuvenal. XIV, 301. Pers. I, 89. Phaedr. Fab. IV, 12, 25. — Hinc accuratius quid vota sint v. 20. intelligas.

v. 20. Exciderant. Livinei. ci. exciderint, receptum a multis, quod tamen ne aptum quidem esset. Primum enim nimis impium esset quod poeta non curaret Iovem, deinde attributum surdus et omne carminis argumentum neglectas iam revera a Iove preces esse significant. Malim equidem: Excidĕrunt. Nam quoties a librariis in systole illa peccatum sit, ad El. III, 11, 65. docuimus. Add. G. I. Voss. ad Valer. Flacc. I, 644. Interpp. ad Virg. Aen. II, 774. III, 48. Heins. ad Ovid. Heroid. VII, 166. Burm. ad Anthol. Lat. I. p. 538. et Hor. Epod. 9, 17. Obbarius ad Hor. l. l. Nec tamen perfectum hic necessarium. Quidni enim antea iam Iovi vota excidisse dicamus, quam amore indigno poeta se abdicavisset? Cf. causam simillimam in eodem verbo El. IV, 7, 15.

Elegia XXV.

Dispositionem elegiae, quam Lachmanni obsequio continuasse cum superiore poenitere se iam Iacobus in annotatione fatetur (p. 211.), nos Q. P. II, 5. p. 97 sq. accuratius explicuimus.

v. 1. Risus eram sunt qui plusquamperf. verbi rideri credant. Rectius Burmannus Lucian. Dial. Mort. XIV, 5. comparat: ταῦτα γέλως ἦν τοῖς ὁρῶσιν. Propertianum esse fateatur, qui El. II, 21, 7. comparet: „Et nunc inter eos tu sermo es.“

v. 3. Quinque annos. De temporis rationibus vid. Q. P. I, 3. p. 16.

v. 6. ab insidiis. Non recte Hand. Tursell. comparat El. IV, 4, 29. Causam potius et modum agendi ea praepositione significari, Q. P. II, 6. p. 133 sq. docuimus. Cuius usus exempla plurima ipse Hand. collegit T. I. p. 27. fin.

v. 9. Recte quidem ipsis liminibus misericordiam et fletum eleganter tribui, interpretes observant. Cf. El. I, 16, 23 sq. II, 31, 10. Hoc tamen addere debebant, tanto magis eam figuram probari, quanto propius verbum lacrimare ad eorum verborum proportionem accedat, quae, ut fluere, non modo de ipsis liquoribus sed de solidis etiam sed irrigatis dicuntur. Cf. comm. ad El. II, 20, 8. Deinde nostris verbis esse propter nostra verba, coll. El. I, 21, 3. III, 24, 2. Q. P. II, 6. p. 136. non infitieris.

v. 13. cupias. Itali cum codd. quibusdam cupies. At recte optativus, in sequentibus tamen verbis ab iisdem Italis exstirpatus, nisi quod v. 11. et 12. restiterunt. Verum primus Lachm. videt. Idem v. 14. A epiphonema esse vidit: Ah, pro quo Beroald. Et reposuit, Burm. At vel Sed, Heins. Has coniecit. At Ah illud nunc etiam Hb. consensum nactum est. Ceterum dicti colorem Callimachus praebuisse videtur Anth. Pal. V, 23. p. 91. Ann. Br. I. p. 464. ep. 15.: ἡ πολιὴ δὲ Λύτλε ἀναμνήσει ταῦτά σε πάντα κόμη. Vid. Iacobs. Animadvv. ad Anth. Gr. VII. p. 272., qui nostri quoque loci non immemor fuit.

v. 17. fatalis genitivum sing. quam quartum plur. casum interpretari malim; nam in diris, quarum propria est natura ut fatales sint, attributum illud paene languet. Contra fatalis pagina efficit, ut carmen hoc quasi quoddam folium Sibyllinum videatur.

Commentarius

in

Sex. Aurel. Propertii Elegiarum

Librum IV.

Elegia I.

Priorem huius carminis partem v. 1—70. prooemium futuro *Αἰτίων* Romanorum volumini destinatum fuisse, Q. P. II, 5. p. 82. coll. III, 2. p. 216. demonstravimus.

v. 1. qua. Libri quam. Scripturam receptam Vossiano Heinsii Lachm. tribuit ed. Lips., quem Iacob. sequitur. At in illius exemplari annotatum non inveni. Utut est, verissime ita primus Douza P. correxit, Broukh. teste. Frustra autem esse, qui promptissimum librariorum lapsum collatis Ovid. Trist. III, 4, 75. Virg. Aen. VI, 96. tamquam ingenuum Propertii foetum defendere audent, Wagneri annotata ad Virg. l. l. declarant.

v. 2. Aenean. Sic scripsi, quia libris haud spernendis Graeca positio commendabatur. Nec tamen Latinam formam, si libri iussissent, in hoc nomine detrectaturum fuisse me, coll. Q. P. II, 6. s. III. p. 164. apparebit.

v. 3. Navali Phoebo. De temporum rationibus vid. Q. P. III, 2. p. 216.

v. 4. Evandri profugae boves. „Eleganter" Kuinoel. pro domino — armenta posita esse asseverat. Non illi nos invidemus eam elegantiam; sed profugas boves vagantes interpretari non dubitamus. Sic Horat. Od. I, 35, 9.: Scythae profugi. Deinde procubuere satis manifesta erroris origine in libris quibusdam exaratum est; et sic Hamb. m. s. Sed verum concubuere, quod ad sententiam quoque multo, quum alterum, rectius. Nam non id agit Propert., ut fessos itinere greges describat, sed ut magnifica illa Palatia, commoda aliquando boum pascua fuisse ob oculos quodammodo legenti proponat. Cf. El. IV, 9, 20.

v. 5. crevere vulgo ad praesens tempus referunt, quo aucta in tantum splendorem temporum conditio signi-

ficetur. Quod falsum esse dativus clamat: fictilibus deis, qui tum iam nusquam erant. Oppositio vero argutissima inter subiectum et praedicatum (sicuti v. 27.) haecce est: Templa nunc ex materia splendida et auro fabricata, tunc — creverunt. Crescere enim, quod natura non arte fit, dicitur. Templa igitur vivae nudaeque rupes erant (cf. v. 7.), aris pro illius temporis simplicitate de cespite factis. Eadem prorsus est sententia, quam proxime nostro Virg. Aen. VIII, 347. sed amplioribus verbis circumscripsit: Hinc ad Tarpeiam sedem et Capitolia ducit, Aurea nunc, olim silvestribus horrida dumis. Similiter Ovid. Fast. I, 245.: Arx mea (Iovis) collis erat. Add. eund. l. l. 201. 203. A. A. I, 105—107.

v. 8. Absurde Beroald. et Passerat. quos deinde Broukh. Knebel. Kuinoel. sequuntur, Tiberim longius tunc a ditione Romana afuisse interpretantur. At ante Phrygem Aeneam nec Roma erat, nec rursus a Capitolio et Palatio, ubi boves errasse modo dixerat Propert., longius Tiberis aberat, quam postea: immo propter Velabra (IV, 2, 7.) propius etiam. At ne quid dubites, omnis contrarii vis in attributo bubus posita est: Hic, ubi nunc fori Romani magnificentia, ibi tunc boves pascebantur. Sic v. h. et quod non dissimile v. 30.: Magnaque pars Tatio rerum erat inter oves. Haec enim ἀντίθετα, in quibus prooemii huius summam versari Q. P. II, 6. p. 161. declaravimus, eximie poetis Romanis placuisse, et alii loci docent et Virg. Aen. VIII, 360 sq.: passimque armenta videbant Romanoque foro et lautis mugire carinis. Ovid. Fast. I, 244.: Tantaque res paucis pascua bubus erat. Tibull. II, 5, 25.: Tunc pascebant herbosa Palatia vaccae. Accuratissime rem nostram refert Ovid. Fast. V, 639.: „Et quem nunc gentes Tiberim noruntque timentque, Tunc etiam bobus despiciendus erat“ — ubi cave ne praetervideas gratissimam Nasoni dicti ambiguitatem. Despicere enim proprie est dictum. Ne tamen hic in voce advena haereas, advena erat nihil est nisi adventabat, unde advenam commune fluviorum e remotioribus montium iugis venientium attributum esse recte Burmann. observat. Sic Ovid. Fast. V, 268.: advena Nilus. ibid. II, 68.: Advena Thybris; item III, 524. Valer. Flacc. I, 588. Neque ego nunc repetitam saepius in eadem elegia sententiam simillimam magnopere probarem, nisi hic iam „cognomina prisca locorum“ docte subindicari a poeta intelligerem. Forum enim Boarium hic tangi, „qua Velabra suo stagnabant flumine“, ipso vocabulo admoneor. Et sic fortasse aliquanto significantius illud: advena.

v. 9. Quo — sustulit. Lachmannus Heinsium secutus ex uno Vatic. reposuit: Qua, ut „sustulit se non ἀορίστως, sed propria temporis perfecti τοῦ τελείου ἐνεστῶτος significatione“ interpretaretur. Quod nos quoque olim probavimus. Nam Broukh. rationem, qui post sustulit exclamationis signo interpunxit, iam ideo ferri non posse, quod Romuli casa post eius tempora non altior facta, sed in memoriam tenuium aliquando Romanarum rerum, sicuti fuerat, religiose conservata esset, acute idem Lachmannus observavit. Iacobus vero quomodo eam quam in commentario posuit sententiam: „Quo nunc gradibus itur ad domum istam Romuli, illic quondam regni continebantur fines“, istam igitur sententiam quomodo ex poetae verbis elicuerit, haud equidem perspicio. Nam si sustulit ita perfectum q. d. praesens esset, ut omni temporis et motus significatione sublata nihil fere vellet nisi „sublimis est“: Qua non Quo scribendum fuisse patet: sin minus, tollendi actum cuius finis et eventus praesenti tempore cerneretur, post illam rem fuisse necesse esset, quae vers. insequenti per imperfectum tamquam anteacta, et nulla cum praesenti relatione, describitur, hacce sententia: Quo (postea) domus Remi se sustulit (quae nunc illic est), ibi olim focus erat cett. Quam perversam esse interpretationem nemo non sentiet. Nec tamen nunc altera ratio placet, quia si sustulit ea, qua Lachm. vult, significatione acciperemus, imperfectum „erat“, ut iuxta superiora imperfecta et velut ἐκ παραλλήλου positum esset, necessario sequeretur. At illa ad tempus longe superius referenda sunt, Ante Phrygem Aeneam. Itaque praeteritum sustulit nunc ἀορίστως positum esse existimo, ut sit narrantis et nova iam asserentis, imperfectum erat describentis: Illic, quo domus Remi se sustulit, i. e. ubi gradibus imposita est, in Palatio, unus focus exinde pro magnis regnis erat. Ceterum hanc fratrum casam, vel supremis reip. temporibus religiose cultam et conservatam (Ovid. Fast. I, 199. III, 182. Senec. Consol. ad Helviam 9.), in Palatio, non, quod malle se Iacobus ait, in Capitolio fuisse, certo est certius; siquidem Fabius Pictor ap. Dionys. Hal. I, 79.: αὐτοῖς ἦν δίαιτα αὐτουργὸς ἐν ὄρεσι τὰ πολλὰ πηξαμένοις διὰ ξύλων καὶ καλάμων σκηνὰς αὐτοφόρους· ὧν ἔτι καὶ εἰς ἐμὲ ἦν τις ἐκ τοῦ Παλαντίου ἐπὶ τῆς πρὸς τὸν ἱππόδρομον στρεφούσης λαγόνος, Ῥωμύλου λεγομένη, ἣν φυλάσσουσιν ἱερὰν, οἷς τούτων ἐπιμελές. Accuratius etiam Plutarch. Romul. 20., unde primus Lachm. qui gradus intelligendi essent docuit: Ὤικει δὲ — Ῥώμυλος — παρὰ τοὺς λεγομένους βαθμοὺς καλῆς ἀκτῆς·

οὗτοι δέ εἰσι περὶ τὴν εἰς τον ἱππόδρομον τὸν μέγαν ἐκ Παλαντίου καταβασιν. Hoc sine dubio tugurium Faustuli est, gradus vero illi, quae scalae Caii nominabantur, uti apud Solinum est c. 2. ex pulchra Gerhardi emendatione: Quadrata Roma „incipit a silva, quae est in area Apollinis et ad supercilium scalarum Caii (vulgo Caci) habet terminum: ubi tugurium Faustuli. Ibi Romulus mansitavit.“ Quodsi diversa Arellius Fuscus (Senec. Controv. II. c. 9.), Vitruvius II, 1, 5. Valer. Max. IV, 4, 5. fin. tradiderunt, simulacrum fortasse verae domus in Capitolio extructum fuisse coniiciendum est, sicuti in ficu Ruminali accidisse compertum habemus. Hic vero, ubi geminorum domicilium haud dubie significatur, quin Palatium cum initiis Romae Quadratae, omnis antiquitatis consensu Ramnibus et Romulo cum fratre tamquam propria sedes tributum, intelligendum sit, ambigi nequaquam potest. Cf. Liv. I, 33. Dion. Hal. II, 50. Tacit. Annall. XII, 25. Niebuhr. H. R. I. p. 300. (ed. II.) 322 sqq. (ed. III.). De diis Romm. patriis II, 20. p. 115. Mueller. ad Fest. s. v. Supplem. Ann. p. 399. eund. de Etrusce. III, 6, 7. T. II. p. 145. Bunsen. Descr. Rom. III. p. 81 sqq. Ambrosch. Quaestt. Romm. p. 88. s. fin. p. 89. Sic demum, quid rei sit quod focus maxima regna dicatur, recte intelligi poterit. Neque enim cum Barthio aut Kuinoelio regna in universum pro possessione dicta interpreter, quod hic, ubi de veris regibus agitur, valde langueret, nec Passeratio „Remi domum“ urbem Romani dici quisquam concedat, nec denique, quod Iacobus significare videtur, unus focus pro Palatio (vel adeo Capitolio), in quo ille focus fuerit, positus esse potest. Immo revera iuvenilium regulorum ditio omnis, quae propter regiam inter familiares auctoritatem, regiam originem, futuram denique regiam dignitatem, pulcherrimo ἀναχρονισμῷ iam tum regnum dicitur, unius tugurii, non omnis Palatii finibus continebatur. Nam tum, cum communem adhuc focum gemelli colebant, ne condita quidem Roma fuit. Cf. Liv. Dionys. Solin. ll. cc. Plutarch. Romul. 9. 10.

v. 11. 12. Praetextum senatum a potiori senatorum parte dictum esse iam Ferrar. de Re Vest. II, 4. p. 141. perspexit. In eo tamen neminem haesisse iure mireris, quod praetextum senatum nove Propert. appellat, quem praetextatum proprie dicere debebat, quamvis illam audaciam aliter excusari non posse constet, nisi ea figura, quam El. III, 19, 12. illustravimus. Simillima vero loci Ovidiani ratio Metam. VII, 151.: draco custos arboris aureae, ubi frustra Heins. et alii arietis aurei coniecerunt. Nam ut

hic a togis praetextis, honorum insigni, senatus praetextus, ita illic a vellere aureo arbor aurea. De metonymia deinde versus brevioris cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 152. comm. ad El. IV, 7, 64.

v. 13. Isidorus Origg. XVIII, 4, 1. p. 563. Lind. hunc versum sic scriptum exhibet: Buccina iam priscos cogebat ad arma Quirites. Sed memoria lapsum, ut assolet, episcopum Hispalensem non modo auctoris nomen falso ab illo citatum — Persio enim versum tribuit — sed etiam numerus pessumdatus arguit, cum codd. meliorls notae: Buccina c. priscos ad arma Q. illic exhibeant.

v. 14. erat. Vulgo correxerant erant. Illud recte Lachm. restituit. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 19. extr. p. 139.

v. 18. pendula turba. Interpretes ad unum omnes adiectivum sensu ad animum translato eodem modo dictum interpretantur, quo „pendens ab ore" dicatur. At pendulus apud probos quidem auctores, cum de animo dicitur, nihil est nisi dubius, incertus, ac ne sic quidem nisi animo vel spe similibusve vocibus additis invenitur. Itaque nisi quid a librariis turbatum est, pendulus sensu proprio accipiendum, intelligendae autem oscillationes, quibus antiqui deos agrestes placare solebant. In his enim ludis sacris homines ipsos funibus se iactasse, priusquam personas et simulacra sui in arboribus suspendissent, plurimi auctores sunt, ut Hygin. fabul. CXXX. Astr. II, 4. Fest. s. v. Philargyr. et Probus ad Virg. Georg. II, 389. prae ceteris vero Serv. ad Virg. l. l. cum cod. G. Lion., qui idem esse videtur atque Glossator ms. Ge. I. quem Muncker. citat ad Hygin. l. l. Item Schol. German. ab eodem Munckero allatus. Adde Varron. ap. Serv. ad Virg. Aen. XII, 603. Isidor. Origg. XX, 14, 11. Mythogr. Maii I, 19. Serv. ad Aen. VI, 741. Recte autem turbam sic e funibus suspensam pendulam dici, nisi res ipsa doceat, Tertullian. declarare possit, qui in simili re eodem vocabulo utitur (de Pall. I. extr.): „Arietem nemini adhuc libratum dicitur Carthago prima omnium armasse in oscillum penduli impetus." Nec verbum tremere ab hac re alienum est, quo fortasse exoletum illud cillere Propert. exprimere voluit. Hinc enim ductam vocem oscillum grammatici praedicant. Nam pendentes vento moveri (et purgari aeris afflatu) oscillantes volunt. Cf. Hygin. Astron. Serv. ll. cc.

v. 19. 20. Distichum varie a VV. DD. vexatum. Inter quos I. H. Vossius annuave pro annuaque reponens suam nobis etiam aliquando sententiam probavit. At accuratius introspicienti recte iam Puccius ex superioribus verss. (Nulli

cura fuit) supplendum hic esse: „cura fuit“ sensisse videtur. Quo de genere dicendi cf. Heindf. ad Hor. Sat. I, 1, 2. nos comm. ad El. I, 16, 11. Unde ne Lachmanni quidem coniectura: „annua at“ opus esse apparebit. Versu deinde breviori curto optimis membranis tutum recte habet. Nam curvo, quod reliqui tuentur, si in equi staturam explicetur, putidam continere elegantiam, vere Iacobus admonet, sin de hostia ad immolandum incurvata, erroris arguamus Propertium, qualem patriarum religionum expertissimum poetam commisisse vix crediderim. Nam Paliliorum festo hostiam non mactatam esse, ut dies sanguine purus esset, Plutarchus auctor est Romul. 12. Atque hactenus in refutandis adversariorum opinionibus bene rem gessit Iacobus, qui hoc quoque recte, antiquam morum simplicitatem cum praesenti splendore, qualis profecto curti equi immolatio non esset, comparari negat. Sed quam deinde ipse ingressus est interpretandi viam, ea tantum a vero fine aberravit, quantum superiorum interpretum nemo. „Tantum enim agrorum illo tempore lustratum dici censet, quanto curto nunc quis caballo circumvectètur. — Terminalia enim VI. ab Urbe lapide facta esse coll. Ov. Fast. II, 679.“ At quis unquam caballo vectum diis ambarvalia sacrificia tulisse vel fando audivit? Ne de duplici errore dicas, quo vernas arvorum lustrationes iam Palilibus, illa vero cum Terminalibus confudit. Quae tamen tria sacrorum genera satis diversa esse in dissertatione „De ambarvalibus et amburbialibus sacrificiis“ Horreo Philol. ann. 1839. V, 3. p. 413 sqq. inserta exposuimus. At hoc certe non ignorare debebat, in Palilibus non pro segete et frumento, sed pro solius pecoris et pastorum salute sacrificatum esse. Cf. Ovid. Fast. IV, 730. VI, 257. Varr. R. R. II, 11. L. L. V (VI. p. 198. Sp.). Plin. N. H. XVIII, 26. Dion. Hal. I, 88. Tibull. II, 5, 87 sqq. Fest. s. v. Pales. Parilia. Columell. VII, 3, 11. Pers. I, 27. I. H. Voss. ad Virg. Ge. III, 1. p. 514. Nihil de caballo plus quam forti dicam, quo si per terminos ab Urbe ad VI. lapidem remotos sacrificaturum circumvectum esse Iacobo credas, uno is die plus XXXVI. milia perfecisset sequeretur. At tu vid. dissertat. l. p. 421. coll. Strabon. V. p. 230. Ovid. Fast. II, 679. Dion. Hal. II, 74. Plutarch. Num. 16. — Curtum igitur equum nisi equum Octobrem intelligi non posse certum est, qui tamen, cum non Palilibus ipsis, sed sex integris mensibus ante immolaretur: cave ne usum tamquam recentiorem antiquis sacris sanguinis expertibus opponi hoc loco, Beroaldo eiusque sectae credas. Primum enim ritum illum, quo equi in Campo caesi cauda in Regiam deferebatur, ut sanguis in

focum i. e. aram Vestae destillaret (cf. Fest. s. v. October equus p. 186. Lindem. Plutarch. Q. R. 97. Ovid. Fast. IV, 730. De diis Romm. patriis p. 79.), perantiquum fuisse rei ipsius ratio docet. Tum in Palilibus per hoc certe sacrum profusum esse sanguinem nemo sanus dicat. Immo servatus per sex menses cruor et igne, ut videtur, duratus, suffiminis tantum loco Palilibus erat. Quibus omnibus argumentis oppositionem antiqui et praesentis temporis intra unius huius distichi ambitum frustra quaeri apparet. Immo externis religionibus magis in dies gliscentibus (v. 17.) haec Paliliorum descriptio opponitur, quod sacrum etiamnum ab agricolis servatum, veluti meliorum temporum residuum in exemplum pristinae simplicitatis profertur. Hoc igitur Propertius: Non illo tempore externos deos quaerebant, sed festa talia celebrabant, qualia nunc annua Palilia quibus equi suffimine et foeno accenso lustra conduntur. Eadem prorsus ratio est v. 25., ubi Lupercaliorum ritus non opponuntur „setosis aratorum verberibus", sed tamquam monumentum pristini cultus commendantur. — Ceterum et hic et El. IV, 4, 73. non sine libris Palilia scripsimus, non Parilia. Haec enim forma grammaticis deberi videtur, qui a pariendo nomen derivarent. Cf. Paull. Diac. s. v. Mueller. p. 222. Mar. Victor. p. 2470. P. Turneb. Advv. XVI, 22. Sed certior Varronis (L. L. VI, 15. p. 79. Mueller.), Ovidii, Plinii auctoritas, ut si quando Parilia pronuntiatum fuerit (nam Dionys. *Παρίλια* — Plutarch. *Παλήλια* ait), eadem proportione litteras mutatas crediderim, qua e *κεφαλαλγία* Graeci *κεφαλαργία* efficerent. Cf. Schaefer. ad Gregor. Cor. p. 158. C. Schneider. de Elementis L. L. p. 299.

v. 20. lustra ab interpretum vulgo propter Urbis lustrationem dici, annotatur. At multo generalius de omnibus expiationibus, quibus homines diis se purgant, sive id aqua fit, sive igne, sive aere, sive sacrificiis, vocem eam usu venire dissertatione supra citata p. 416 sqq. demonstravimus.

v. 22. Sacra quae hic commemorantur, non deorum imagines, sed instrumenta obscuris sacrorum caerimoniis destinata fuisse docuimus De diis patriis II, 11. 12. p. 87. p. 91.

v. 23. Parva — compita, quae maioribus opposita vulgo praedicabant, crassa sic Minerva explicata iure respuit Lachm. Ipse Pauca reposuit. Ego, si quid mutandum esset, mallem Rara. Sed hoc ipsum interpretatione, non emendatione efficiendum erat. Nam numerandi et metiendi adiectiva saepe ita a veteribus confunduntur, ut aut singularis pro plurali positus (vel materiae nomen partes singulas complexum) cum numero coniungatur (quibus de generibus

diversis accuratius ad El. II, 17, 4. diximus), aut, quod multo tamen rarius contingit, ut quae numerari debebant metiamur. Sic ubi totus (numero plurali) pro omnes ponitur, ut Ovid. Trist. V, 1, 65.: Da veniam potius, vel totos tolle libellos i. e. omnes libellos, libellos in universum. Virg. Aen. I, 185.: tota armenta. Martial. II, 68, 4.: toti dii. Cf. comm. ad El. II, 29, 13. Eodem igitur modo hic compita parva et ap. Tibull. I, 1, 2.: iugera magna recte tuearis. Nam magna millia Valer. Flacc. I, 274. et magnae legiones Hor. Sat. I, 6, 4. paullo diversa sunt. Contra prorsus ut nostro loco Tibull. I, 1, 3.: exiguum pecus, pro exiguo pecoris numero. Huc etiam pertinet nota dictio: longa dies pro longa dierum serie i. e. longo tempore. Cf. Vulp. et Dissen. ad Tibull. I, 4, 17. Iuvenal. Sat. X, 265. Plaut. Epid. IV, 1, 17. Hinc firmatur Ovid. Metam. IV, 30.: longo — foramine buxus, ab Heinsio iniuria vexatus. Est enim eadem tibia, quae XII, 158.: multifori buxi dicitur, i. e. longa foraminum serie instructa. Sic noster El. II, 13, 14.: longa imago pro longa imaginum serie, quod nescio an etiam audacius illo; et Pompeii dictum: longi subsellii iudicatio ap. Cic. Ep. ad Fam. III, 9.; quod recte de longo subselliorum in iudiciis ordine interpretantur. Ceterum de Compitalibus et de Laribus, in quorum honorem ille dies celebrabatur, non raro illis cum aliis festis aliisque diis confusis vid. De diis patr. I, 17. p. 41 sqq.

v. 29. Tuscorum ducem galeritum a sacerdotali pileo docte dici Iacob. coniicit. Et Lucumones summis sacerdotum muneribus inter populares functos esse satis constat. Cf. Niebuhr. H. R. I. p. 137. (p. 124. ed. II.) C. O. Mueller. de Etruscis II, 2, 9. T. I. p. 375 sqq. Goettling. de Republ. Rom. §. 24. p. 34. n. 7. Fortasse tamen rectius — est certe simplicius — galero illo praetorem Etruscum more rustico usum esse dicas. Hoc enim capitis tegumentum e pellibus lupinis consutum (Virg. Aen. VII, 688.) vulgo etiam Propertii tempore agrestes gestasse Viscontius docet Mus. Pio-Cl. T. V. p. 168. ed. Gallic. Cf. Interpp. Sueton. Ner. 26. Et sic rectius contrarii vis elucescit, quae in agresti habitu praetoris summi et regis inest, sicuti cum v. 30. Tatius Sabinorum imperator inter oves rem gessisse dicitur. Neque enim nunc ut olim res pro opibus dictum credo, quod praepositio inter vetat. Quis enim res mihi inter oves est pro hoc dicat: divitiae ovibus constant? Itaque res — negotium interpretor. Inter oves igitur degebat, ius dicebat, imperia dabat. Porro Graecam nominis formam Lycmon tanto magis vel hic vel El. IV, 2, 51. tangere ve-

ritus sum, quia Propertium alias quoque earum positionum amantissimum non modo Semigraecos, uti erant, et Lydia oriundos Tuscos credidisse, sed Graecos fortasse auctores secutum esse veri simile est. Quid? quod idem Cures nomen vere Italum et si ullum Sabinum, ad Graecam proportionem declinavit El. IV, 4, 9. Add. El. IV, 10, 7. Q. P. II, 6. s. III. p. 163. Nomen autem proprium, non honoris vocabulum (uti Mueller. censet, de Etrusc. II, 2, 3. p. 363.) Lycmonem habitum esse a Propertio, Tatius et Romulus iuxta positi declarant.

v. 31. Titiens. Sic libri mss. omnes aut exhibent aut fuisse in antiquiore exemplari ipsis erroribus testificantur. Contra quorum consensum in vocabulo antiquissimo et subobscuro, et si qua Varroni fides Tusco, mutare quidquam religio fuit. Nam Liv. I, 13. Fest. s. v. p. 366. Muell. s. v. Sex Vestae p. 344. s. v. Turmam. Paul. Diac. s. v. Sex V. p. 349. Cic. de Rep. II, 20. Ovid. Fast. III, 131. Titienses, Varro L. L. V, 55. p. 22. Muell. Tatienses, nemo Tities aut Taties eos appellat. Nam unde gen. plur. Titium ducendus sit (Varro L. L. V, 81.), plus quam dubium est. Hoc igitur nomen, quod postea Niebuhrius apud nos aeternitate donavit, Heinsii est inventum, primum ni fallor a Broukh. receptum, quamquam Tacies iam in Ven. pr. et apud Passerat. legitur. At ne hoc quidem praetereundum esse censeo, quod apud Cic. l. l. in uno qui extat libro ms. genitivus plural, non vulgari Latinae declinationis more, sed omisso i — Titiensum scriptus exhibetur. Ceterum a singulari collectivo Titiens ad pluralia transire Propertium non mireris. — coloni Luceres docte dicuntur, non quo magis reliquis tribubus agriculturae operam dederint, quod interpretes censent, sed quia a Lucumone ex Etruria Romam deducti esse perhibentur. Cf. El. IV, 2, 49 sqq. Paul. Diac. s. v. Lucomedi p. 120. Muell. Iunius Gracchanus ap. Varr. L. L. V, 55. Cic. de Rep. II, 8. Niebuhr. H. R. L p. 305. ed. II. Goettling. de Republ. Rom. p. 55. Memorabilis autem codd. quorundam proborum discrepantia: soloni, quae miraculi instar cum altero errore ap. Dionys. Hal. II, 37. convenit, ubi de Lucumone Lucertum duce: ἦκε δὲ αὐτῷ Τυῤῥηνῶν ἐπικουρίαν ἱκανὴν ἐκ Σολωνίου πόλεως — Λοκόμων κ. τ. λ. Casaubon. Ποπλωνίου coni. Sed Ὀλσωνίου aut Οὐολσωνίου ut nos, ita diu ante nos Adam. Histor. Volsin. L. II. T. I. p. 170. et C. O. Muellerus de Etrusc. Prooem. II, 15. T. I. p. 116. corrigendum esse viderunt.

v. 32. Sententiarum nexus hic est: Ab his agrestibus ducibus (hinc) tanti populi tribus ortae: Ab his initiis tenui-

bus triumphi ducti. Et erant, quae debellari possent (Quippe), propinquae civitates, quae nunc vix comparent, tunc hostes haud spernendi. Hinc iam sequitur, vers. seq. non id solum dictum esse posse, remotiores olim quam nunc ab Urbe Bovillas fuisse. Nec tamen aliud quid interpretes (Vulp. Burm. all.) efficiunt, quamvis de singulis inter se invicem dissidentes. Nec multum Lachm. coniectura ceteroquin satis ingeniosa proficit: parva eminus. Nam quod v. 36. tribus aliis iam oppidis commemoratis de Fidenis dicere licebat, hic in limine, ubi iustae causae triumphi referendae erant, minime satis est. Magis placet Passeratii inventum: parvae minus, quod si de codd. eius satis compertum haberem, non dubitarem recipere. „Suburbanae enim nunc Bovillae, tunc non tam parvae erant, quam ipsa Urbs.“ Quo cum non solum Bovillarum opes extollantur, sed Romanae etiam minuantur, plane illud in rem est. Interim nos interpungendo subvenimus, ut maxima turba utriusque versus praedicatum esset, reliqua sic interpretati: Bovillae, quae nunc minus quam parva urbs (i. e. ne parva quidem urbs), nec nisi vicus suburbanus est, et Gabii qui omnino nulli sunt, tunc maxima turba fuerunt. Nam de formula minus (neutr. gen.) quam homo, vel homine, minus quam privatus cf. Burm. Quintil. Declamat. XII, 18. p. 260. Fateor tamen, et haec et alia (velut v. 34.) in iuvenili hoc carmine et limam postea subituro melius dici potuisse a Propertio. Nam sic quoque scrupulus restat, quod primum suburbanae Bovillae (ut Urbs κατ' ἐξοχήν Roma apud animum intelligatur), deinde ipsae urbs dicantur. Unde dubitare subit, an forte rectius sic verba struas: Bovillae, nunc aucta Roma (parva minus Urbe) vicus suburbanus, et velut ipsius Urbis particula annexa, tunc maxima turba fuit.

v. 36. Vulgo in editiones receptum erat: „Hac, ubi Fidenas longe erat ire, via“, quod de τοπογραφίᾳ securi sic accipiebant, quasi Alba in ea via fuerit, quae Roma Fidenas ducebat. Itaque Lachm. e cod. reduxit: Hac, ubi Fidenas longe erat ire vias — sic interpretatus: „Hac ubi Fidenas vias ire, longe ire erat.“ Fidenas enim pro adiectivo habebat. Quod, quamvis Virg. Aen. VII, 773. falso huc referri Wagnerus ad e. l. coll. Sil. XV, 90. Tacit. Annall. IV, 62. doceat, in Propertio, modo cetera addicerent, haud equidem improbarem. At mirum in modum perplexa sic efficitur oratio. Iacobo igitur Puccii scriptura (longa — via) et auctoritate et simplicitate praestare videbatur. At nimis correcturam sapit illud longa pro longe repositum, quod nostri librarii nisi invenissent, profecto non obtrusissent Pro-

pertio, et eadem sententia efficietur recepta ea, in quam aliud agens et veluti caecus Scaliger inciderat, scriptura, ita tamen, si Fidenas non pro accus. plur. nominis substantivi, sed pro nominativo singul. adiectivi habeas: Hac, ubi via Fidenas, longe ire erat. „Ire erat" pro „iter erat" vel „via erat" dictum Lucret. habet VI, 698.: „Hac ire fatendum est — mari" i. e. hac iter esse mari, fatendum est. Similia vid. Ter. He. I, 2, 18. Adelph. V, 3, 42. Plaut. Truc. II, 6, 20. Virg. Ecl. X, 46. Heins. ad Ovid. A. A. II, 28. Paullo aliter, cum est pro licet ponitur, quo de usu vid. Interpp. ad El. II, 10, 21. Iam unde librarii eodem quo Lachm. errore ducti simulque pariter cadentium in hemistichiis vocabulorum sonitum secuti vias pro via scripserint, satis apparet.

v. 38. non pudet. Vetus error est: nunc pudet; sic enim ante Aldinas iam Beroaldum legisse eius interpretatio declarat, cum in ordine versuum alia Italorum correctio: non putat exhibeatur. Sed recte Lachm. hoc carmine mores sui temporis reprehendere Propertium voluisse negat. Cf. enim quae de eius et consilio et compositione Q. P. II, 6. p. 161. II, 5. p. 82. diximus. Unde fortasse codd. quorundam scriptura: non putet e. l., si interrogandi figura positam ducas, habere videatur, quo se commendet. Sed simplicius utique et ob eam causam praeferendum: non pudet. Nam Burmanni quoque coniectura: num pudet *καχοζήλου* vitio laborat. Sententiae vero cum sequentibus nexum recte Iacobus explicat: „Non pudet duro lupae lacte nutritos esse bellicosos Romanos, belloque potentiam adeptos. Huc, pergit, in tam bello valentem terram Troia, ipsa potentiorum hostium praeda facta, melius confugit."

v. 40. vecta. Broukh. male ducta, nisi quod peior etiam coniecturae causa, cum nescio quam columbam Argoam vel Veneream ducem eius navis sibi fingeret. At avem pro auspicio dici, vel pueris notum.

v. 41. illam, i. e. puppim Dardanam, qua de metonymia elegantissima cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 152. Non intellexit Lachm. temere illos corrigens. Quamquam vix melius Iacobus, qui pronomen illam ad Troiam refert. Nam Troiam non laesam esse ab equo, nullo modo Propertius dicere potuit. Immo deiecta est, quae (v. 47.) resurgere posset. Nec minus audacter deinde venter apertus equi pro insidiis ventre illo conditis, fatalique equi Duratii partu, immo pro ipsa heroum Graecarum manu positus. Cf. Quaestt. l. l. p. 155. Sed adiutus est Prop. usu iam ab aliis poetis recepto, quo venter vel uterus pro partu atque foetu dici solebat, ut Horat. Epod. XVII, 50. ubi

vid. Schol. Cruq. Ovid. Metam. VI, 192. VIII, 478. Adiutus praeterea est participii perf. usu, quem ad El. II, 7, 6. exposuimus.

v. 43. trepidus. Aldinae, nescio unde, tremulus invexerunt, quod inter discrepantias librorum omisi. Unus Dresd. assentiri videtur. Sed optime trepidus; alterum a librariis oculis occupatum e vers. 49. huc venisse videtur.

v. 45. De duplici metonymia egimus Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 151. Comm. ad El. I, 6, 19.

v. 46. Iacobus post Venus signo deleto in fine v. 47. interpunxit. Falso. Nam v. 46. ab Aenea et Romulo per Decios et Brutos ad ipsa Caesaris tempora delapsum esse poetam constat. Iulia enim gens Victricem illam Venerem colebat (Sueton. Caes. 5. Cic. Ep. ad Famil. VIII, 15, 2. Schol. Gronov. Cic. Marcell. p. 419. Klausen. Aen. II. p. 731 sqq. p. 1068 sqq.), quam in nummis Iulii exprimebant (Vaillant. Iulia 2. 30. 31. 32. 44. 45. 62. Cossutia 2.), quam tesserae loco apud Pharsalum Caesar dictator diviserat, quam denique annuli signum ipse gestabat. Cf. Dio Cass. XLIII, 43. Sueton. Caes. 49. Appian. B. C. II, 151. Serv. Virg. Aen. VII, 637. Ioann. Labus. Praefat. interpret. Gall. Mus. Claramont. p. XXV. tab. A. et B. coll. Mus. Pio-Cl. T. II. tab. XXII. Itaque si portans ad Venerem referremus, non solum divisus a pentametro suo versus herous et cum praecedenti disticho conglutinatus compositionem turbaret, sed praeruptior etiam v. 48. ad tempora fabulosa reditus, et Iuli allocutio videretur. Praeterea Caesaris aetate non resurgebat Troia, sed diu resurrexerat. Quanto igitur rectius, si terram, quae resurgentis Troiae arma ferebat, i. e. Latium et Troicam Romam (coll. v. 87. Virg. Aen. I, 206.), propter id ipsum felicem deorum Troianorum heredem et custodem praedicari existimamus. Neque illud de nihilo est, quod Iulum non patrem Aeneam Prop. appellat. Illo enim nomine Penates Troianos, quos P. R. suos fecit, patriosque deos eosdem fuisse significat, quos Iulia gens proprios privatosque coleret. Hos igitur ipsos deos genti Iuliae imperium populi Romani fatis et iure debitum testificari ait, quod Caesar vera regiae stirpis Troianae progenies et heres iniuria ereptum Iuli nepotibus recuperasset potius, quam fortuna et armis primus occupasset. Cf. enim quae de hoc loco in libello de diis patriis II, 9. p. 84 sqq. coll. I, 18. p. 44. et 20 sqq. egimus.

v. 49. A Sibylla Romulum et Remum oracula et auspicia petiisse unus Propertius indicat, quidquid ad Claudian.

bell. Gildon. 29. provocant. Quin hoc quoque nos aliquando novum et ex historiis reconditis haustum putabamus, coloniam a Remo in Aventinum esse deductam. Piare enim verbum in caerimoniis proprium (cf. Interpp. ad El. III, 10, 19.) ad lustrationem et inaugurationem, quam in condendis urbibus nunquam veteres omiserunt, referendum esse ducebamus. Cf. Liv. I, 7. V, 52. Cic. Rep. II, 3. 9. Goettling. de Rep. Rom. p. 202. Nam quod vulgo rura ob Remum caesum expiata hic significari opinantur: abominanda potius in hoc loco auspicatissimo caedis fraternae est commemoratio. Neque enim piaculum sceleris pignus aeternae imperii felicitatis dici potuit. At aliam viam patefactam videmus Flori loco (I, 1.) de quo vel magnus Salmasius desperaverat: Gemini erant: uter auspicaretur et regeret, adhibuere piacula. Auspicii igitur capiendi causa antea rura piaverunt. Quod fieri solitum ut alibi legisse me non memini, ita religionum ratio paene postulat. Hinc si a Romulo Palatinum, Aventinum a Remo occupatum recorderis, Aventino fortasse ablativum a nomine montis ductum, quam attributum Remi esse malis. Neque ego faciliorem etiam sic intellectu orationem futuram esse diffiteor. At alterum cum doctius, tum magis Propertianum. Nam et suum cuique nomini epitheton tribuere (Q. P. II, 6. s. IV. p. 174.) et ὁμοιόπτωτα imprimis per pentametrorum πενθημιμερεῖς disponere noster amat. Aventinum autem Remum non tantum propter unum hoc augurium, uti interpretes censent, dixerit, quantum quod is mons tamquam proprius Remo in veteribus fabulis assignari solet. Sic enim sine dubio existimabant, qui Remoriam non uti Dionys. Hal. I, 85. (coll. Steph. Byz. v. Ῥεμουρία) XXX. stadiis ab Urbe, sed in ipso Aventino monte sitam tradiderunt (Dion. l. l. 86. Plut. Rom. c. 9.). Alii alia commenti sunt. Cf. Enn. ap. Cic. Div. I, 48. Paull. Diac. v. Remurinus ager p. 276. Mueller. Supplem. Ann. p. 404. Niebuhr. H. R. I. pp. 211. 228. Neque ego nunc dubito, quin ut Romulus post mortem inter deos receptus Quirinus dictus est, sic Remi fratris diva anima Aventini nomine culta sit. Ita similes de hoc quisquis fuit deo fabulae traduntur. Vid. Augustin. Civ. D. XVIII, 21. Haec igitur versuum horum sententia: Romam felicia fata manent, si vere Sibylla gemellos reges et auspicari et condere Urbem iussit. Cf. El. IV, 6, 43. Quodsi amplius quaeras cur solum Remum hic poeta commemoret, non habeo quo respondeam, nisi quod v. 9. item casam Remi Propertius dicit, quam ceteri omnes scriptores Romuli appellant, tum II, 1, 22. Remi non Romuli regna initia P. R. et II, 6, 80.

signa Remi aquilas Romanas. Adde Interpp. ad Catull. LVIII, 5. Iuvenal. Sat. X, 73.

v. 52. De usu praepositionis ad Propertiano cf. Q. P. II, 6. p. 134. Deinde v. 54. hic cinis elegantissime de reliquiis gentis Troianae. Q. P. l. l. p. 152. Item disponere v. 57. recte Lachm. scripturae Mentel. antea probatae: describere praetulit. Poeta enim quae describit, ipse efficere videtur. Cf. Q. P. p. 157.

v. 59. Sed tamen. Beck. Comm. Soc. Phil. Lips. Vol. I. P. II. p. 148. maluit Et tamen. Falso; egregie enim illae particulae coniunctae concedi simul superiora et ex parte corrigi significant. Hoc igitur ait: Canam res Romae gestas (v. 57.), quamquam vix vires suppetunt (v. 58.) — Sed tamen — si quid virium est (quodcunque) — huic operi dabo. Quo de usu cf. Heindf. ad Hor. Sat. I, 1, 27. Heusing. ad Cic. Off. I, 1, 3. — Deinde pro e pectore ed. Gotting. 1762. exhibet in p. contra omnes libros et ipsius Prop. voluntatem. Varias enim huius metaphorae formas ad El. III, 1. init. III, 3. fin. IV, 6, 8. illustravimus. Haec tamen huius loci propria est virtus, quod ex ipso poetae pectore flumen illud carminis emanare fingitur. Elegantiae eius fundus fortasse ipse Homerus est, cuius dicto de Oceano (Il. φ'. 195.) ad naturam principis poetarum significandam praeclare abusus est Dionys. Hal. Vol. V. p. 187. Reisk.: *Ὅμηρος — ἐξ οὗ πως πάντες ποταμοὶ καὶ πᾶσα θάλασσα καὶ πᾶσαι κρῆναι.* Nam et Quintil. idem simile inde expressit (X, 1, 46.) et auctor epigr. *ἀδ.* DXIX. Ann. Br. T. III. p. 260. (IV. p. 227. Iacobs.): *Ὁμηρικὸν ὅσ' ἀπὸ ῥεῦμα Ἑσπασας οἰκείοις Στησίχορ' ἐν καμάτοις.* Quin etiam Ovid. Amm. III, 9, 26. partem hinc translationis duxit: Adiice Maeoniden, a quo ceu fonte perenni Vatum Pieriis ora rigantur aquis. Propius tamen ad nostri loci indolem accedit eiusd. Ep. ex Pont. II, 5, 21 sqq.: Ingenioque meo, vena quod paupere manat, Plaudis et e rivo flumina magna facis. Quem locum si cum his Prop. versibus comparatum ad Ep. ex Pont. IV, 8, 65. adhibueris, et expressum ab illo nostrum consenties, nec nobiscum sic emendare dubitabis:

Si quid adhuc igitur rivi (vulgo vivi), *Germanice, nostro*
Restat in ingenio, serviet omne tibi.

Paullo aliter sed ex eodem simili emendandus Trist. V, 11, 28. de votis suis et carminibus:

Optat idem populus, sed ut in mare flumina vastum,
Hic solet exiguae currere rivus aquae.

Vulgo Sic pro Hic, metaphora trunca et absurda similis

redditione. Huc etiam referendum, quamvis ex parte El. IV, 6, 8. propius, cum vini vel nectaris instar miscere carmina poeta dicitur, Oppian. IV, 9.: *Μοῦσαί μοι πόρον, ὑμετέραισι Κίρνασθαι γλυκὺ νᾶμα καὶ οὔασι καὶ πραπίδεσσιν.* Quae omnia longe et audacia et elegantia Pindarus superat, qui cum Isthm. VI, 2. 3. Oppiano exemplum praeivisse videatur: *κρητῆρα Μουσαίων, μελέων κίρναμεν,* Ol. VI, 155. (91.) ipsum poetam crateram carminum appellat: *ἐσσὶ γὰρ ἄγγελος ὀρθός, ἡνκόμων σκυτάλα Μοισᾶν γλυκὺς κρητὴρ ἀγαφθέγκτων ἀοιδᾶν.*

v. 61 sq. Mollem Callimachi versum prae ruditate Enniani praeconii a Propertio expeti, nemo coll. Q. P. II, 6. s. IV. p. 176 sq. II, 7. p. 200 sqq. negaverit. Sed quomodo allegoria, qua poeta v. imprimis 62. usus est, cum hac sententia conveniat, difficilior est quaestio. Primum enim inspicienti propter patronum Propertii Bacchum versu breviori invocatum alterum deum Ennio propitium ex adverso desiderari, eidemque poetae aliud coronamentum folio hederaceo asperius tribuendum esse videatur. Atque hanc coronam Passerat. Barth. Kuinoel. invenerant lauream propter folia rigentia hispidasque baccas, deum vero Apollinem. At hoc sine dubio falsum, sola duritie satis significari eam frondem, quam ipse El. IV, 6, 10. mollem dicit sibique ut „iter molliat" expetit. Deinde nullo alio loco Bacchum et Apollinem eo discrimine sibi oppositos invenies, ut fortioris hic et durioris poematis, ille tenuioris auctor habeatur. Immo ipse Propertius, ut supra laurum sibi poscit, sic ambos deos sibi in elegia propitios esse ait. Cf. El. III, 2, 7. IV, 6, 76. Contra ubi hedera Bacchi aliis poetarum honoribus opponitur, dramatica poesis significari solet, velut apud Antipatr. Sidon. ep. XXV. Ann. Br. II. p. 115. Anthol. Gr. II. p. 102. Anthol. Pal. p. 290. et apud Simmiam Theban. ep. 1. Ann. Br. I. p. 168. Anthol. Gr. I. p. 100. Itaque duram quidem et hirsutam coronam eam esse vult, quae durum poesis genus durumque versum deceat. Atqui versuum naturam cum argumento carminum tam arte coniunctam esse veteres pulchri et venusti aestimatores callidi senserunt, ut difficilis et ingrata materia ipsa quodammodo durum versum parare sibi videretur. Cf. Q. P. l. l. p. 199. coll. II, 2. p. 51. Iam vero Ennius Annalibus Urbis historiam universam complexus incomptus et tristis aliquando apparuerit necesse est. Hinc hirsuta corona; hinc vero etiam fortasse, id quod longe alia de causa isti iudicaverunt, laurea. Nam qui lauro dignos carmine celebrat mortuosque heroas resuscitat, in arma ducit, per castra comitatur, ipse meretur eius-

dem frondis honorem. Cf. comm. ad El. II, 1, 18. II, 34, 63. II, 10, 19. III, 9, 53. Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 157. Sed quid dicta? „Carmina, libros“ Barthius interpretatur. Recte fortasse, si litteras laureatas, quas triumphaturi S. P. Q. R. mittere solebant, Propertium significare censeamus. De his cf. Liv. XIV, 1. Tac. Agric. 18. Lindenbroch. ad Ammian. XVI, 12. Gevart. Lectt. Papin. 5, 1. Salmas. ad Lamprid. Alex. Sever. 58. Gronov. ad Stat. Silv. p. 130. Barth. ad Claudian. p. 308. Drakenb. ad Liv. l. l. Sic Ennius simul laudis suae ipse nuncius et praeco fingeretur, haud absurdum commentum et tanta viri illius fiducia dignum. V. Porph. ad Horat. Epist. II, 1, 52. coll. Cic. Acad. IV, 16, 51. Column. ad Enn. Frgm. p. 4. 5. Hessel. Pers. Sat. VI, 10. Nescio tamen an magis Propertianum videatur, si dicta hic coronari eadem *προσωποποιίᾳ* fingi censeamus, qua v. 102. Horologus ait: libris est data palma meis. Simillima quamvis multo etiam audaciora Klopstockii nostri *φαντάσματα* sunt, cum Carmina coronis quernis cincta tamquam mortuorum animas ex inferis excitare se fingit. Carminibus igitur tribuitur quod proprie poetae est. Cf. de toto hoc loco ad El. II, 34, 87. III, 1, 17. 18. Iam vero hirsutae coronae dum mollius folium opponere poeta vult, sponte se praebuit hedera, cuius sequax natura vel in proverbium abiit. Hederam suam Bacchus secutus est. Quem deum non ut Apollinis adversarium — istae enim nugae sunt — sed ut poetarum lyricorum et elegiacorum patronum (cf. comm. ad El. II, 30, 38.) hic quoque quamvis maiora ausurus iure Prop. veneratur. Nam his quoque carminibus, licet ab ipso poeta elegiis, quae proprie dicuntur, segregari appareat (v. 135.), elegiacum fermentum admixtum esse Q. P. II, 2. s. f. p. 55 sq. demonstravimus.

v. 63. 64. Ad sententiam vid. Q. P. II, 7. p. 192 sqq.

v. 65. De patria Propertii, quae hic describitur, Q. P. I, 1. egimus. Arces muros dici ibid. exposuimus, sed non latericios istos in planitie ductos, quales Albertus sibi finxit, sed montium praecipitia arte munita. Neque adeo verisimile, potuisse arcium nomine tales muros dici, quibus alias de industria opponantur, ut Virg. Ge. II, 534.: Roma — septem uno sibi muro circumdedit arces. Pseudo-Ascon. Cic. Divinat. Caecil. §. 18.: Arx — editus in civitate ac munitus locus. — Ergo prima spes in muris est, secunda in arce, si muros hostis irruperit.

v. 66. Ingenio — meo. Ablativus, in quo et alii et Paldamus haeserunt, pretii est. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 18. p. 137. Cave tamen aestimare pro magni aestimare

dictum credas. Ad sententiam recte iam contulerunt v. 126. Proxime tamen Ovid. Fast. II, 116.: Ingenio certe non latet illa (domus) meo — et ubi eandem sententiam imitatione illustrat et paene interpretatur Amorr. III, 15, 13.:

Atque aliquis spectans hospes Sulmonis aquosi
Moenia, quae campi iugera pauca tenent,
Quae tantum, dicet, potuistis ferre poetam,
Quantulacunque estis, vos ego magna fero.

Sed ut sententia, ita etiam verborum structura simillime Martial. I, 62.: Censetur Apona Livio suo tellus Stellaque nec Flacco minus.

v. 67. surgit opus. Recte conferunt Ovid. Amorr. I, 1, 27. Fast. IV, 830. Metaphora, egregie ab Horatio (Od. III, 30. init.) dilatata, a monumentis et Mausoleis ducta est. Fundus, ni fallor, apud Pindar. vel Nem. IV, 80. Boeckh.: κελεύεις στάλαν θέμεν Παρίου λίθου λευκοτέραν, vel quod propius etiam ad nostri loci rationem accedit Nem. VIII, 46.: Σεῦ δὲ πάτρᾳ Χαριάδαις τε λάβρον ὑπερσεῖσαι λίθον Μοισαῖον (i. δυνατόν).

v. 68. Omina candida — fausta; sed non modo audientiam, uti interpretes censent, verum etiam plausum et acclamationes poeta poscit. De argumento vv. sqq. cf. Q. P. II, 7. p. 198 sqq. de metaphora vero comm. ad El. II, 10, 2.

* * *

v. 71. Hinc Horoscopus loqui incipit. Qua de re, sicuti de temporum rationibus aliisque rebus quae ad utrinsque partis argumentum pertinent, accuratius Q. P. I, 5. p. 27. III, 2. p. 216 sqq. edisserimus. — imprudens, vage, dicere facta. Veram interpretandi viam primus Iacobus interpunctione indicavit, ne forte cum Heinsio vaga facta rescribere malis. Nam quod ad Pers. Sat. V, 143. ille provocat: Quo deinde insane ruis? quo? Quid tibi vis? — iste locus plane contrarium persuadet. Vacativus enim vage, cuius usum attractioni proximum Q. P. II, 6. p. 138. et ad El. I, 8, 19. II, 15, 2. explicavimus, recte ad Propertium referatur. Vagus poeta dicitur, qui praescripto gyro sevehitur (ut III, 3, 21. ait) vel qui a litore tuto carminis elegiaci in medium poesis epicae mare delatus est (III, 3, 23. 24. III, 9, 35 sq. coll. 30.). Pro fata autem unice verum esse intelligo facta, sive illud in Gron. legitur (quod negat Merkel. ad Ovid. Fast. p. CCXLIX.) sive ab Italis primum est correctum; nam in Voss. IV. m. sec. scriptum Burmannus invenit. Facta dicere autem et Latinum est, et

ad rem imprimis accommodatum. Epicorum enim poematum argumenta facta sunt, eoque nomine recte opponuntur elegiarum affectibus, gaudiis, querimoniis, amoribus. Sic noster in eadem re III, 3, 3.: Visus eram — Reges, Alba tuos, et regum facta tuorum — hiscere posse. Propius etiam accedit Virg. Ecl. IV, 54. ubi dicere facta item atque hic pro eo: epos componere, et Hor. Epist. II, 1, 234. qui Choerilum epicum carmine foedo splendida facta levisse ait. Ceterum ut pro fata — facta scribamus, vix litura opus est; ita a librariis, perpetuo paene errore, ea vocabula confunduntur. Cf. Bentl. ad Horat. Epist. II, 1, 6. Burm. ad Quintil. Decl. p. 702. Drakenb. ad Sil. Ital. I, 277. II, 9. comm. ad El. IV, 11, 66. Merkel. tamen l. l. coni.: „imprudens, vel quid dicere, Properti?“ — cui coniecturae audaciae certe laudem nemo denegabit. Sacra vero, quod Iacob. versu 69. tuetur, eius ipsius versus causa reiiciendum est. Neque enim sola sacra, ac ne potissimum quidem sacra, sed sacra diesque et cognomina prisca locorum canturum se promittit Propert. et exinde cecinit. Cf. Q. P. II, 7. p. 198 sqq.

v. 72. dextro colo. De genere huius nominis masc. v. Q. P. l. l. c. 6. s. III. p. 162. comm. ad El. IV, 9, 48. Ad metaphoram vero comm. ad El. I, 16, 41.

v. 73. Aversis Charisin. Certissimam hanc Heinsii coniecturam in ordinem recipere non dubitavi. Talem sententiam desiderari iam docti Itali perspexerunt, qui cod. Laurentii Vallae interpolaverunt. Hinc eam emendationem (Aversis Musis) in Beroaldi exemplar fluxisse intelligo, nisi quod ille Adversis scripsit. At non verisimile tantum Heinsii inventum (praesertim in rariore nomine, cf. librariorum portenta simillima: El. I, 20, 12. IV, 7, 61.), sed ut dixi certissimum esse consenties, si Leid. II. et libri Scaligerani *διττογραφίαν* apertam: Aversis lacrimis Charites consideraveris. Egregia autem hoc loco Gratiarum commemoratio. Hae enim verbis iucundum sonum praebent (cf. El. I, 2. fin.), hae poetis et musicis ipsarum Musarum loco adsunt propitiae (cf. Pindar. Nem. X, 1. Olymp. VII, 11. IX, 23. Pyth. VI, 2. Simon. Anth. Pal. XIII, 28. v. 10.), hae denique omni pulchro operi opitulantur. Simonid. Anth. Pal. VI, 144. ubi vid. Schneidew. frgm. CCVII. Iisdem autem Gratiis aversis Merkel. ad Ovid. Fast. p. CCXLIX. tentat: „Arcessis Latias causas“ iure tamen, ut ipse fatetur, timidus. Lachm. olim, sed quod ipse postea emendavit: Arcessis Latium; cantas; aversus Apollo. Minus vero, quam in initio huius versus, in fine atque in pentametro emendatio Heinsio

cessit. Tollitur enim asyndeti vis et caesorum ἐνέργεια (cf. Q. P. II, 6. s. IV. p. 168.), quin etiam anaphorae figura debilitatur, si sublata post Apollo interpunctione pro poscis ab — poscitur scribamus. Praeterea nequaquam opus est ea coniectura. Lyra enim Propertii amatoriis lusibus tantum apta argumenta tristia ipsa respuit. Unde recte iam ante Lachm. contulerunt Anacr. I, 4.: Ἀ βάρβιτος δὲ χορδαῖς Ἔρωτα μοῦνον ἀχεῖ, sed quod in usum suum convertere ipsi nescierunt. Ille vero librorum scripturam optimis Horatii, Virgilii, Ovidii exemplis defendit.

v. 75. aut. Itali: haud. Quid praeferas, difficile est ad iudicandum. Sed tamen quod dedimus et meliorum auctoritate, et ipsius Propertii usu (El. IV, 11, 20.) commendatur. Ad sententiam utraque scriptura eodem redit. Haec nostra confidenter affirmantis est: „Certa sunt, quae pronuncio — aut ego nescius sum artis meae.“ Haec tamen cum ea vocis flexura enuntiantur, ut de peritia artis suae dubitare absurdissimum esse astrologus significet. De sphaeris vero aeneis vid. Cic. N. D. II, 34. Synesii ep. I. Ann. Br. II, 449. Leont. in Arateis ed. Buhl. I. p. 257. Gemini Elem. Astron. et Petavii Uranol. quaeque collegit Fabric. Bibl. Gr. Vol. III. p. 455. Uckert. de Geogr. Graecc. et Romm. II. p. 203. Ian. Bakii in Posidon. Rhod. Rell. p. 63 sq. Iacobs. Animm. ad Anthol. Gr. X. p. 293. Plin. N. H. XXV, 5. Hinc sine dubio interpretandum Ovid. Fast. III, 831.: Quique moves coelum.

v. 77. 78. De praesenti creat veri praeteriti loco posito vid. Q. P. II, 6. s. II. §. 8. p. 120. Deinde a fine prioris versus et ab initio alterius sive Horops Horon, sive Horos Horon legis, confragosus nascitur similium nec tamen earundem litterarum strepitus, qualem Propertius nusquam in libris suis admisit. Contra solita Prop. ἀναδιπλώσεως gravitas egregie decet circulatoriam astrologi facundiam et frontis severae affectum fucatum. Ad hunc igitur orationis colorem perinde fuerit, Heron bis cum Puccio legas, an quod alii Italorum (Vat. I. Colot.) invenerunt, primum, ni fallor, a Scaligero receptum Horos. Illud tamen ideo non ferendum, quod gentile nomen Babylonius non haberet quo referres; nam si ad soboles — Babylonia erat scribendum; tum vero etiam id unum agit astrologus, ut stemma suum et avorum nomina clara iactet. Eadem causa Babylonius nationis vocabulum, non artis (uti Scalig.) esse aio. Nec nunc anxie quaerendum, quomodo Archytae Tarentini gentem cum Cononis Alexandrini (Callim. ap. Schol. Arat. p. 21. frgm. I. Bentl.) et Hori Chaldaei componas.

Satis erat homini gloriabundo clara mathematicorum nomina undique corrasa tamquam paterna et avita iactare. Ceterum de ἀναδιπλώσεως figura, omnium quae in repetitione versantur apud Propertium frequentissima, vid. Quaestt. II, 6. p. 110 sq. Eandem eodem modo in nomine habet Callimachus h. l. Pallad. v. 40.:

Κρεῖον δ' εἰς ὄρος ἵκετο,
Κρεῖον ὄρος· σὲ δὲ δαίμον, ἀποφθώγεσσιν ἔθηκεν — κ.τ.λ.

et Ovid. Trist. I, 10, 29.:

Hincque Propontiacis haerentem Cyzicon oris,
Cyzicon, Haemoniae nobile gentis opus.

v. 81—88. Extremum horum versuum par: „Dicam, Troia cades cett.“ hinc remotum Scalig. post v. 70. inculcavit, ubi quam male sedeat, vix est quod commemorem. Neque enim Propertius futuri, sed factorum interpretem se promittit. Deinde vero per singulos paene versus scholiastae nostri immane peccant. Primum, quod pretium fecere deos esse aiunt: aurum et pecunia est iis deorum loco; et hoc quidem Beroaldo duce. Sed quid tum de sequentibus: Felicesque Iovis stellas? At „Hi“, inquit Barth., „accusativi pendent a v. antec. pretium fecere“. Et sic cum Vulpio Kuinoelius. Igitur aurum non modo deos in universum faciunt (deum rectius dixerit), sed speciatim felices Iovis stellas Martem, Saturnum. Quod quantumvis sit absurdum, tamen si concesseris, quid de sequentibus ultra: „Quid moveant Pisces“ —? Sed Barthius tamen, homo frugi, hanc certe cautionem addit, „nondum satis expeditum esse locum.“ Kuinoelius contra, velut prorsus somniculentus, hanc eleganter esse dicit cohaerentiam: „non tantum stellas felices, sed et infelices pretium fecere, s. fallunt i. falso tractant.“ Vides praestigiatorem. Nam eadem locutio: pretium fecere deos, quae modo pro hoc fuerat: aurum deorum loco colunt, derepente significat: fallere atque adeo falso tractare. Quin Iuppiter bis fallitur v. 83. et 85. Nec tamen in his satis erat oscitasse. Nam illud: „fallitur auro Iuppiter“ — ad unum omnes sic fere interpretantur: „falso promittitur, vel simulatur, quasi sit dominus geniturae, cum non sit.“ Nova scilicet, qua Latium locupletatur, verbi fallere significatio. At missis his nugis seria quaeramus. Primum enim deos pretium fecere non hoc significat, Aurum ab istis falsariis pro diis coli, sed deos suos pro pretio haberi, quaestum lucrumque fieri ex diis. Hanc enim dictionem argutam sane et vere Propertianam, sed alias quoque falso ab interpretibus acceptam accuratius illustravimus comm. ad El. IV, 5, 29. Diis

vero v. 82. signa zodiaci, quae callidis illis interpretibus numerorum instar sint, addit (de asyndeto enim cf. Q. P. II, 6. §. 13. p. 125.). Interiectum vero est illud: „et fallitur auro Iuppiter.“ Fallere enim nihil aliud significare potest, nisi quod a prima et propria eius verbi notione derivetur, quae est decipiendi. Fallunt autem isti perfidi interpretes Iovem, dum quae certus et verax deus ipsis ea fiducia portenderit, ut sciscitantibus porro vera nunciarent, auro accepto vel tacent, vel aliter et in laetum eventum turbae credulae exponunt. Ea enim hominum est dementia, ut laeta et optata promittentibus hariolis plus pretii solvant, quam vera sed infausta, quia donis suis non modo interpretes deorum, sed ipsos etiam deos corrumpi posse credunt. Huc enim pertinet illud Iuvenalis VI, 540.: Ansere magno Scilicet et popano tenui corruptus Osiris. — et igitur v. 81. explicativum est, et causam facti, eventu certo, significat: et revera, ut est apud Horatium Sat. I, 9, 55.: Expugnabis; et est, qui vinci possit. De reliquis versibus 83—88. optime egit unus Iacobus. Omnia enim ista e verbo Dicam (v. 87.) pendere vidit, et tamquam testimonium afferri, „se non quod consulentium libido velit, mendacio inventurum, sed quod ipsae stellae promittant, sive boni, sive mali, esse aperta dicturum. post stellarum autem exempla item summae cladis exemplum proferri: Troiam cadentem, summae felicitatis: Romam resurgentem; neque haec se fuisse, ficto augurio, praeter verum prolaturum.“ Dicam igitur, propter quod verbum Scaliger hos versus hinc amandavit, non futurum est, sed, quod iam Barth. perspexit, coniunctivus hypotheticus: dicam, si res ita ferat ut dicendum sit, vel, dicere talia possim. De verborum autem structura duriore illa quidem, sed utique Propertiana vid. Q. P. II, 6. p. 124. ibid. §. 15. p. 131.

v. 82. obl. signa iterata rotae, quibus zodiacum significari nemo non viderit, Vulpius plaudente interpretum corona ideo iterata dici ait, quoniam sex ad boream cernantur, totidemque ad austrum. Hac scilicet lege numerum parem omnem, quippe quem bis partiri liceat, iteratum dicas. Ovidii autem locus (Met. II, 18.) quem quis forte huc referat, longe diversus est. Ne multa, iteratus non est duplex, sed repetitus, nec satis est totidem signa utrinque disposita esse, ut iterata vocentur, sed eadem. Contra iterare saepius pro eo est: iterum perlustrare, percurrere, ut El. IV, 3, 7. coll. Hor. Od. I, 7. extr. I, 34, 4. Hinc igitur verbo ad animum translato recte astrologus mente percurrere iterumque rogitare signa coelestia dicatur. Sic

certe de avo horoscopi nostri Archyta Horat. Od. I, 28, 5.: Nec quicquam tibi prodest — animo — rotundum percurrisse polum, et Lucret. I, 73. de Epicuro: „Ergo vivida vis animi pervicit et extra Processit longe flammantia moenia mundi, Atque omne immensum peragravit mente animoque.“ Ceterum iterare non solum esse bis facere, sed in universum repetere, lexica docent. Alioquin mallem: obliquae signa iter acta, aut ne ἀσύνδετον durius utique quam alias te offendat, addita facillime post eandem litteram particula et: obliquae et signa iter acta. De accusativo iter nunc cf. Krüger. Gramm. Lat. §. 321. p. 425. vel, quoniam passiva agi, duci, trahi in eundi significationem transierunt, ibid. §. 304. p. 408. extr. p. 409. Agi autem frequentissimum de motu, qui per orbem fit. Tibull. I, 5, 3. Virg. Ge. II, 401. Aen. III, 708. VI, 532. I, 36. Horat. Od. IX, 7.

v. 85. Antiquum est mendum: moneant, quod per se quidem ferri possit. Illud tamen utpote elegantius Propertio asserit Oudend. ad Lucan. I, 631. Cf. El. III, 5, 29. Virg. Ge. I, 462. Simillime vero Pers. Sat. VI, 12.: quid praeparet Auster Infelix pecori.

v. 86. Lotus. Broukh. et post eum Kuinoel. cum Barthio Laetus ex M. cui D. adstipulatur. Non impedirem, si potior esset librorum auctoritas. Quamquam, ne in universum Capricornum laetum dici existimes, obstat Chaldaeorum ars, quae triste et funestum esse sidus Capricornum docet. Cf. Manil. IV, 256. Mitscherl. ad Horat. Od. II, 17, 19. Neque vero si laetus Hesperia aqua coniungas, ad Virg. Aen. II, 417.: laetus Eois Eurus equis, provocare liceat. Illic enim ab Oriente flare Eurus significatur, nihil amplius. Hoc vero signum nec saepius occidit quam reliqua, nec longius aut saepius in partibus occidentis moratur. Rectius contuleris Hor. Od. II, 17, 18.: „tyrannus Hesperiae Capricornus undae“. Imperium enim illi plagarum occidentalium tribuitur, ut ibid. I, 3, 15.: Noto, quo non arbiter Hadriae maior. Sed recte iam Beroaldus: „Lotum ideo dicit in unda Hesperia, quia vult intelligi occasum signi huius magis saevire et dominari, quam ortum.“ In occasu enim demum imperium eius incipit. Nam Manilius IV, 784.: Tu Capricorne regis, quidquid sub Sole cadente Est positum.

v. 87. Troica. Broukh. ni fallor primus, sed tacite Troia correxit. Librorum scripturam reduximus.

v. 88. Huschk. Anall. critt. p. 125. de Graecis interpretatur post Troiae excidium terra marique variis fatis perem-

tibus. Nec per se quidem maris sepulcrum, ut Graecorum πόντιος Ἀιδης, inficete esset dictum. Quamquam video, quo utrumque distet. At neque unde Graeci ἀπὸ τοῦ κοινοῦ sint supplendi, nec quomodo longa sepulcra, nullo alio verbo addito, pro remotis a patria dici possint, satis liquet. Contra in medio positum, ut interitum mundi, sive ἐκπύρωσιν (cf. Nigid. de diis IV. ap. Serv. ad Virg. Ecl. IV, 10.), sive aeternam illam et novissimam noctem mundo instantem (Plin. Ep. VI, 21. Procl. ad Hesiod. Opp. 156. Lobeck. Aglaoph. p. 793.), vaticinaturum esse se, prompta istorum hominum vaniloquentia, promittere astrologum intelligamus. Haec enim assidua cum physicorum tum mathematicorum erat quaestio: Sit ventura dies, mundi quae subruat arces. Cf. Ovid. Met. I, 256. Lucret. VII, 812. Hanc autem diem certis calculis subductis Chaldaei inveniebant. Cf. Creuzer. de Symbolis III. p. 328 sq. (ed. I.)

v. 93. equi. Burmannus Heinsii et Marklandi coni. eques receperat, scilicet quod saucia ora dicantur, unde non protecta esse a Luperco sequatur. Risum merito debebat Lachmanno, qui tamen non satis, quam ridicula Burmanni obiectio esset, docuit. Nam ille equitem sua quidem ora saucia protegere posse concessit, equi negavit.

v. 96. rostra cruenta, signa unde in G. venerit, v. 95. proximus docet. Nec tamen, quid λοξοῦ aut, quod Aristophanei fartoris βυρσαιέτου admoneat, Iacobus in hisce verbis viderit, intelligo. Aspersa sanguine rostra aquilarum non plus offensionis habere possunt, quam v. 112. „vela cruenta".

v. 101. Iunonis. Scalig. tacite rescripsit Iunoni. Iure illud Lachm. defendit; quamquam quod a Virgilio repetit exemplum Aen. XI, 4.: Vota deum primo victor solvebat Eoo — haud prorsus ad rem illud pertinet. Aliud enim est facere votum, aliud solvere quod factum est. Hoc autem facilius votum deorum dicitur, quam illud quod adhuc fit. Sed genitivus tamen prorsus est Propertianus. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 20. p. 139. Ceterum votum facite, quod admirabili consensu in libris mss. omnibus ordine inverso legitur, unde fortasse facito genuinam esse scripturam Burm. haud inepte coniicit, iam primi editores reposuerunt, et plures saepe praeter puerperam vota in illo periculo suscepisse Lachm. coll. Phaedim. ep. III. Ann. Br. I. p. 261. demonstrat.

v. 102. Ad metaphoram cum metonymia cognatam cf. Q. P. ibid. §. 28. p. 156.

v. 103. Heins. coni. Libyos. At recte Lachm. dupli-

oem genitivum coll. III, 21 (i. e. II, 27.), 6. IV, 8 (i. e. III, 9.), 56. IV, 5, 23. defendit. Nec tamen huc pertinet IV, 6, 15. ubi vid. comm. Rectius contuleris III, 22, 15.: qua Ortygiae visenda est ora Caystri. Ceterum de antrorum Iovis halitu fanatico vid. quae Lobeck. contulit Aglaoph. p. 1123 sq.

v. 106. Umbra neque e. Sic scribendum esse libri vel ipsis erroribus suis declarant. Lachm. tamen probabat, quod Livinei. et Turnebus invenerant: Umbrave quae, scilicet, qui prodit non a prodendo sed a prodeundo venire putassent. At turbatur particularum proprietas, quae si nos sequeris, summa in his versibus sinest: *Neque* — explicat antrum — aut fibra — aut — augur — *neque* umbra prodit. Miror autem, quod Iacobus, ut vim praepositionis *e* qualis hoc loco est definiat, ad El. IV, 3, 4.: „e lacrimis facta litura" provocat. An mortuam magicis venenis voluit umbram? Immo inter sacras aspersiones et funestas caerimonias ex inferis apparentem larvam hic fingi, satis constat. Fortasse ex lacu Avernalibus aquis repleto surgentem umbram sibi finxit. Maxima enim illarum fuit in istis superstitionibus auctoritas. Cf. Cic. Tusc. I, 16, 37. Varr. ap. Augustin. Civ. D. VIII, 25. Horat. Epod. V, 26. Virg. Aen. IV, 512.

v. 107. versusque per astra Trames. Neapolitani aliorumque librorum optimorum error est verusque, quod tamen Lachm. ed. Lips. probaverat, scilicet quod nemo, qui esset versus trames, explicuerit. At nunc explicuit Iacobus: „versa via est se vertens per astra." Vis exempla? Plurima congesta invenies a Gronov. ad Liv. XLI, 1, 7. Nic. Heins. ad Vell. Paterc. II, 101, 3. Drakenb. ad Liv. IX, 2, 15. et ad XXXVI, 15, 7. ubi vel Epirus versa in septentrionem dicitur. Hinc apparet, quanti aestimandum sit Keilii edictum, qui (p. 31.): „neque" inquit „quod antiquiores editores substituere, versus de tramite per astra facto dici potest, sed certus credo poetam scripsisse."

v. 116. suis. Avancii, non quod Lachm. putat Mureti, coniectura est: tuis. Sed recte idem alterum Propertio reddidit. Multo enim elegantius atque efficacius, Graeciam propriis suis spoliis onustam periisse dici, quam Troiae. Exuvias meas autem recte et Latine appellari quas aliis detraxerim, coll. El. IV, 12 (i. e. III, 13.), 12. Virg. Aen. XII, 94. demonstrat.

v. 117. Oiliade. Itali correxerunt Oilide, seducti sine dubio similium patronymicorum analogia: *Πηλείδης*, *Τυδείδης*. At apud Homerum, quamvis metro non exigente, usu

tamen constanti Ὀιλιάδης legi, recte Lachm. observat. Quod vero idem Iliade victor scribendum censuit atque adeo in ed. Lips. reposuit: nec satis ea litura Groningani errore: Oliade excusatur, qui contrariae potius rationi favet, neque ullo modo victorem Iliadem forma patronymica pro victore Ilii vel Iliaco dici potuisse concedo.

v. 118. veste. Burmanno sede praeplacuit, quod apertum glossema esse censeo. Sed alterum iam recte cepit Broukh. de peplo Minervae interpretatus. Nunc etiam cf. picturam vasis Nolani apud Tischbein. Homer. Fasc. IX. Tab. V. VI. apud Mueller. et Oesterl. T. I. fasc. III. XLIII. fig. 202. imprimis vero picturam apud Labordium in Vasis Lambergianis V. II. tab. 24. apud Mueller. et Oesterl. T. I. fasc. 1. tab. I. fig. 7. ubi Cassandra conspicitur, quae vestem Palladii amplexa vi raptatur ab Aiace.

v. 119. 120. devehar. Inde ab Aldinis devehor legebatur. Sed recte alterum, ut magnificentius quodque magis hunc hominem vaniloquum deceret, Lachm. praetulit. Idem, ne quis versu breviori Marklandi coniecturae satis illi quidem blandienti: lacrimis — tuis fidem haberet, „novas lacrimas — ad illud priscum Graecorum infortunium respicientem horoscopum dicere“ ait. Tu vero ne lacrimas pro re lacrimosa atque adeo pro rei lacrimosae expositione dici mireris, cf. Q. P. II, 6. p. 156. ubi simul quo iure astra v. 119. pro fatis dicantur, explicatum invenies.

v. 121. edit praesens pro vero praeterito. Vid. Q. P. l. l. §. 8. p. 120.

v. 122. tangitur ora — Qua. Sunt qui tangitur explicent: significatur; oram vero patriae pro terra patria dictam accipiant. Quos in utroque falsos non solum longe diversa verbi tangere ratio arguit, quod oblique et veluti in transitu admonentis, sed non omnia dicentis est, uti Cicero ipse interpretatur pro Rosc. Am. 30, 85. cf. Acad. IV, 136. Ovid. Amm. III, 12, 17. — verum etiam sequens qua. Quid enim absurdius effici possit hac sententia: „Ibi commemoro patriam tuam, ubi Mevania est“ — aut quid illis verbis magis distortum, si hoc voluisset poeta dicere: ibi patriam tuam sitam esse aio, ubi —? — At aperta sententia pronaque intellectu verba. Sic enim accipe: fines patriae valle Mevanate continguntur. Nam de vero oppidi quod significatur situ, qui altera ista interpretatione accepta nemini dubius esse potuisset, cf. Q. P. I. p. 7 sqq.

v. 124. lacus Umber. Clitumnus. Vid. enim Q. P. l. l. Addas licet Stat. Theb. III, 204. ubi vel Dirce, fons limpidissimus, lacus dicitur. Sacer imber mirum Italorum

commentum, et quod plus quam reliqua omnia suspectam nobis facit Perreii et Puccii fidem. Defensorem tamen nacta est ea scriptura post Lilium Gyraldum et Scioppium etiam Albertum abbatem. Qua de re vid. Broukh. ad h. l. et Q. P. l. l.

v. 125. Asis. Sic incorrupti libri omnes; axis correctio Italorum est, qui cum *x* et *s* litteras ad sonum perinde haberent, facillima mutatione pro nomine ignoto vocabulum usitatum more suo reposuerunt. Axem autem pro monte dici, ne magnus quidem Scaliger nunc cuiquam persuaserit. Saxi ingeniosissimum Heinsii inventum iam receperam, cum accuratior regionis, quae hic describitur, inquisitio meliora me docuit. Nam patriam poetae aut Hispellum aut Asisium fuisse, montis autem iugum utrique oppido imminens Asim dictum esse, in vita Propertii (Q. P. p. 5. et 9.) demonstrasse nobis videmur. Quam rem iam Lipsio (Antiqq. Lectt. V, 10.) in mentem venisse, paullo post editam primam libri partem animadverti. Nunc vero etiam Lachmannus humaniter me admonuit, se iam eodem tempore, quo Quaestiones nostrae prelum subibant, Asisinatem fuisse Propertium pronuntiasse in Annall. ad historiam iuris pertinentibus vol. XI. fasc. 1. p. 117. Quod vero idem litteris privatis mecum communicavit, pro Asi — Asisi scribendum sibi videri, vereor ne prosodia obstet. Graecum enim nomen oppidi Ἄσισιον est ap. Ptolem. III, 1. §. 53. Nobb., unde epitritum primum non proceleusmaticum efficere Asisium plus quam verisimile est. Nam de Procopii libris mss. mihi compertum non est, editiones impressae bell. Goth. III, 12.: Ἄσισινος habere videntur. Neque Scaligeri coniectura Sil. Ital. VIII, 445. Asisos pro Asilos legentis, quae tamen aliis etiam de causis ferri nequit, quidquam proficias. Sic enim proceleusmatici loco epitritum secundum habeas, Asisi autem bacchius fuerit, non magis quam creticus illi hexametri sedi idoneus. Arcis denique altera Heinsii coni. et Scandentique altus codicis Vallani foetus suppositicius ea iam satis observatione explodantur, quod verba tam facilia et librariis nota in ignobilem hanc nuncupationem tanto consensu mutata esse, veri dissimillimum est.

v. 126. De usu praepositionis ab cf. Q. P. II, 6. p. 134. comm. El. III, 11, 24. Prorsus vero huc pertinet Ovid. Trist. II, 255.: quia carmine ab omni Ad delinquendum doctior esse potest. Propius etiam ablativo instrumentali Ovid. Metam. I, 417.: postquam vetus humor ab igne Percaluit solis. Cuius significationis semina prima a temporis

notione repetenda esse, coll. Ovid. Metam. III, 570. IV, 329. VI, 63. apparebit.

v. 127—134. De pertica tristi v. Q. P. I, 1. p. 8. I, 4. p. 18. Ad significationem particulae mox vid. El. III, 12, 26.: Calpe, Exustaeque tuae mox, Polypheme, genae. Ubi recte Passeratius: Ordinem potius significat, quam tempus. Cf. Chr. Bach. ad Tibull. I, 3, 71. de Ingen. Eleg. Rom. p. 63. Hinc vel, quae saeculorum intervallis distant, nectit, ut Flor. III, 19. postquam de Herdonio egit: „Mox, imperio per diversa terrarum occupato, quis crederet Siciliam multo cruentius servili, quam Punico bello vastatam.“ Add. Tacit. Germ. 35. Ann. I, 12. 15. XI, 22. — De bulla aurea, libertatis tantum insigni, vid. Q. P. I, 2. p. 14. Addas licet Sueton. de clar. rhetor. 1. s. fin.: Venalicii — formoso — puero, quod portitores verebantur, bullam et praetextam togam imposuere —. Romam venitur: res cognita est, petitur puer, quod domini voluntate fuerit liber, in libertatem.

v. 135. elegos. Cf. Q. P. II, 2. p. 55. comm. ad v. 62. castra. De metaphora per hunc et sequentes versus ducta comm. ad El. II, 7, 15.

v. 138. Et — utilis hostis. I. H. Vossius: Sed — futilis hostis deceptus sine dubio talibus locis, qualis III, 9, 17.: Hic satus ad pacem, hic castrensibus utilis armis. Sed meminisse debebat, alium esse militem utilem, alium hostem. In hoc enim, quibus utilis est, adversarii sponte intelliguntur. His autem utilem fuisse Propertium, tot spolia a Veneris pueris de eo recepta versusque proximi satis declarant.

v. 140. tuas. Heins. duas coniecit, quod ut firmaret Burmannus praeter Lycinnae amorem alterum cogitavit Phyllidos, qua ante Cynthiam Prop. periisset. Quod vero „tibi — tuas palmas eludet“ inconcinne dictum ait: primum non ad eludet referendum est, sed ad parasti; deinde, quanto etiam istud inconcinnius: duas, quascunque! Ceterum et hic Eludet et v. 137. patiere et v. 142. premet recte nec sine libris iam dudum VV. DD. reposuerunt. Futurum enim non coniunctivum cum in universum vaticinantis oratio, tum formae verborum a librariis non oblitterandae v. 143. videbis, 145. iuvabunt, et quod omnes tenent v. 144. cadet sibi postulant.

v. 141. A Gemoniis et carnificinis ductam metaphoram interpretantur. Taedet comparationis, nec satis unde similitudo veniat demonstratum est. Igitur aut a iumentis domandis, quae frequens est in amore translatio (El. II, 34, 47 sqq.),

aut a re piscatoria simile sumptum est. Illud confidentius affirmarem, si satis de frenorum, lupatorum imprimis, forma compertum haberem. Hoc interim persuadere videtur Pers. Sat. V, 154.: duplici in diversum scinderis hamo. Mirum tamen hic illud quod non semel accidit, ut, dum inventa primorum editorum, quos Italia sub ipsum renascentium litterarum diluculum procreavit, magnopere probamus, interpretationem eorundem reiiciamus. Nam pro nostro et ausa, quod libri incorrupti habent, a Domitio Calderino rostro et ansa primum (1486.) repositum, hinc demum in Puccii exemplar venisse, Lachmann. verisimile reddit. Idem Ut bene confixum coniecerat. Sed rectius, quod divisis, quae falso coaluerant, vocibus Et b. cum fixum Beroaldina editio exhibet, quamquam ab ipso editore inventum illud esse non crediderim, ut qui plurimis locis etiamsi aliter ipse legeret, intacta tamen exemplaris sui vitia relinqueret. Sic etiam hic Ant. Volscus, qui cum merito discusserit, nostro — ausa in ordine verborum exhibeat, non aliter tamen interpretatur, ac si eadem quae nos legeret. Rima pro prima v. 146. suam esse coniecturam ipse Beroaldus in commentario testis est.

v. 147. tua puppis. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 20. p. 140.

v. 149. cavo — hiatu e Groningano Broukh., qua sententia non facile dicas. Haud inepta vero Perr. scriptura cavum hiatum. Sed tutius librorum auctoritate et ad Latinitatem probum, quod Iacob. restituit, nos in ordine reddidimus: cavo — hiatum. Cavum terrae ima telluris dici idem Iacobus docuit. Hiatum diducere eo accusativi usu positum, quem illustravimus ad El. II, 1, 9.

v. 150. Ab avaritia ut caveat admoneri Propertium, interpretes aiunt coll. Manil. IV, 162. V, 174 sqq. At mathematicus ille natos eo signo avaritia laborare docet. Qua re ipsum Propertium natum sub eo significari, uti Beroaldus censet, nequaquam posse patet. Quomodo enim, cum semel natus esset et innata eius signi vitia per duodecim omnes anni coelique partes eum essent persecutura, ab hoc sidere caveret? Multo verisimilius Passerat. natam mense Iunio Cynthiam suspicatur. Neque certe obest El. III, 10. quam aestate scriptam esse florum commemoratio persuadet (v. 16. 19.). Sed nullis coniecturis opus est, si hoc sub signo aliis quoque funesto grave Propertio fatum imminere vaticinantem Horologum interpretamur. Nam sub mediam aestatem foedus cum Cynthia ictum satis constat coll. El. III, 20.

Elegia II.

De dispositione carminis vid. Q. P. II, 5. p. 82. Vertumnus loquitur, ea figura quam ibid. II, 6. s. II. §. 6. p. 117. §. 3. p. 114. illustravimus. De praesenti deinde orior pro perfecto posito ibid. §. 8. p. 20.

v. 4. Volsanos scribere nobis placuit, optimas membranas secutis. Neque enim Volsinos brevi penultima (Iuven. Sat. III, 191.) versus ferebat, nec satis causae erat, cur cum Heinsio Volsinios rescriberemus. Nam de variis formis, quibus antiqua populorum et regionum Italicarum nomina efferri solita sunt, cf. Nieb. H. R. I. p. 79. Volsanos etiam Od. Muellerus probat, de Etruscis I. p. 116.

v. 5. 6. Haec me turba iuvat. Nec unice verum existimat Merkel. Ovid. Fast. p. CCXLIX. propter nescio quid doctissimum φρονημάτιον „de sacello post basilicam Iuliam posito, et propter versum proximum.“ Nempe non videtur usque ad finem hanc elegiam perlegisse. Alioquin enim Vertumnum non adeo hic nomine suo dignum et variabilem, quin immo somniantem finxisset, ut contraria prorsus sibi exoptaret. Haec enim deus frequentia populi Romani iure laetus, v. 55.:

Sed facias, divum sator, ut Romana per aevum
Transeat ante meos turba togata pedes.

Frequentissimam vero eam regionem fuisse, unde thensarum via pomparumque publicarum ad Circum Maximum duceret, iam e Cic. Act. Verr. II. l. I. c. 59. appareat. Nam de oppositionis vi et de sententiarum nexu, qui causam versus superioris hinc necti postulat, monere non refert. Ceterum neque antiquarios (ut Onuphr. Panvin. ap. Graev. Thesaur. A. R. III. p. 309. p. 297.), neque huius ipsius loci interpretes adeo a vero aberraturos fuisse censeo, ut signum dei alio loco atque aediculam positum, vicum vero Tuscum cum iugario in Velabro iunctum sibi fingerent, nisi a fabuloso illo Victore (de cuius auctoritate vid. Bunsen. Descript. Rom. T. I. praef. p. XIV. t. III. p. 47. not. *)) imponi sibi passi essent. Hic enim in regione VIII.: Vicus iugarius idem et thurarius, ubi sunt arae Opis et Cereris cum signo Vertumni (vid. Dacer. ad Fest. s. v. Iugarius v. p. 454. Lindem.). At quantum, si unquam vicus Tuscus Iugarium attigerit, hic locus a Velabro abfuerit, satis iam docet Liv. XXVII, 31. coll. Bunsen. l. l. T. I. p. 628. T. III. p. 45. Turarius autem et Iugarius vicus tantum abest ut idem fuerit, ut Tuscum vicum altero nomine Turarium vocatum esse collatis iam eleg. h. v. 49. Fest. s. v. Tuscum

vicum (p. 162. Lindem. p. 355. Muell.) Liv. II, 14, 9. Dionys. V, 36. imprimis vero Varr. L. L. V, 46. (p. 18. Muell.) cum Pseudo-Asconio ad Cic. Verr. Act. II, 1. §. 144. p. 199 sq. Orell. viri docti conlicere deberent. Varro enim l. l.: „Ab eis" ait (int. Tuscis), „dictus vicus Tuscus et ibi ideo Vortumnum stare, quod is deus Etruriae princeps." Atqui Ciceronis interpres: „Signum Vortumni in ultimo vico Turario." Quae autem exinde addit: „sub basilicae angulo flectentibus se ad † postramus dextram partem" — ea corruptiora sunt, quam unde certi quidquam de regionis illius positura colligi liceat; nec iuvamur Orellii coniectura ad rostra et comitium longe hinc diversa nos abducentis. Praeterea per quantum spatium nobile illud basilicae Iuliae aedificium ab ea parte, ubi nunc vestigia eius visa a quibusdam creduntur (cf. tamen Bunsen. l. l. p. 51 sqq.), deorsum patuerit, minime exploratum est. Sed omnis de vico Turario sublata dubitatio erit, si cum locis supra citatis Schol. Cruq. ad Horat. Sat. II, 3, 228. contulerimus, qui ad verba „Tusci turba impia vici" haec annotat: Tusci aliquando ab Aricinis pulsi (cf. Liv. Dionys. Fest. ll. cc.) contulere se Romam et vicum, qui modo Turarius dicitur, insederunt, eique suum nomen dederunt. Neque aliter Schol. Acr., eum locum explicans, — — „quod in vico turario", inquit, „ante meretrices prostabant." Ceterum unde tam similium iam per se nominum permutatio venerit, Horat. Epist. II, 1, 269. indicat:

Deferar in vicum vendentem tus et odores.

Hinc vulgi sermone, quod antiqui nominis origo ignorabatur, a ture (vel tusculo) nomen Tuscum falso derivatum in alteram nuncupationem, postea etiam frequentiorem transiit. Nam ante Pseudo-Asconium ita appellatum eum vicum esse non invenio.

v. 9. Romanos Tiberis alumnos dici recte interpp. coll. El. I, 37. observant, ne cum Merkelio dubites an forte Tuscos Prop. dicat. Neque enim Tusco vico quae infra Vertumnum iacebant (i. e. Velabra), sed Romae addita sunt.

v. 11. praecepimus. Elegans est Feae coni. praecerpimus. Sed perfectum iam primitus sic scriptum fuisse, communis versu breviori error: credidit testari videtur, quem solus cod. Perr. aut effugit, aut correxit. Recte autem perfectum ἀορίστως positum se habet. Nam ex quo fuit Vertumnus, praecepit fructus. Hinc, quia semper fecit, nomen inditum est. De hoc autem perfecti usu cf. Zeun. ad Vig. p. 210. Walch. ad Tacit. Agricol. p. 104 sq. Reisig. Gr. Lat. p. 492. Krueger. §. 445. p. 492. Denique praecipere fructum quid sit, analogia verbi praecipere

satis docet, siquidem, quid sit capere fructum, constat; et exemplis plurimis usum eum verbi elegantem Broukh. ad h. l. Heins. ad Ovid. Heroidd. XVII, 107. Fast. IV, 940. firmaverunt. Merkel. tamen l. l.: „Praecipere fructum", ait, „est docere, quomodo fructus percipiatur" exemplaque deinde adstruit, quibus praecipere idem saepe esse quod docere demonstret. Qua opera ut apud doctos aeque supersedere poterat, ita, quod uvae commentor (Ovid. Fast. III, 785.) „non dissimile esse a praeceptore fructuum" ait: magnopere errat. Dissimillimum enim. Nam ut comminisci i. e. invenire a docendo, sic commentor sive inventor a praeceptore distat. Ne de sententiarum nexu dicam, qui vv. 13—18. a primitiis vertentis anni deo ad praegustandum quodammodo oblatis nomen inditum esse declarat. „Prima mihi variat — uva" — cett. cf. v. 45 sq. Credidit deinde v. 12. unde natum sit, iam supra significavimus. Accessit sine dubio simillimum utriusque vocis compendium, quod tanto promptius in formam activam librarii interpretabantur, quia sacrum casu quarto acceptum ad fructum referebant; cum tamen non tam fructum sacrum illi esse, quam fructuum causa sacra illa instituta significari pateat. Quod autem Iacobus credidit pro „aliquis credidit" dictum censet, Latinum non est.

v. 13. liventibus uva racemis. Vera enallage est, de qua vid. Q. P. II, 6. s. II. §. 24. p. 143. Proxime nostro Ovid. Metam. VIII, 677.: Et de purpureis collectae vitibus uvae. Leviora enim, quae Burmann. confert, Horat. Od. II, 5, 10.: iam tibi lividos Distinguet Autumnus racemos Purpureo varios colore. Sil. Ital. VII, 208.: Miratus nemora et liventes sole racemos. Illic enim certe uva non additur, quae proprie illud attributum sibi poscit.

v. 18. pirus. Sic libri optimi omnes; pinus error est operarum ed. Barth., qui tamen vel Klausenio imposuit Carm. fr. Arval. p. 69.

v. 19. Nescio quid miri in hac locutione Lachm. invenerit, ut pro eo: alius m. nom. index — falsa es m. n. i. coniiciendum esse duceret; unde bis fallacem Famam nullo sententiae emolumento haberemus. Hoc enim vult: quae alii de se dicant aut credant (vv. 10. 12.) falsa esse. Certiorem se nominis prolaturum esse testem, scilicet se ipsum. Quod si quid iocosi habeat, ambagibus quibusdam testimonio suo praefari deum: egregie hoc mobilem et non tristem ad ioca personam Vertumni decet, ne Iacobo ipsi ni fallor iocabundo credas, de industria Vertumnum varium et mutabilem se mendacii insimulare. Ovidii autem locus, quem iam Lach-

mannus in suam coniecturam contulit, Fast. V, 191. ea omissa similior etiam huic et imitationis manifestus videatur:

Ipsa doce quae sis: hominum sententia fallax.
Optima tu proprii nominis auctor eris.

v. 21 sq. Ne quis forte his versibus et 63. ductus variis modis Vertumni statuam exornatam falso credat: non signum illud, sed deus varias species sumere creditus est, prout variis sub figuris per totam Italiam cultum eum esse consentaneum est. Cf. Schol. Cruq. ad Hor. Sat. II, 7, 14. Dociles vero usus, qui v. 63. in statua hac a Mamurio fusa laudantur, haud dubie in ambiguum dei vultum, qualem in Demo Parrhasii admirari solebant, faciemque quamvis tot cultibus opportunam decoram tamen, ut in deo iuvenili, interpretandos esse constat.

v. 28. 29. De usu praepositionis in cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 17. p. 134. Item de proximo ad post sobrius. Finem enim hic quoque significat et usum. Nam cum in voce sobrius negativa vis insit, quasi non irritatus, non incitatus, ad eandem analogiam, qua affirmativa illa vocabula, cum eadem particula coniungitur. Sic Vitruvius II, 8.: Infirmus ad vetustatem. Senec. Epist. 25.: Panem et aquam natura desiderat: nemo ad haec pauper est.

v. 31. Iacchi: recte iam Itali correxerunt.

v. 36. Artificiosius Lachmannus leve pondus virgulis inclusum appositionem pronominis relativi facit, ut traiicere absolute positum pro se traiicere sit. At, ut pondus pro equite sit, quod non intelligentes Broukh. Markland. Schraderum leve corpus tentasse non iniuria ille aegre fert (coll. Virg. Aen. X, 400. Stat. Silv. I, 1, 20. Theḥaid. I, 181.): hoc item servata nostra interpunctione efficitur. Neque enim quidquam ad sententiam utraque scriptura distat, nisi quod ille pondus — subiectum esse vult, nos obiectum, sed quod vice pronominis se positum ad idem subiectum redeat. Continuam tamen magis hoc modo orationem, illam contra concisam nimis et ruptis numeris subsultantem effici, quis non sentiat?

v. 37. Suppetat hoc. Nec interpunctione mutata, nec coniectura Heinsii: Suppetat hic (i. calamus) opus est. Quidni enim ut hic ad calamum, sic hoc ad totum quod sequitur enuntiatum referamus? Suppetit enim copia est, vel opportunitas est, significat. Exempla lexicis ministrantur. Itaque: Suppetat hoc fere idem erit quod: hoccine vis?

v. 38. demissis — tunicis. Ergo Ovid. Fast. V, 675.:

„Huc venit incinctus mercator“ non cinctus, ut vulgo fit, sed discinctus interpretandum est.

v. 39. Pastorem ad baculum possum curare. Longum est, omnes quibus hic locus petitus est coniecturas recensere, inter quas probabiliter maxime Ayrmannus: Pastor me ad baculum possum curvare. At recte Iacobus ad Ruhnken. provocat, qui in Vell. Paterc. II, 96.: Paullus vix posset implere censorem, Albinov. ad Liv. 285. Ammian. Marcell. XXVII, 6. Sidon. Apollin. VII, 15. Solin. I, 6. citat, ac ne cum Cortio (Cic. Div. XVI, 25.) deteriori tantum aetati hoc dicendi genus tribuas, notiorum locutionum admonet, quales sunt: principem praestare, consulem agere, ducem exhibere, ultorem polliceri, exequi agricolam cett., de quibus vid. Casaubon. ad Sueton. Tiber. 33. Gronov. Obss. I, 6. IV, 14. p. 227. Neque hercle, pastorem curare durius aut magis ambiguum est, quam implere pastorem. Novum tamen est Merkelli inventum: Pastorem baculum, quod omittere religio fuit, ut severis his studiis intentos lectores hilaritate aliquando relaxaremus. Quod autem durare praeterea coniicit, non credo tam male Vertumno fuisse Romae, ut etiam in medio foro vapularet. Hoc tamen serio monitum velim, ut qui Latine nesciat, a tanto poeta manus et stilum abstineat.

v. 40. medio pulvere. De ludis Circensibus vel de arena iam Puccius cogitabat. Hoc tamen unde intelligatur, verba ipsa non satis declarant. Rectius idem deinde aestatem pulverulentam significari coniicit. Sic enim, ut in superioribus distichis, similia duo munera uno versuum pari copulantur. Sic etiam Nam versu proximo positum rectius intelligas. Hortorum igitur villicum vel adeo puellam rusticam tibi finge aestate (hanc enim satis ipsae rosae indicant) per vias pulverulentas (aestivum pulverem ille ait Copa v. 5. Claudian. Cons. Hon. VI, 215.) canistras florum plenas Romam portantem. Quo de quaestu vid. Boettig. Sabin. I. p. 207. Nec vero, quod Iacob. putat, in v. 45. repetitio eiusdem argumenti inest. Hic enim olitorem et cultorem florum agit, illic tutor et deus hortorum apparet. Hinc etiam v. 41. fama est recte contra Lachm. et superiores Iacob. tuetur. Nam post omnia quibus ille fungitur munera nobilissimum illud est, unde nomen quosdam deduxisse modo rettulit (v. 11 sqq.): dei hortulani et qui laetos herbarum florumque proventus tuetur. Cf. Ovid. Met. XIV, 687. Columell. X, 308. C. O. Mueller. de Etrusc. II. p. 51. 52. 85. Hartung. de Rel. Rom. II. p. 133 sqq., qui eundem adeo illum atque Saturnum habet.

v. 44. Me notat. Recte interpretantur: indicat, declarat qui sim. Quod quia non satis liquebat, Lachmannus ingeniose: Mi nitet rescripsit. At recte alterum; insignia enim sunt notae dei, quibus ab aliis discernitur. Atqui hoc est notare. Sic res nominibus Cicero (de Fin. III, 2.), sic verbis Latinis notari idem (Tuscul. III, 5.) i. e. declarari ait.

v. 45. decenter. Heins. coni. recentes. At optime nostrum. Cf. Tibull. IV, 2, 14.:

Talis in aeterno felix Vertumnus Olympo
Mille habet ornatus, mille decenter habet.

v. 51. Lycomedius. Qui cum Scoppa et Turnebo Lucumonius reposuerunt, Propertium egregia doctrinae laude fraudaverunt. Primum enim Graeca forma nominis, quales prae Latinis alias quoque expeti a Propertio docuimus (Q. P. II, 6. s. III. p. 163.), Graecos quosdam neque ita inficetos fuisse declarat, qui pro Lucumone Lycmonem vel Lycomedum ex Lydia fortasse avos ducentem, ipsum vero iam Tuscum natione factum suppetias tulisse Romulo, populumque Lycomedios de suo nomine dictos cum gente Romana permiscuisse traderent. Deinde vero non modo Tuscum vicum ab advenis appellatum consentientibus aliis auctoribus (Varr. all. ap. Fest. v. Tuscum vicum p. 355. Muell. coll. eod. Paull. Diac. v. Caelius mons p. 44. Muell. p. 34. Lindem. Varr. L. L. V, 46. p. 18. Muell. ap. Serv. Aen. V, 560.), aliis aut prorsus (Liv. II, 14. Dion. Halic. V, 36. all. ap. Fest. s. v. Tusc. vic. Interpp. Horat. l. ad vv. 5. 6. citato et rursus aliter Claud. Imperat. in Oratione de civ. Massiliensibus danda, Exc. Lips. ad Tacit. Annal. XI. p. 746. Gronov.) aut ex parte tamen dissidentibus (Tac. Ann. IV, 65. s. f.) refert (v. 49. 50.), sed id, quod coniectura tantum et aliis argumentis ductus magnus ille Historiae Romanae sospitator assecutus erat (Hist. Rom. I. p. 305. p. 395. ed. II.), iam antiquitus traditum esse docet (coll. Paull. Diac. s. v. Lucomedi p. 120. Mueller.), tertiam illam populi Romani tribum Lucerensium ad Tuscos originem referre, nomen vero ab eodem Lucumone repetere, qui a nonnullis Caeles Vibenna dictus Romanis contra Sabinos auxilio venisset. Sic enim Festi epitomator: Lucomedi a duce suo Lucomone dicti, qui postea Lucereses. Vides iam ex hoc uno Propertii loco, quem Festus Lucumonem significaverit, nec cum Muellero de Messeniis Atticisve cogitandum esse, quos nescio quis Graeculus Romam deductos esse tradiderit. Nam praeter nominum formas vix diversam Varronis fuisse de his Originibus persuasionem ex Servii

commentariis (l. l.) discas, nunc demum recte interpretandis. Sic enim ille: „Nam constat, primum tres partes fuisse populi Romani: — — tertiam Lucerum, quorum secundum Livium et nomen et causa in occulto sunt. Varro tamen dicit, Romulum dimicantem contra Titum Tatium a Lucumonibus, hoc est a Tuscis, auxilia postulasse. Unde quidam venit cum exercitu: cui (recepto iam Tatio) pars urbis est data: a quo ia urbe Tuscus est dictus vicus. — — Ergo a Lucumonibus Luceres dicti sunt.“

v. 52. contudit. Sic ex membranis optimis iam dudum restitutum est. Eadem translatione Tacitus utitur Ann. IV, 46: Decreta triumphi insignia Poppaeo Sabino contusis Thracum gentibus.

v. 58. Haec quoque metaphora a carminum equorumque comparatione ducta est, de qua et alias et ad El. II, 10, 2. egimus. Expressum Propertium ab Ovidio Amm. III, 15, 2. iam interpretes demonstrarunt. Sed ante nostrum Meleag. ep. CXXIX. Br. Anthol. Pal. p. 607. καμπτῆρα finem operis appellavit, ubi Iacobs. Anim. ad Anth. Gr. T. I. p. 114. Manethonem confert VI, 738.: αὐτὰρ νειατίην ἐλάων περὶ νύσσαν ἀοιδήν. Dorvill. ad Charit. p. 788. — ultima autem non attributum ornans metae est, uti El. III, 14, 7. extremae metae dicuntur, sed, quoniam in certamine curuli septies circumagi solebat (cf. Interpp. ad Soph. El. 725. ad Suet. Domit. 4.), quatenus iam ultimo raditur. Cf. comm. ad El. II, 21, 4. Egregie autem versuum orbes spatia dicit, quod Ovidius l. l. quamvis metaphora partim soluta imitatur: Raditur hic elegis ultima meta meis; nam per hos versuum circuitus carmen tamquam currus properat. Spatium vero cum proprie curriculum sive stadium significet (cf. Virg. Aen. V, 327. Lucret. IV, 1193. Nep. Eumen. V, 5. Cic. Lael. 40. Orat. 12. pro Rabir. 6.), hinc plane ut Graecum δρόμος (pro quo et ipsum interdum στάδιον, ut Pindar. Ol. XI, 64.) in significationem cursus duplicis, qui per circum fit, transiit. Enn. ap. Cic. de Sen. V, 14.: Sicut fortis equus, spatio qui saepe supremo (i. e. septimo) Vicit Olympia. Sueton. Domit. 4.: In his (ludis saecularibus), quo facilius centum missus ederentur, singulos de septenis spatiis ad quina corripuit. Cf. praeterea comm. ad El. III, 21, 25.

v. 62. Osca. Attributum hoc in universum pro Italo accipi C. O. Müllerus vult (de Etrusc. II. p. 252. n. 37.), scilicet ut Mamurium Veturium (de quo vid. Plut. Num. 13. Ovid. Fast. III, 260. 389. Varr. de L. L. VI, 45. p. 90. Müller. Fest. s. v. p. 131. Müll. p. 96. Lindem.) Etrusco-

rum censui (cum editoribus Opp. Winckelm. T. VII. p. 263.) vindicare liceat. Sed ut Mamurii nomen Italum potius quam Etruscum sonat, ita ne Vertumnum quidem deum Etruscum i. e. Rasenarum fuisse, sed totum Italicum sagacissime observat Ambrosch. Studiis Romm. p. 209. n. 57. Quin immo si a Tuscis Romam allatum eum esse vere perhiberetur, non Etruscos illos, qui proprie dicerentur, sed Tyrrhenos, natione Pelasgos habendos esse contendit. Osca igitur tellus aut propria significatione dicta fuerit (de qua vid. Niebuhr. H. R. T. I. p. 66 sqq.), aut quod magis Propertii aetati aptum, Campana. Cf. Nieb. l. l. I. p. 75. Ceterum recte, ne terra manus premat, precatur. Nam in manibus artificis quodammodo summa posita est. Cf. comm. El. III, 11, 56. Add. Nicomed. Smyrn. X, 4. Anall. Br. III. p. 384. Iacobs. Animm. ad Anthol. Gr. T. X. p. 132.

v. 63. docilis casum quartum plur. esse recte perspexerunt; sed interpretum vulgus dociles in usus explicat: aptum in varios usus, quasi docilem non dociles Prop. scripsisset. At ne rescribere quidem illud verbum liceret. Fraudatum enim suo attributo nomen usus talem etiam emendationem desideraret:

Qui me tot docilem potuisti fundere in usus.

At Burmannus: „dociles usus," inquit, indicant sollertiam artificis, usu vocis eleganti, ut patebit ex nota Patrui mei ad Calpurn. Ecl. I, 18." Illud quidem de dexteritate artificis concedo, sed unde haec significatio veniat, ex Calpurnii loco sequi nego, ubi docilis vulgari prorsus significatione positum est. An forte Burm. hic quoque docilis ad Mamurium referri voluit? Ne multa, ipsi usus, quibus Vertumnus destinatur, dociles dicuntur, simillima ratione ei qua El. I, 2, 12: sciat indociles currere lympha vias. Cui loco adde Ovid. Trist. IV, 1, 6.: cantat — fossor, Indocili numero cum grave mollit opus. Indocilis igitur ut non modo artis rudem, sed etiam non tractabilem arti significat, et a personis ad res quae arte et ratione impertiri nequeunt, transfertur, sic contra, cum Vertumnus artificis beneficio docilis sit et quovis usu commode colentibus cedat, ipsi usus dociles dicuntur, i. e. faciles ad capessendum: εὐμεταχείριστοι. Enallages hoc quoque genus est, sed facillimum, neque audacia cum Virgiliano illo comparandum Aen. II, 453.: Limen erat caecaeque fores et pervius usus Tectorum.

Elegia III.

De tempore, quo elegia scripta sit, vid. Q. P. III, 3. p. 228.; de Arethusa vero et Lycota ibid. I, 5, p. 22.

v. 8. Sericus, quod e codd. stribligine Beroald. refinxit, iure displicuit Iacobo. Nam Puccius iam Seres Plinio teste (N. H. VI, 17, 22. cf. Mela III, 7. Eustath. ad Dionys. Per. v. 753. sqq. Ammian. XXIII, 6.) mitem potius et mollem vitam degisse, quam equitatu ferrato excelluisse observat. Nec vero Seres unquam a Romanis bello petiti erant. Cf. Plin. Mel. Eustath. ll. cc. Plin. XXXIV, 41. XII, 1. Forbig. de Geograph. antiq. T. II. p. 473. sqq. Ipse autem Puccius, qui in libro suo naricus invenerat, noricus haud dubie de coniectura restituit. Quae non ita arridere debebat Iacobo, ut prae illa sua sibi inventa sorderent. Nam Germaniae populos non cataphractis, sed levissimo equitatu usos fuisse scimus. Cf. enim Caes. B. G. I, 48. Tacit. Germ. passim, qui cum in universum Germanorum equitibus non multum laudis tribuat, Noricos tamen si quis magis eo genere belli confisos esse coll. Caes. B. C. I, 18. coniiciat: at regionis illius natura per Alpium recessus silvestres et per praecipitia et ardua cacumina pertinentis gravis armaturae usum non admisit, nedum in equitibus. Cf. Strab. VII. p. 292. c. 1. §. 5. IV. p. 206. c. 6. §. 8. sq. Plin. N. H. III, 24. 27. Virg. Ge. III, 474. Ferrata vero agmina Horatii (Od. IV, 19, 29.) ad hoc genus non pertinere Interpp. ad e. l. satis edocent. Praeterea ne ratio quidem temporum conciuit, sive ad Drusi et Tiberii expeditionem a. U. 739. finitam (Strab. IV, 6, 9. p. 206. Plin. N. H. III, 24. Vell. Paterc. II, 95. Cass. Dio LIV, 23. Flor. IV, 12.), sive ad Silii, qua uno anno ante Norici ipsi debellati sunt (Cass. Dio LIV, 20. Sext. Ruf. c. 7.), populi commemorationem rettuleris. Cf. Q. P. I. l. p. 228. — Contra ipsius Iacobi coniectura: Neuricus, tum ad ductus litterarum facillima (nam *h* et *n* ab initio versuum posita ne tantum quidem distant; Gron. vero omissa a rubricatore initiali ipsum illud . euricus exhibet), tum vero ad sententiam aptissima. Neuri enim gens Sarmatarum nobilis, pars Getarum, solitudinem intra Tyram et Istrum (cf. Mela II, 1, 70. Strab. VII, 3. §. 14. p. 305. Dionys. Perieg. 310.), vel si Plinium sequimur, magis versus septemtrionem et Borysthenem fluvium incolebant. Sarmatas autem, qui Moesis aliisque circa Istrum populis contra Romanos et Crassum (a. U. 725.) militantibus suppetias tulerant (Dio Cass. LI, 20.), maxime omnium qui tunc erant populorum, cataphractarum usu inclaruisse, Tacitus auctor est Hist. I, 79. Denique oppositos sic extremarum plagarum populos argumenti ratio poscit. Unde ego recipere illud non dubitavi.

v. 10. discolor recte contra Passeratium et qui eum

secuti sunt omnes Iacob. defendit. Discolores enim Indos dici, qui tantum a iusto hominum reliquorum colore discreparent, coll. Zinzerling. ad Valer. Flacc. V, 565. evicit. Deinde Eoo — equo Gruteri coni. a Broukh. primum ordini invectam iure Lachm. repudiat; nec tamen Eoa — aqua sicut Bachius (de Ingen. El. Rom. p. 198.) miro isto argumento defenderis, quod Aethiopes nigri et crispi fiant vi aquarum eius regionis. At ipse tamen, a quo illam doctrinam Bachius mutuatus est, Passeratius uti ea noluerat. Recte; nam quid doctae illae physicorum speculationes ad puellae huius simplicitatem? Sed recte nihilominus Eoa — aqua. Locum enim significat ablativus, non causam. Vid. Q. P. II, 6. s. II. §. 18. p. 135.

v. 11. Elegans Bercaldi est coniectura: hae pactae sunt m. n. Interim vestigia librorum propius legere visum est, qui universi et post πενθημιμερῆ exhibent, dum unum tantum illud sunt, quo sine versus concidit, ab Italis mutuor. Facillima enim haec emendatio, causa, cur verbum exciderit, manifesta. Multo enim facilius verbum substantivum a librariis omittitur, quam ullum aliud, quale, quod Perreium et Heinsium secutus Lachm. recepit: num. Ceterum sic verba iunge: Haeccine (neutr. plur.) sunt mar. fid. et noctes mihi pactae? i. e. eo abierunt fides et promissa.

v. 14. nigra. Vulgo obscuriora interpretantur, quae plus fumi quam ignis emittant. Putide; perinde quasi hoc Arethusa ageret, ut facta in suis nuptiis narraret, non, ut quae a nesciis commissa essent, nunc eventu timida et suspiciosa coniectaret. Immo nigra lumina sunt funesta et infausta, ut El. II, 11, 4: funeris atra dies et contra El. II, 15, 1.: nox candida, felix et fausta; qua de significatione consule lexica. Stygios ignes Seneca appellat (Octav. 25.). Hoc vero imprimis observandum est, non perinde fuisse, quo ligno fax nuptialis incenderetur. Qua de superstitione cf. Brisson. de Rit. Nupt. p. 56. sqq. ed. Amst. 1662. Hinc quid ominis in face illa fuerit, tum vero etiam falso Livinei. lumen pro omen legisse apparet. Deinde

v. 15. quid Stygia aqua velit, puri laticis loco in aspersiones novae nuptae adhibita, satis patet coll. El. IV, 1, 106. — recta vero vitta data est, quod recte explicant: crassa id quidem Minerva per me liceat; sed accuratius interpretanti in ipsa forma, colore, textura flammei aliquid ominis et religionis fuisse videbitur. Igitur non recta vitta erit: non recte comparatum flammeum, sicut ceteros quoque apparatus male ominatis modis petitos fuisse Arethusa suspicatur. Cf. Brisson. l. l. p. 50. 51.

v. 17. Bis in hoc versu interpretes peccant; primum quod portas — „templorum“ esse aiunt, deinde quod vota — dona ex voto suspensa. Nam alterum ne Latinum quidem est, quoniam portae urbis sunt, templorum ianuae vel fores. Praeterea ad portam (Capenam) templum Martis positum erat (v. 71.); ad omnes vero portas arae et sacella Larum Vialium, quibus simul cum Fortuna Reduci pro salvo reditu peregrinantium vota fieri solebant. Cf. de diis patr. I, 13. p. 33. Dona vero ex voto poni nec solebant nec poterant, priusquam aliquis damnas voti factus esset, i. e. priusquam dii vota eius rata fecissent. Itaque Arethusa, quae pro reditu Lycotae vota frustra etiamtum nuncupaverat, nondum reduce ex castris marito: quo tandem modo VOTA DIIS EX MERITO reddidisse se diceret? Quin immo noxia ea vota ait, i. e. quae retardasse potius, quam effecisse mariti reditum videantur. Quid quod votiva dona post reditum ferenda in fine carminis disertis verbis commemorat (v. 71 sq.)? —. At non meminerant VV. DD. etiam suscepta vota in documentum rei litteris et tabulis mandari solita esse. Has igitur tabellas quibus ream votorum publice se confiteretur, iuxta portas Arethusa suspenderat. Cf. enim de hoc usu Fest. p. 108. Lind. p. 173. Müll. Sueton. Aug. 97. Brisson. de Formull. I, c. 172. p. 104. Huc pertinet inscriptio ap. Gruter. XXVII, 4. Orell. 2335., quae in hos versiculos exit:

Vota Faventinus bis deni suscipit orbis,
Ut mactet repetens aurata fronte bicornis. —

fortasse etiam Gruter. LXXXV, 15. Orell. n. 2494. ubi post alia haec: VOTIS ANNUANT DII ROMANAE REIP. ARCANAQUE URBIS PRAESIDIA. ANNUANT — cett. — De Graecis sive fictis sive veris cf. Philippi epigr. Anall. Br. 11. T. II. p. 214. quod dedimus ad El. IV, 6, 18.

v. 21. De Ocno praeter locos ab interpp. citatos cf. Pausan. Phoc. 29. Plin. N. H. XXXV, 10. Mus. P. Cl. VI, tab. 3., ubi iuxta Danaidas apud inferos Ocnus. Quamquam obliquum non cum Viscontio (l. l. p. 264. interp. Gall.) aversum ab asino post tergum funem rodente interpretamur, sed cum Livineio transversam restionis posituram describi censemus. Evidentissimum enim hoc.

v. 28. iste. Livin. ex Vat. ille, quod usque ad Iacobum falso in editionibus haesit.

v. 34. in radios. Hanc cod. Pucc. scripturam veram esse nobis aliquando Lachm. persuaserat. Quamquam quod ille censuit lanam sectam (pro quo Broukh. ducta, Burm. lecta) carminatam et instrumento ferreo vexatam dici, vocis

vellera attributum Tyria non patitur, quo cocta iam et medicata murice lana significatur. Secare igitur erit dividere fila confusa et discriminare, ut iam in radios revolvi et in subtemen adhiberi possint. Nam dividere et secare alias quoque verba συνώνυμα. Cic. Acad. I, 27. Quintil. Inst. IV, 5. Interpp. ad Hor. Ep. I, 16, 42. Sat. I, 10, 14. Tabb. XII. ap. Gell. XX, 1, 49. Quintil. III, 6, 84. — Iam vero de voce gladios suspectam exemplaris Puciani fidem secutos a probis libris descivisse nos poenitet, postquam Enni locum ex notis Broukh. anecdotis a Bachio (l. l. p. 302.) prolatum contulimus. Hic enim Nonio teste (s. v. gracilitudo) in Annall. VII. haec habebat: „Deducunt habilis gladios filo gracilento.“ Quamquam in eo Bach. quoque fallitur, quod gladios carminationis instrumentum esse censet. Nam gladium in opere textrino eum esse, quam spatham Senec. Epist. 90, 20. appellat, satis constat, siquidem alias quoque spatham pro gladio vulgo iam inde ab illis temporibus dici solitam esse lexica docent. Neque ego nunc ad Casaub. comm. Pers. p. 509. sq. Salmas. ad Capitol. Pertin. VIII. p. 545. Vopisc. Aurel. 46. p. 563. sqq. provoco, qui totum hunc de lanificio locum doctrina sua obscuriorem etiam, quam per se erat, fecerunt. Unam certe hanc de spatha disquisitionem post Gessneri errores recte expedivisse Schneiderus videtur in Indice Scriptt. R. R. s. v., unde spatham apud Senec. l. l. pro radio positam esse apparebit, quo in simpliciore opere (non ea quam Ovid. Met. VI, 54. describit tela iugali) non modo transmitterent subtemen, sed etiam adstringerent, sine arundinis (*Batt in der Kammlade*) usu. Sic demum intelligas, cur habiles gladii ab Ennio l. l. et cur deduci dicantur. Nam in carminatione ne filis quidem (i. e. torto stamini) locus esse potest. Ceterum Beroaldi et Puccii interpretationem sciens praetermitto.

v. 36. milia. Sic libri mss. recte. Cf. enim Cledon. gramm. p. 1901. Putsch. Deinde equus a primo Lachm. ex libris restitutum est, cum inde a Scaligero eques legeretur. Ceterum transposita haec (vv. 35. 36. — vv. 37. 38.) a Broukh. disticha in suos locos redire recte Barth. iussit. Nam qua parte Araxes fluat, etiam viva voce doceri posse Arethusam, contra quot milia equus sitim toleret, e tabula nequaquam disci.

v. 37. Conor vel invitis codd. cum Broukh. scribendum duxi. Nam quomodo Areth. cogi possit, ut mappam consulat, nemo evincet. Contra optime Conor de puella simplici et imperita, quae tam difficilem artem aggreditur. De

verbis autem cogor et conor a librariis passim confusis cf. Interpp. ad El. III, 9, 22.

v. 38. docti — positura dei. Vocem probam esse et Latinam positura, interpretes et lexica docent; facillime vero ex antecedente versu genitivum q. d. obiectivum mundorum intelligas; dei docti vero est genit. subiectivus et significatur Deus κατ' ἐξοχήν creator mundi, δημιουργός,

Qui coelo terras et terris abscidit undas,
Et liquidum spisso secrevit ab aere coelum,

Quae monuisse singula pigeret, nisi admirabilia nimis et paene fabulosa hic commenta VV. DD. placuissent. Nam Hoeufft. coniecit: Qualis et haec doctis sit positura Dahae — plaudente et „praeclare!“ acclamante Santenio in notis ineditis. Burmannus vero per varias coniecturas progressus usque eo audaciae ablatus est, ut tandem divinaret:

Quave sit hinc longis puppis itura viis.

Hoc scilicet si est emendare, nihil amplius a criticorum insolentia tutum erit. Eldyk.: „Q. et aetherii s. p. Dei“ tentabat, Solem intelligens, sicut ante Passerat. et nunc etiam Weberus. Omnium vero ut doctissime, ita maxime, si quid sentio, inepte Merkel. Ovid. Fast. l. l. —: „Docti dei posituram intelligo Apolloniatin circa Apolloniam urbem prope Tigrim fluvium apud Polybium V, 43. 51. 52.“ — Difficile est satiram non scribere.

v. 42. Peierat. Egregium comis nutriculae ἦθος, quae dulcem alumnam ut consoletur, fallere etiam iureiurando conatur. Tenerum hunc colorem imprudenter delent, qui cum Livineio Deierat rescribunt, quod tamen usque ad Lachmann. mansit. Frigidius etiam, quod Heins. invenit callida; nam ne de curis dicam, quod ordine praepostero cum assidet coniungunt, ipse pallor curam commiserantis aniculae optime describit.

v. 48. Libri mss.: Africus in gl. Egregie hic nugantur interpretes, qui officiosis suis figuris Africum pro Aquilone dictum esse demonstrant. At isti, quid non? — Ingeniose igitur Lachm., ut assolet, sed credo nimis a librorum vestigiis recedens, Arctoo coni. Neve rursus libri Pucciani foetu decipi te patiaris, qui sive fortunae lusu, sive librarii ingenio — Africo in versu superiore Atlantem addit, stipatus tamen reliquorum Italorum agmine. Tu vero mecum facillima mutatione pro Aphrico (sic enim vulgo nomen illud in libris mss. habetur) Aprico repone. Hoc enim adiectivum, quod a verbo aperire ductum proprie nihil nisi apertum et clarum significat, hinc demum in calidi notionem transiit, quam postea usu vulgari potissimam factam

esse eo magis consentaneum est, quoniam in plagis australibus, cum sudum est, locus coelo et solibus expositus calidus potius quam frigidus esse solet. Sed ille tamen quem diximus primus est et princeps significatus, ut Horatii Epist. I, 6, 24.: Quidquid sub terra est, in apricum proferet aetas, ubi recte comm. Cruquii: in apertum. Apricum igitur frigus apte septentrionalium regionum gelu claro et aprico coelo acutius et vehementius, quam obducto significat. Hinc Horat. Od. III, 10, 7: Audis — positas ut glaciet nives Puro numine Iuppiter. Hinc πάγος αἰθρίου φανέντος Sophocl. in Amat. Achill. ap. Stob. Flor. 64, 12. Gaisf. et Aquilo ap. Virgil. Ge. I, 460. frigidus idemque clarus audit; hinc denique ipse Propertius El. IV, 10, 18. apricum cum frigido coniungit: Qui tulit aprico frigida castra Lare. Quomodo enim si apricum tepidum vel adeo calidum esse voluisset, castra aprica i. e. sub divo posita, tentoriis non clausa, frigida dicere potuisset? Patrem vero, quem Africum appellari vulgo sed absurde existimant, Iovem esse Lachm. coll. Val. Flacc. I, 513. Horat. Carm. III, 10, 7. recte docet. Add. Interpp. ad eiusd. I, 1, 25. I, 22, 19. Confectam his exemplis rem esse existimo. Ex ceteris vero coniecturis maxime placet Eldykii: Adstricto. Sic certe Ovid. Trist. II, 196.: maris adstricto quae coit unda gelu.

v. 49. aperto in coniuge. Fluctus in simpulo excitant, qui (ut Schrader. Burm.) apertum coniugem „non convenire“ et amor in coniuge „non recte dici“ dictitant, sed non demonstrant. Hinc ille: in apta coniuge, hic deserta in coniuge, Lachmann. vero tum: aperte in c., tum rapto in coni. effecerunt. Nobis edicta causis negatis non placent. Immo recte apertum coniugem Passerat. eundem, quem Ovid. Amm. I, 4, 38. manifestum dicat, interpretatus est. Propertium vero imprimis, toties in secretis amoribus celebrandis versatum, cum prima versus parte de se et suis deliciis cogitaret, addere nunc decebat: sed maior utique amor in foedere aperto. Etenim cum minime liqueat, cur Venus ipsa absentis flammas acrius suscitet (cf. potius III, 21, 2. 3., 9. 10. I, 9, 27. sq. I, 11, 15. III, 12, 17.), in amore, quem ipsa cum Iunone palam sanxit, iam sibi famaeque suae veritam deam, ne ludibrio aliis potentia sua fiat, cavere consentaneum est. Hoc vero: amor in coniuge non solum Latinum esse, sed elegans etiam et vere Propertianum, coll. Q. P. II, 6. §. 17. p. 134. comm. El. II, 4, 18. apparebit.

v. 51. 52. De ellipsi: Nam mihi quo? vid. Q. P. II,

6. §. 12. p. 125., ne cum Heinsio pro tibi audacia illicita si reponendum censeas. Optime enim Iacobus: „Quo mihi ornatus? tibi fulgeam purpura, tibi placitura me ornem, non mihi aliisve.“ Ad argumentum vero cf. Paull. Silent. Anall. Br. III. p. 78. ep. 22. Anth. Gr. III. p. 78. Hinc Iacob. tibi ad versum breviorem animo supplendum censet. Sed eadem sententia multo fortius efficiatur, si cum optimis libris tuas manus retineas. Nam meas Neap. prompta est librarii proxima tantum et facillima spectantis interpolatio; tuae manus enim sunt tibi debitae. Nam amatarum mulierum animae et corpora tota amatorum propria habentur. Sic Catull. LXVII, 30. gremium nati pro: gremium uxoris filii dicit, et Tibull. I, 9, 77: „Blanditiasne meas (i. e. tuas mihi debitas) aliis tu vendere es ausus, Tune aliis demens oscula ferre mea?“ et propius etiam nostro Iuvenal. Sat. VI, 124.: „Ostenditque (Messalina) tuum, Germanice, ventrem.“ Huc etiam pertinet nostri I, 3, 37: ubi longa meae consumpsti tempora noctis? — et quamvis non de amantibus III, 15, 30.: „stabulis mater abacta suis“ i. e. sibi debitis; erat enim filiorum tugurium.

v. 53. 54. surda. Ad analogiam vocis caecus, surdus non eum hic significat qui non audiat, sed id quod non audiatur, ut El. I, 7, 18. IV, 5, 55. unde Spaldingii error corrigendus, qui cum recte Quintil. XI, 3, 32. surda ex optimis libris restituat, eadem sententia illud verbum alias legi negat. Mox pro raris — calendis Wakker. et Schrader. lanis — colendis. Ingeniose satis; at, quid lanificae cum larario? Immo ad particip. assueta ex versu proximo infinit. aperire supplendus est. Rarae autem cur calendae dicantur, et una puella, in libello de Diis patriis I, 5. p. 16. exposuimus. Etenim ad tristitiam domus significandam Lares non a tota, ut morbis erat, turba vernarum, sed ab una puella, cuius proprium illud munus erat, apertos et comptos esse ait, sed cunctanter et vix semel in mense, idque solis calendis. Nam magis religiosos praeter Kalend. Idibus quoque et Nonis sacra Laribus fecisse M. Cato testatur R. R. c. 143. Praeterea vero in communi domus Laetitia etiam praeter ordinem omnibus Laribus factum esse ibid. demonstravimus. Vides igitur, quid rarae Calendae velint. Quod non intelligere eos necesse erat, qui ut Kuinoel. all. Lares clausos — fores vel domum interpretarentur. Et tamen iam Beroaldo et Volsco verum suboluerat. Recte vero Bach. Martial. IV, 66, 3. comparat: Idibus et raris togula est tibi sumpta Calendis. Rarae enim

dicuntur, non quo rariores sint ceteris diebus menstruis, sed quia, quod his tantum diebus fit neque ut assolet aliis quoque, raro id fieri consentiendum est. Cognatus igitur adiectivi usus ei, quem ad El. I, 21, 4. illustravimus.

v. 55. Glaucidos Scal. emendavit; nam Graucidos, quod libri habent, analogia caret. Iam v. 56. tui — toro, pro quo Itali: tori reposuerant, recte Iacob. tuetur, quoniam in toro partem tantum mariti a catula expleri, non omne mariti munus, cum gemitu puella conqueratur. Mox (v. 58.) Compitales Lares ab Arethusa non „Compitalitiis hibernis“cultos hic significari, sed saepius et extra ordinem, atque ut Urbis et Patriae tutores salvum maritum praestarent, certum est. Nihil enim illud singulare aut novum haberet, si quis cum cetera turba illa sacra frequentaret; et tamen, si ipsa domina fecisset, prorsus contra morem Romanum et contra modestiam matronae commissura erat. Nam illorum sacrorum cura servis mandata erat Compitalium diebus. Cf. libell. de diis patr. I, 17. et 16. s. fin. p. 41. sq., ne frustra interpretibus ad h. l. diversa omnia miscentibus fidem habeas.

v. 59. tigno. Non erat, quod Burm. et Huschk. (Epist. crit. p. 83.) in tecto mutarent. Nam recte iam tribus saeculis ante Beroaldus: „tigni appellatione non solum trabes, sed etiam omne genus materiae, ex qua aedificia constant, significari“ Festum et Ictos secutus observavit. Igitur in proiectura tignorum (Vitruv. IV, 2.) inter contignationes domus vicinae, in quibus aves iatae inauspicatae nidificare solent, gemuisse noctuam puta.

v. 60. Passeratius mero infuso flammam suscitari creditam a veteribus censet. Libationis loco propter faustum sternutantis luminis omen factum id esse, loci ab ipso congesti testantur. Ovid. autem Heroid. XIII, v. 114. de flamma lucernae subito et cum crepitu relucescente intelligendus est. tangi deinde tingi interpretor, non cum Italis hoc pro illo repono. Iam ne cum Burmanno vv. 61. 62. post v. 70. collocandos censeas, vid. comm. ad v. 17. Succinctique deinde v. 62. a Pontano est, non, ut Lachm. ait, a Mureto. Verissima autem emendatio, erroris origine manifesta. Male tamen iidem Itali sacra pro lucra interpolaverunt. Tanto enim illud hoc languidius est, quanto magis omni tempore sacerdotum filii cum familiis et sodalitiis ad lucra quam ad sacra properaverunt.

v. 63. De participio vid. Q. P. II, 6. s. II. §. 8. comm. ad El. III, 12, 3.; de ablativo vero ibid. p. 136. §. 18.; de odorato duce comm. El. III, 13, 8.; de metonymia denique

(v. 67. 68.) tua—pura hasta pro hoc: tu hasta illa donatus, Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 151.

Elegia IV.

v. 1—3. De monte Tarpeio, de Capitolio et arce, tum vero etiam de Saxo Tarpeio et de duobus lucis atque de sepulcro Tarpeiae doctissime simul et luculentissime exponentem consule Bunsenium Descr. Rom. T. III. p. 10. sqq. p. 14. sqq. p. 26. sqq. Hinc, nisi temporum rationes confudisse Propertium malueris, limina Iovis non templi fores, sed ipsius montis Capitolini portam coll. v. 87. interpretandum esse consenties. Neque officit vers. 29. cum proximo. Quamquam enim eo loco templum Iovis O. M. conditum nondum fuerit, domicilium tamen illud Summi Dei iam tum habitum est. Nam, ut recte IV, 1, 7. ait: Tarpeiusque Pater nuda de rupe tonabat; et uberius Virg. Aen. VIII, 348. sqq. (ubi 352.: Arcades ipsi Credunt se vidisse Iovem). Hinc quoque v. 10. saxa Iovis. Deinde v. 3. eleganter, ut plerisque visum est, Heinsius consitus pro conditus tentat. In quo bis peccat. Primum enim lucus venerandae antiquitatis non satus erat (quale nemus in Tulli viridario El. I, 14, 5.); deinde antrum quidem luco consitum esse potest, lucus antro non potest. At optime librorum scripturam stare senties, modo ne antrum — speluncam et cavernam subterraneam esse memineris, sed fauces montium (cf. comm. ad El. I, 2, 11.), quales a Capitolio forum versus devexae, qua postea per clivum Asyli arx ascendebatur, silva olim vestitae fuisse traduntur (cf. Bunsen. l. l. p. 11. T. I. p. 134. sqq.). *Intermontium* nunc illud barbaro vocabulo nuncupant. Silvae autem illius monumentum duo luci (Tarpeios Prop. appellat IV, 8, 31.) etiam poetae aetate permanserunt, sive revera arbustorum reliquiae, sive regionis tantum nomen: „Inter duos lucos“ (*Μεθόριον δυοῖν δρυμοῖν*. Dion.).

v. 4. sqq. Hic fons (de quo iterum v. 14. 15. v. 24. 25.) non, ut olim opinabamur, Iuturna est (nam reliqui interpretes adeo securi de *χωρογραφίᾳ* somniant, ut vel Numici in mentem iis venerit), neque ex adverso Castoris et Vestae, quae postea fuit, oriebatur, sed, siquidem Propertius eousque fabulam rationibus sui temporis accommodare voluit, Camenarum fons, de quo Plutarch. Num. 13.: *ἔτι δὲ χρῆναι Μούσαις καθιερῶσαι τὸ χωρίον ἐκεῖνο καὶ τοὺς περὶ αὐτὸ λειμῶνας, ὅπου τὰ πολλὰ φοιτῶσαι συνδιατρίβουσιν αὐτῷ* (Numae). *τὴν δὲ πηγὴν ἣ κατάρ-*

δει τὸ χωρίον, ὕδωρ ἱερὸν ἀπέδειξε ταῖς Ἑστιάσι παρθένοις, ὅπως λαμβάνουσαι καθ' ἡμέραν ἁγνίζωσι καὶ ῥαίνωσι τὸ ἀνάκτορον (Hinc Tarpeia deae fontem libavit.) Aqua igitur inter duos lucos in praecipiti montis latere orta, per fauces et clivum asyli delabens (hac etiam hostes Sabini ascenderunt. v. 48.), ad radices lacum illum efficiebat, unde (v. 14.) „bellicus equus" bibebat. Ex fontis vero scaturigine virgo hauriens proxime et ex adverso castra hostilia et Tatium prospiciebat (v. 19. 20.). Quibus causis efficitur, ut praecingere non ita interpretandum sit, quasi Tatius vallo fontem circumdederit; sed praecinxerat vallo hoc erit: iuxta fontem aggerem castrorum duxerat. Hinc errorem nostrum (De diis patr. p. 105.) recte iam ab Ambrosio censore notatum corrige. De regia autem et Vestae templo add. Serv. ad Virg. Aen. VIII, 363. Nam quod hic commemoratur Vestae sacrarium (v. 17. coll. 36. 69.), in ipso Capitolio fuisse necesse est. Nam „Numae regiam et penetralia Urbis cum fatalibus P. R. sacris tum nondum usquam posse fuisse" per se patet.

v. 9. Curetem pro Quirite, ad analogiam Graeci Κουρῆτες, correpta tamen, ut par erat in voce Itala, prima syllaba, unus Romanorum Propert. dicere ausus est, qui alias quoque nomina Romana ad similitudinem Graecorum declinare solet. Cf. Q. P. II, 6. s. III. p. 163. ad El. IV, 1, 29. 2, 51.

v. 13. Ne cum Burmanno aliisque in pronomine illo haereas, cf. comm. El. IV, 11, 36. Fons ille, ubi curia s. e., est fons illic manans, ubi cett. Minus etiam proficit Io. Castalio, qui sic distinguit: ubi nunc est curia, septa. Sed nec septa — castra sunt, quod ille censet, nec versus minutatim concisus placet. Coniecturas autem Passeratii: „Purus erat fons hic" et Heinsii: „Murus erant montes, ubi nunc est curia, septem" — ideo tantum affero, ut quanto simplex Propertii oratio tricis istis et deliciis praestet, intelligatur.

v. 17. urna. Palmaris haec est Lachmanni emendatio. Libri mss. aut nulla sententia aut absurda: una. Nec multum iuvabat Broukh. versibus his cum interrogandi signo post v. 92. positis. Nam illic quoque post incitatum orationis impetum et simplices incompti sermonis nervos percontatio rhetorica vehementer langueret, et aculeos affectuum, qui subita illa περιπετείᾳ egregii apparent, prorsus retunderet. Itaque Lachmanni correctionem cum facilitate tum elegantia insignem in ordinem recipere non dubitavi, quamquam in reliquo versu refingendo licentius praeter necessitatem grassa-

tus est. Sic enim ille: „Ei scelus! urna m. p. sors esse p.“ Illud vero egregium et veterum de peccatis hominum persuasioni usquequaque accommodatum. A parva enim origine seminibusque mente conceptis maxima hominum scelera oriri perhibebant, et quae ab ipsis diis peccatorum vindicibus alta deinde et nutrita (v. 69. 70.: Nam Vesta — Culpam alit et plures condit in ossa faces, vid. comm. ad v. 68.) tandem interitum et mortem afferrent. Itaque Vesta pronae ad peccandum virgini (quae voluit flammas fallere, Vesta, tuas) occasionem ipsa per urnam, quam aquandi causa ad fontem portaret, praebuit. Haec igitur urna fatum et mors puellae dicitur eadem metonymia, quae Propertio imprimis familiaris, et alibi recurrit, et El. II, 1. extr.: Huic misero fatum dura puella fuit. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 151.

v. 18. flammas Vestae fallere per metonymiam solvunt. Neque equidem impediam. Doctius tamen aliquid fortasse latet. Nam, si veteribus fides:

Ne tu aliud Vestam, quam vivam intellige flammam,

ut ait Ovid. Fast. VI, 291. Add. Dionys. Hal. 2, 66. De diis patr. II, 11. p. 89.

v. 23—27. Omina Lunae esse, quae per somnium mittantur, post Broukh. Dissen. docet ad Tibull. III, 4, 9. Absurde vero v. 27. vulgo nubila — matutina interpretantur, quasi per noctem Tarpeia apud fontem mansisset. Immo lustrationis causa (v. 25.) pure loturam se mane fingebat (cf. El. II, 29, 27. III, 10, 11. 12.) et per totum diem morabatur, ne ante crepusculum et ignes castrorum (31.) ad arcem (v. 30.) rediret. Hoc etiam Lachm. sensit, qui fumum pro nebula dictum existimabat. Quod ut fieri liceat, artificiosior tamen ea ratio, facilius utique et magis proprium, si veros tuguriorum fumos intelligas. Sub vesperum enim dum coenam apparant, fumare culmina incipiunt. Cf. Virg. Ecl. I, 83. ibique Voss.

v. 30. non patienda. Vulgo ad vulnera referunt; paene ridicule. At recte Lachm.: „Tarpeiam Iovi patiendam fuisse negat; non debuisse eum tam scelestam puellam in sua vicinia pati.“ Nam de situ rupis Tarpeiae cf. Bunsen. l. ad v. 1. citato. Egregium versuum insequentium πάθος Q. P. II, 6. s. I. §. 4. p. 114. illustravimus.

v. 32. Recte quidem Lachm. oculos pro eo ipso, qui spectat, positos esse observat, metonymia ea quam explicuimus Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 151. Nec tamen cum hoc alterum genus confundere debebat, quo oculos amantium ra-

pere vel capere puellae dicuntur, scilicet quod et iudicium oculorum amor corrumpit, neque „alio patitur vacuos seducere ocellos.“ Cf. comm. ad El. I, 5, 11. ad III, 24, 2. Optime vero idem Ovid. Met. IX, 475. Tibull. IV, 13, 4. Sabin. Epist. III, 58. confert. Quibus locis omnibus etiam dativi usum, quem ad El. II, 34, 31. explicuimus, observare licebat. Neque enim omnino formosa dicuntur arma Sabina, sed iudicio oculorum Tarpeiae. Hi enim uni sunt pulchritudinis arbitri. Unde Ovidius Heroid. XVII, 125.: Contenta est oculis hominum mea forma probari — et Stat. Silv. IV, 6. extr.: Non aliis malles oculis, Lysippe, probari. Unde, quatenus Homeri versus (Od. λ'. 452 sq.) a Lachm. citati huc pertineant, apparet: Ἡ δ' ἐμὴ οὐδέ περ υἷος ἐνιπλησθῆναι ἄκοιτις Ὀφθαλμοῖσιν ἔασε, ubi non recte ille ex verbo ἐμπίπλημι dativum ὀφθαλμοῖσιν, hinc vero genitivum υἷος videtur nexuisse. Immo sic interpretare: Non permisit coniunx oculis, ut filio (i. e. filii imagine) explerentur. Cf. enim simillimum Il. ω'. 35.: τὸν οὐκ ἔτλητε ἧτ' ἀλόχῳ ἰδέειν καὶ μητέρι. Petronii rursus verba (CXIII, 7.): „Utraque inimicissima oculis meis et captivitate praeterita tristiora“ cum verissime Lachm. interpretatus sit: „utrumque videbam invitus“, emendandum esse: „invisissima“ quod idem praetervidit, tanto magis mirum est.

v. 34. arma. Gronov. coni. ora, et nos credidimus olim. Neque vero ille, unde tanta librorum discrepantia ex voce simplicissima oriri potuisset, demonstravit. Immo cum vocab. arma, quod probi codd. vindicant, in eo libro, unde M. et N. cum sua familia fluxerunt, propter viciniam eiusdem nominis omissum esset, versus qualicunque modo suppletus est. Ne autem arma viri amati tantopere concupisci a puella mireris, cf. praeter v. 32. et 21. El. IV, 3, 30. Nec fortasse a veteribus fabulis nimium recedere poeta voluit, quibus armorum splendidorum cupidine captam Tarpeiam fuisse traderetur. Cf. Niebuhr. H. R. I. p. 254 (258.). Keilium (p. 12.) nunc nosciter esse coniicere video, immane vocabulum, si quid sentiat ille, probe teneo.

v. 37. reponet Latinum esse hac significatione, ut sit reportabit, nemo nobis persuadeat. Coniunctivum autem desiderari, iam libri Pucciani interpolator sensit. Itaque rescribe, quod σφάλματι levissimo extrusum sententia flagitat: reportet. — amores meos ipsam Tarpeiam dici, recte Burm. observat. Cf. Q. P. I. l. p. 149. quocum cave contrarium genus confundas, de quo ibid. p. 151. tractavimus.

v. 45. Palladem et Vestam eandem esse Spanh. ad

Call. h. L. P. 53. evincere studuit. Quod sive verum est — plaudunt enim interpretes — sive non, recte tamen fatales illas flammas Palladis ignes appellat. Nam Vestae tholum sacrarium Palladis fuisse demonstravimus De diis patr. II, 12. p. 89.

v. 46. Iuvenem a rhetoris schola recentem versus prodit. Cf. Q. P. I, 5. p. 27. II, 2. p. 55. I, 6. p. 45. III, 3. p. 223.

v. 48. cape. Pro hoc cave, quod in libris quibusdam esse Passerat. ait, ab Heinsio commendatum primus, ni fallor, Broukh. recepit, unde mox omnes editiones obtinuit. Sed mirum, si Tarpeia, quae ad occupanda per fauces (de quibus vid. ad v. 4 sqq.) iuga Capitolii Tatium invitat, eadem ut caveret ea terga, admonuisset. Cave enim, quod per se nequaquam esse possit: caute ascende, restat ut sit: evita. Quo nihil magis contrarium voluntati Propertii. Contra receptae minime, quod perhibent, versus insequens obstat. Hic enim obiectionem continet per ἀσύνδετον illatam, qua puella secum pericula eius viae reputat. In oratione magis sedata fortasse Prop. addidisset — quidem vel Quamquam, At. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 13. p. 127. extr. 128.

v. 51. Frustra vel decimam Musam quaerunt, quae sit magica, vel alia omnia corrigunt. Sed verum iam Passeratius vidit, quantumvis ut absurdam eius annotationem taxat Batavus ille. Musam enim si poesin dici nemo negaverit, ut magorum poesis — magica Musa audiat, necessario sequitur. Optime igitur Lachm. German. Arat. 441. confert: Hoc opus arcanis si credam postmodo Musis — de iisdem Chaldaeorum cantamentis.

v. 54. Nutrit pro nutrivit non contractione, sed temporum commutatione dictum ultima brevis arguit. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 8. p. 120. Cuius usus ignorantia adeo Burmannus occaecatus est, ut absurdissimum quorundam librariorum foetum: Nutriit humanae suo patrocinio dignaretur. Quasi vero Tarpeia nunc id ageret, ut Romuli atque adeo lupae humanitatem praedicaret!

v. 55. Ulcus huius versus inveteratum plurima emendandi pericula peperit, in quibus diutius haerere longum est: illud, quod optimi libri et post Scaligerum editiones omnes tenent: pariam, plus quam reliqua tum contra decorum in universum offendit, tum contra Tarpeiae personam, qualem toto hoc carmine Propertius finxit. Quid enim putidius, quam castam illam Vestae sacerdotem, inter medios affectuum pugnantium fluctus liberorum procreandorum negotium sibi exoptare. Itaque nobiscum facillima mu-

tatione illud rescribe, quod cod. V. egregie firmatur, sive propius liber ille hoc loco antiquissimum exemplar contingit, sive casu et duplici errore antiquum vitium emendasse videtur. Aut enim uxorem ut se ducat hospes, et reginam se faciat patriae, optat — quod et humanum est, et, si quid video, virginis affectibus egregie accommodatum — aut, si hic honor sibi non concedatur, ut certe serva et captiva abducta qualicunque modo viro amato fruatur. Alterius conditionis pretium Tatio promittit dotem regalem, Romam proditam, alterius ultionem expletam et raptam Sabinarum vice matronam Romanam. Causa corruptionis librariis non intellectum fuit dicendi compendium, insolentius illud quidem, sed vere tamen Propertianum, quod ex insequenti verbo sint prima persona sim apud animum erat supplenda. Neque enim ego illud (sim) post sic addiderim, quod tamen in tanta litterarum similitudine excidisse si quis coniiciat, assentientes habeat cod. Fruter. et ed. Plantin. Canteri (ubi Si sim), nec vero ἐκθλίψεως usus, qualem sibi indulgere Propertius passim solet (Q. P. II, 6. s. IV. p. 179 sq.), nimis officiat. At ellipsis illa una est de facillimis et, ut diximus, breviloquentiae Propertianae prorsus accommodata. Cf. enim exempla eius generis multo, quam hoc est, impeditiora, quae Q. P. II, 6. s. II. §. 11. p. 123 sq. congessimus. Interiectionem vero (παρένθεσιν dico) uno pentametro inclusam in deliciis vere habet noster. Cf. Q. P. l. l. §. 13. p. 128. s. fin. p. 129. comm. ad El. III, 15, 34. Ad sententiam vero El. III, 11, 31.: Coniugis obscoeni pretium Romana poposcit Moenia, et rursus Ovid. Fast. VI, 593.: Et caput et regnum facio dotale parentis. Si minus denique recte dici pro vulgari: sin minus, iam Lachm. docuit coll. Cort. ad Plin. Epist. I, 3, 2. Add. Reisig. Gr. L. §. 265. p. 458. Krueger. Gr. L. §. 602. p. 818.

v. 60. medium palla foedus inite mea. Nugantur interpp., qui „medium“ ornans tantum attributum esse aiunt. Immo medium foedus est medium inter acies solutas statim post pugnam compositum et veluti in procinctu ictum. Nam mulieres Sabinae mediae inter utrumque exercitum progressae arma composuerunt. Cf. Liv. I, 11. s. fin. In voce palla amabiliter ludit Barthius, qui „substrata quasi (!) palla“ foedus percussum esse censet. Nam sententiam certe ii iam recte perspexerunt, qui pallam insigne nuptiarum et ornatum quendam coniugalem pro ipso matrimonio nota figura (quae paullo aliter versa statim v. 62. recurrit, cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 156.) positam intelligerent; quamvis in eo falsi, quod pallam flammeum

(sic iam Pucc.) interpretati sunt. Sed proxime verum Volscus: „Nubentis puellae stola — matrimonii pignus adhibebatur in sponsione", nisi in ipso fine nimis aliena permiscuisset. Nam quod Burm. coll. Horat. Epod. V, 65. de funesto illo Medeae munere cogitat, id ex Graecis fabulis depromptum, num ad caerimonias Romanas pertineat, non satis exploratum est. Ac primum quidem pallam non amiculum esse, sed tunicae genus, post Boettiger. Sabin. II. p. 140. 162 sq. p. 254. Heindf. ad Horat. Sat. I, 8, 23. Od. Mueller. de Archaeol. p. 430, 6. contra Beckerum satis certis argumentis demonstrasse nobis videmur (in censura *Galli*, Annall. Hall. a. 1839. N. 289. p. 2305 sqq.). Cf. comm. ad El. II, 31, 16. III, 17, 32. Tunicam vero vel stolam, solemnem in nuptiis, aliam intelligi non posse quam tunicam rectam, certum est. Hanc enim, de cuius origine vid. M. Varronem ap. Plin. N. H. VIII, 74., novae nuptae ritu antiquissimo indui solebant. Vid. Brisson. de Ritu Nupt. p. 42. Haec igitur Cydippae palla nuptialis (Ovid. Heroid. XXI, 162.) fuerit, hoc donum Medeae fatale Horat. Epod. V, 65. Senec. Med. 570.

v. 61. fera. Aut calami aut operarum lapsu in ed. Lips. Lachm. sera exaratum, propagatum deinde in exemplar Iacobi.

v. 67. brachia. Quaerunt, cur brachia potissimum somno Tarpeia dederit, et Markland. (ad Stat. Silv. Praef. p. X.) pectora aut lumina rescribendum proponit. Neque rem expedivit Kuinoel., qui dum exemplo illustrare illud conatur, prorsus aliena (3, 67.) adhibet. At Propertius non hebes naturae indagator in brachiis somni vim egregie cerni non ignorabat. Aut enim lassa et remissa iacent, aut, dum caput fulciunt, incerta titubant. Hinc nobilia illa artificum argumenta, quale illud quod ad El. I, 3. init. commemoravimus. Hinc ipsa illa pulcherrima Cynthiae dormientis descriptio (l. l.); hinc Tarpeia incerto somno brachia permisit, qui quo ipse est incertior, eo magis et alia corporis membra huc illuc versa et imprimis brachia incerta efficit.

v. 68. Codd. nefariis, sententia cassa. Scaliger primum miro Latinitatis vitio ne furiis reposuit, scilicet qui duas negationes affirmare praetervidisset. Sed ansam tamen veri vestigia inveniendi Passeratio et Livineio praebuit, quorum uterque alterius inventi nescius se furiis coniecit, unde tandem Iacobus verissime effecit vae furiis; quod recipere non dubitavimus. De attractione enim apud infinitivum vid. Q. P. II, 6. p. 138. Ad sententiam autem maxime huc faciunt, quae v. 17. annotavimus. Furiae enim scelerum

vindices pronum ad peccandum animum ipsae irritare et novas subdere faces gestienti creduntur. Itaque infesta numina et malitiosa culpam alunt, ut poenas deinde exsequi sibi liceat. Hinc apud Ovid. Met. IV, 472.: Iuno „quod vellet, erat, ne regia Cadmi Staret, et in facinus traherent Athamanta Sorores“ (i. e. Furiae). Simul autem apparet, quam anceps sit iudicium, furiis an Furiis scribamus. Nam cum tam facile antiqui homines causis rerum et animi affectibus numen tribuerint (cf. De diis patr. p. 19. Klausen. de Carm. fratr. Arval. s. fin. Q. P. II, 4. p. 78.), furiaene quae proprie animi cuiusque sui cum pravae sunt cupidines, tum angor et insania, hic num citra propriam suam significationem steterint, an dirae istae Sorores sint intelligendae, difficillimum est dictu. Cf. praeterea comm. ad El. III, 16, 4.

v. 72. abscisso — sinu. Sic libri omnes, quod Lachmannus Iacobo subscribente damnat, quia nec Graecum sit, nec Latinum. Nec tamen Broukh. coniectura: abscissos sinus quicquam iuvatur. An forte, quod nolim, Burmanno obsecutus ita in Amazones potius quam in Bacchas dictum interpretatus est, ut abscissos sinus — mammas exsectas intelligeret? Quod cui non nauseam movet, nec Kuinoelii interpretatio „abscissa papilla“ risum, eum percontari velim, ubi tandem in excisa mamma tertium illud quod vocant comparationis lateat, quo Tarpeiae cum Amazonibus conveniat? At ne in reliquis quidem. Nam Amazones recte cum muliere bellicosa comparantur (ut El. III, 14, 16.); cum amante vero et insaniente puella minime. Huius contra cum Maenade ut aptissima, ita frequentissima est contentio. Cf. interpp. ad El. III, 8, 14. Quid multa? sinus non corporis pars est, sed vestis lacinia. Itaque si Lachm. El. III, 8, 8.: rescisso pectora nuda sinu, Latinum esse non negabit, ut hoc: abscisso pectus aperta sinu barbarum dicat, non erit consequens. Add. Ovid. Fast. I, 408. de Naiade Bacchi comite: Altera dissuto pectus aperta sinu. Maenades vero cur Strymonides dicantur, nemo doctus quaerat. Sin quid prope Thermodontem agant scisciteris: ne ego quidem scio, nisi quod in expeditione Bacchi Indica vel hic vel alibi orgia celebrare potuerunt. Neque enim certe quisquam interrogavit, cur Edonis (El. I, 3, 6.) potissimum iuxta Apidanum, neque ad Strymonem aut Hebrum conciderit. Sed quid in his refutandis circumagor, cum eo dementiae quidam interpretes progressi sint, ut Strymonis (gen.) sinum abscissum litus Thracicum iuxta Strymonem (prope Thermodonta!) explicarent.

v. 73. Palilia, non Parilia. Cf. comm. ad El. IV, 1, 19. Ceterum ad vocem festus ex seq. v. dies apud animum addendum est. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 11. p. 123. Nam Lachm. dum inde a dixere ad esse parenthesin statuit, frustatim dissecat numeros et turpiter hiantes reddit compositionis iuncturas, nec illud saltem, quod vult, efficit. Nam substantivum dies, quod alteri adiectivo festus per tantum intervallum addit, alteri (primus) demit.

v. 76. divitiis. Sic libri omnes. Vulgo de coni. Heinsii, quod in quibusdam libris (mss.?) esse Beroald. ait, deliciis scribunt. Nihil muto. Rustici enim in huius unius diei lautitiam opibus suis per annum parcent. Nec fere aliter III, 13, 26.: agrestum iuventus, Divitiae quorum messis et arbor erant. Fortasse tamen malis: Paganisque m. fercula divitiis. Sed facilis haec et Propertio satis usitata enallage. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 24. p. 143. imprimis vero IV, 8, 24. comm. ad El. III, 21, 28.

v. 78. immundos pedes. Damnum inveteratum: immundas dapes, docti Itali sustulerunt, a quibus Vat. I. et Colot. interpolati sunt, idemque proprio, ut videtur, Marte Passerat. invenit. Causa tantae discrepantiae stupor ille, quem toties notavimus, librariorum fuit, quo proxima semper spectantes, quoniam semel de ferculis et cibis sermo erat, dapes veluti non sentientes et calamo ipso paene duce addiderunt.

v. 82. pactis ipsa futura comes. Barthius comitem pactorum interpretatur, „quod partem pactorum Tarpeia in se recepisset, nempe caedendo canes.“ At primum languidum illud; nam si duo inter se aliquid pacti sunt: ut uterque partem pactorum in se recipiat, adeo per se liquet, ut addere illud tamquam novum subridiculum sit. Rursus, quis paciscentium partium alteram comitem pactorum Latine dixerit? Nam ne illud quidem recte, quod nos olim interpretatione vernacula expressimus, ad exsequenda pacta accinxisse se Tarpeiam. Contra et Latinum hoc et argutum, ipsam puellam tamquam accessionem pactis additam dici. Cf. v. 55. et 57. Sic Cic. pro Muraen. 13.: „comes deliciarum extrema — saltatio,“ quae aliis deliciis tamquam extrema additur.

v. 83. ascensu dubius — festoque remissus. Contraria falso necti ratum Lachmannum Iacob. coniectura sequitur: „Mons erat ascensus, dubius f. remissus.“ At, quamvis dubium hoc loco difficilem significare consentiamus: contraria quidem haec: „difficilis ascensu mons et male custoditus“ — ad Sabinos sunt: ad Romanos minime. Nam loca natura munitissima ideoque

ascensu difficillima maxime negligi ab oppugnatis solent. Cf. Sallust. Iug. 94. locum veluti in interpretationem nostri comparatum: quae dubia nisui videbantur, potissimum tentare (Marius) — Igitur — tandem in castellum perveniunt, desertum ab ea parte. — que igitur, ut toties, explicativum est; et sic optime nectitur illud: „Nec mora;“ — solam enim quae supererat custodiam canum obtruncat. Iacobi vero coniectura ordinem factorum, contra quam debet, invertit.

v. 85. Ex iisdem quae modo exposuimus argumentis recte illud quoque: Omnia praebebant somnos in libris legi apparet. Nam et securitas loci et crapula hesterna (cf. Ovid. Heroid. XIV, 33.) et silentium tubarum custodiaeque latrantis somnum Romanis faciebat. Atque bene iam Passerat. Ovidii locum (Fast. V, 429.) comparaverat: „Nox ubi iam media est, somnosque silentia praebent, Et canis et variae conticuistis aves“ quod cum simillimum sit, „nihil huc facere“ falso Lachm. ait. Vides, quo Marklandi coniectura abeat: Omnia praebebat somnus, quam egregiam Lachm. ait, sed meliorem suam: Omnia praebebant somni. Perit enim contrarii vis custodum dormientium et Iovis vigilantis. Nec de nihilo est, quod Burmann. Homerum (Il. β. 1. 2.) expressum observat: Ἄλλοι μὲν — Εὗδον παννύχιοι· Δία δ' οὐκ ἔχε νήδυμος ὕπνος.

v. 86. tuis — libri nostri omnes. Broukh. suis ex Leid. II., quem usque ad Iacobum editiones secutae sunt. At vid. Q. P. II, 6. s. II. §. 3. p. 114. Deinde

v. 87. portae fidem Passerat. non recte portam suae vel patris fidei ac tutelae traditam explicat, quasi Tarpeia vel ianitrix vel imperii paterni particeps fuerit. Recte igitur iam Heins. hunc locum comparavit cum Ovid. Amorr. III, 1, 50.:

Per me decepto didicit custode Corinna
Liminis adstricti sollicitare fidem.

Nec male Kuinoel. addit Virg. Aen. IX, 142.: Quibus haec medii fiducia valli. Recte enim portae ipsi fides tribuitur, sive claustris munitae, sive custoditae.

v. 88. ipse, Heinsii inventum, quo se commendet habet; nec Iacobus quem velit ipsa pro id quod volebat, vel ut voluit Plautino more dictum esse perquadet. Tum enim Latinitas flagitaret: quem vult. Sed recte libri. Iam enim confidentior puella, ut sibi diem nuptiarum dicere liceat, postulat.

v. 93. 94. Variis hic locus coniecturis tentatus est, cum in eo omnes haererent, quod post fabulam Tarpeiae tam pro-

lixe expositam, vulgatam nominis originationem additum iri expectabant. At eos auctores sequi Propertius maluit, qui cum L. Pisone et Dionys. Hal. virgini sceleratae tantum honorem tributum esse admirantes (cf. Nieb. H. R. I. p. 254.) a Sp. Tarpeio, duce et custode arcis, patre Tarpeiae (Liv. I, 11.), rupem et montem dicta esse traderent. Iniustam igitur Tarpeii vigilis sortem ait, quod, quamvis ipse homo frugi et fidelis, filiae proditione perierit. Huius igitur acerbae sortis solatium quodammodo et praemium habuit nomen aeternitate donatum. Sic Ovid. Fast. II, 421.:

Illa (lupa) *loco nomen fecit: locus ipse Lupercis.*
Magna dati nutrix praemia lactis habet.

Iacobus autem cum Tarpeio corrigere non ausus, iniuste tamen a Lachmanno acceperit, lectionem procreavit omni sensu destitutam. Nec vero rursus spurios hos versus, ut qui ad rem non pertineant, Lachmanno et all. credas. Nam clausula, qua cognomina prisca locorum explicarentur, carere hic libellus, *Αἰτίων* particula, non potuit. Cf. Q. P. II, 5. p. 81. s. fin.

Ceterum haud prorsus recte Niebuhr. l. l. hanc fabulam Graecis argumentis, quae de Scylla Nisi ferebantur, adulteratam a Propertio esse censuit. Hac enim narratione tanto magis abstinuisse poetam crediderim, quod eius ipsius recordantem Tarpeiam (v. 39.) hic facit. Eodem aut fortasse etiam maiore iure ad Licymnii Chii vel Hermesianactis exemplum compositum hoc poema dicas, qui Parthenio teste (Erot. c. 22.) Nanidem Sardensem Cyro arcem patriae eodem modo, quo hic Tarpeia Tatio, prodidisse narraverunt. Cf. A. G. Schlegel. in censura operis Niebuhriani Annall. Heidelb. a. 1816. p. 897 sqq. Bach. Hermes. frgm. 11. p. 184. At frustra utrumque. Nam alias etiam fabulas, easque antiquissimas, peragrasse quodammodo orbem et diversis maximo locis tamquam patrias venditari, satis notum est.

Elegia V.

Hanc quoque elegiam ad Cynthiae amores pertinere, in commentariis interpretationis poetae Germanicae docuimus. Nec quisquam dubitasset, nisi critici singula potius quam argumenti summam spectantes, vv. 54. et 55. egregie illo loco positos eliminavissent, iidemque v. 21. Doroxanium, nomen ab ipsis demum interpretibus fictum, pro puellae nescio cuiusdam appellatione venditassent. Hoc etiam iam tunc observavi, feminam malis artibus tentatam suam ab ipso Propertio amicam dici, cuius nominis honore nunquam aliam

praeter Cynthiam dignatus est. Adde, quod lenam penuria consumptam (67 sqq.) non dominam, sed ministram puellae cultae et divitis et sequestrem tantum turpis quaestus fuisse, ex toto carminis argumento apparet. Haec igitur Propertio eam ob causam inimica fuit, quod surdam sine aere lyram neque dominae neque sibi quidquam lucri ferre senserat. Cui interpretationi ne vv. 73. 74. obesse credas: hi facile ad tale tempus referri possunt, cum Cynthia uni praepotenti amatori, veluti praetori illi dedita erat (de quo vid. El. I, 8. add. Q. P. I, 6. p. 44 sqq. El. I, 5, 23. comm. ad III, 8, 25. IV, 7, 15.). Huius in domo lenam callidam Cynthiae a domino suspicioso custodiae causa additam fuisse, facilis coniectura est.

v. 1. spinis. Acanthidis nomen spinis tangi Iacobs. (Floril. p. 282.) censet. At non apta Propertio oratio ista est, qui quod sciam nunquam in nominum significatione iocose luserit.

v. 2. Et tua, quod non vis. Alii aliter. Immanem vero Eldikii coniecturam apud Santen. in ineditis non taceam: Quamque pater Pelopis. Quin haruspices ex Etruria arcessimus ad criticorum prodigia procuranda.

v. 3. et. Itali at procuderant. Mansit usque ad Lachmannum, qui ne ferri quidem illud posse concedere debebat. Tantum enim abest ut contraria sibi opponantur, ut quae generatim priore enuntiati parte dicta sunt, accuratius iam explicentur. Qua de figura vid. Q. P. II, 6. s. II. p. 159. Duplex autem hic est cum inferorum et sepulcri, tum Manium et ossium confusio. Quid enim, si animam post mortem corpore (cineribus) separatam voluisset, quid, inquam, tum cineri cum Manibus? Quid rursus ossibus cum Cerbero? At tu cf. comm. ad El. IV, 11, 20. III, 18, 32. IV, 7, 12.

v. 7. rumore mariti. „fama de marito in vulgus sparsa, eum nimirum vivere.“ Haec nimirum de vulgo interpretes. Pudet pudicitiae talis, ad quam vincendam artibus magicis non opus fuisset. At generosior Penelopae virtus, quam non spei aut metus redituri coniugis, sed memoria decoris et gloriae mariti ab indigno foedere absterreret. Quanto igitur rectius ipsa apud Homerum (Od. α'. 343.): τοίην γὰρ κεφαλὴν ποθέω μεμνημένη αἰεὶ ἀνδρὸς, τοῦ κλέος εὐρὺ κατ' Ἑλλάδα καὶ μέσον Ἄργος. Hunc igitur verum esse rumorem mariti, coll. El. II, 9, 3 sqq. non dubitabis.

v. 12. Stantia. Editores Ald. 2. primum Stagnaque effecerunt, quod, ut magnum, Kuinoel. adhuc retinet. Burm. vero haud procul abfuit, quin omnem hunc versum con-

clamaret. At rectissime iam Beroaldus: „Solida terra“ (adde rupes, saxa, firmissima quaeque) „in aquam converteretur, mutata rerum natura.“ Iure hoc probat Iacobsius, qui simile a glacie in liquorem dissoluta ductum esse censet. Recte; nam stare verbum proprium esse de rebus duris et rigentibus, ad El. IV, 11, 4. demonstrabimus; et de liquore contra atque hic in solidum concreto Ovid. Ep. ex Pont. IV, 7, 8.: Ipse vides rigido stantia vina gelu. Horat. Od. I, 6, 5. Recte vero etiam ablat. aqua, ne in aquam malis. Nam cum diluendo solidum aqua mutetur, ad huius verbi normam *κατὰ σύνεσιν* verba iuncta sunt. Ceterum in modis toties mutatis: cogeret; velit, poterit; moverit, diluerentur; cave ne nostri temporis grammaticos secutus differentias nescio quas subtiles de industria a Propertio expetitas esse opineris. Differunt sane significatione formae illae: sed ita tamen inter se cognatae sunt, ut aures potius et versum quam dialecticae rationes Propertium consultasse confidentius dicam, quia formae huic sententiae magis propriae (coegerit, et diluantur vel diluta fuerint) aegre pentametri legibus paruissent. Cf. praeterea Q. P. II, 6. §. 7. p. 119.

v. 14. fallere nova significatione abscondere sive occultare esse praedicant, nec tamen evincunt. Nam quod exemplum afferunt Ovid. Fast. III, 22.: furta fefellit, istud non aliter dictum est ac talia: proelium pugnare, vel viam ire. Virg. vero Aen. I, 684.: „Tu faciem illius noctem non amplius unam Falle dolo“ — faciem fallere, ut recte Cerda et Heyn. assimulare faciem, falso sumere faciem, vel fallendo sumere faciem est, prorsus contraria ratione ei quam hic interpretes nostri probant. Et tamen proximam Virgiliani loci et huius esse analogiam, quis non videat? Ergo terga fallere erit terga fallendo sumere, qualia antea non fuerant. Quae quoniam lupo (i. e. lupi figura — sic III, 22, 36.: faciem turpi dedecorare bove, ubi vid. comm. et Q. P. II, 6. p. 157.) falli dicuntur, ipsa terga lupina intelligantur necesse est. De accusativi vero usu, quo eventus verbi significetur, vid. comm. ad El. II, 1, 9. II, 7, 11. II, 20, 8. III, 22, 35 sqq.

v. 15. Posset ut. ut ab Italis recte iam dudum VV. DD. acceperunt. Possit vero ab iisdem in editiones propagatum Lachm. primus respuit. Accedimus huic, non quo possit „falsum de mortua dici“ concedamus (siquidem et velit et moverit de eadem dixit), sed quia eruit praeteritum est; nam iuxta positum est: consuluit. De sententia ad interpretationem Germanicam diximus. Nam cum

allegorica pleraque in superstitionibus his magicis essent (cf. comm. ad El. III, 6, 26.), cornicibus potissimum oculos eruit, quia his avibus visus est acerrimus. Hactenus igitur tantum proverbium illud huc pertinet: Cornici cornix oculos configit — quo callidum hominem a callidiore deceptum esse significatur. Cf. Interpp. ad Macrob. Sat. VII, 5. Cic. pro Muraen. 11. pro Flacc. 20. Nemesian. Cyn. v. 195. Gessn. ad Quintil. VIII, 3, 22. quem locum, quia nunc corruptissimus legitur, sic velut in transitu emendo: Unde imitatio Socratici dicti de equo: qualis et ille apud M. Tullium: „Pusio, qui cum maiore sorore cubabat," Et, „Cn. Flavius, qui cornicum oculos confixit." Nam libri optimi: intimo cratii (all. Timocratii) dictis de quo qualis. Hinc editores absurde paene refinxerunt: Unde interim grati idiotis ioci: qualis est ille.

v. 17. Consuluit — nostro de sanguine. Recte iam primi interpretes: de nece. Iuvenal. VI, 565.: Consulit ictericae lento de funere matris, Ante tamen de te Tanaquil tua.

v. 19. 20. Locus varie nec prorsus iniuria tentatus. Primum vero Exorabat recte habet. Neque enim magicis istis praestigiis quidquam profecturam fuisse lenam significat, nisi verborum fallaciis et blanda persuasione mentem amicae in obsequium sui duxisset. Opus igitur et effectum alioquin irritum verbis exorabat a Cynthia. Nam exorari non modo persona, ut faciat, sed res etiam, ut impetretur, Latine dicitur. Opus autem eventum et effectum operae esse constat. Terent. Heaut. I, 1, 21.: „At dices enim: quantum hic operis fiat poenitet" — „Quod in opere faciundo operae consumis tuae, si sumas in illis exercendis, plus agas." Alia exempla e lexicis repetas. Hinc iam quid sequentia desiderent, rectius aestimabis. Nam qui Exornabat facillima sane coniectura cum quibusdam Italis rescribunt, egregium illud simile perdunt, quo blandae preces et verborum lenocinia incorruptae puellae pudicitiam sollicitantia sensim et expugnantia cum molli simul et sedula aquae natura comparantur, quae vel durissima saxa assiduo tramite (via saxosa) tandem atterit. Hanc enim sententiam flagitari consentiet, qui illam aquae vim persuadendi efficaciae simillimam in proverbium paene abiisse apud veteres, reputaverit. Sic Lucret. R. N. IV. extr.: Nonne vides etiam, guttas in saxa cadentes Humoris longo in spatio contundere saxa? Ovid. A. A. I, 476. item de puella persuasione sensim corrumpenda: Quid magis est saxo durum, quid mollius unda? Dura tamen molli

saxa cavantur aqua. Adde Tibull. I, 4, 18. ipsum nostrum II, 25, 106. Ovid. Ep. ex Pont. II, 7, 39. IV, 10, 5. Graeci exemplum praeiverunt, quorum est versus paroemiacus apud Galen. de Temper. III. p. 84. D.: *πέτρην κοιλαίνει ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχείη.* Cf. Bion. ap. Stob. 29, 52. Gaisf.: *ἐκ θαμινῆς ῥαθάμιγγος ὅκως λόγος, αἰὲν ἰείσας καὶ λίθος ἐς ῥωχμὰν κοιλαίνεται.* Add. Aristaen. Epist. I, 17. p. 44. Epigr. *ἀδέσπ.* Anth. Pal. p. 241. Anall. Br. DCXV. T. III. p. 281. Anth. Gr. IV. p. 247. Iacobs. Animm. XII. p. 208. qui praeter alios citat Luperc. Anthol. Lat. III, XCVII. p. 551. — Hinc primum ceu ex optimis libris retinendum esse apparet, non, quod Iacob. invexit, seu. Nam, ne de interpretatione illius durissima dicam, seu cum coniunctivo praesentis post praeteritum soloecismus est. Iam culpa, quod v. 20. in optimis libris haesit, nequaquam sedere posse, ratio aperta docet. Nam si in comparationibus simile totum cum redditione sua ponitur, ipsa similitudo verbo uno proprio interiecto nisi ab infante versificatore non turbabitur. Metaphora enim fieret ex simili, quae rursus redditionem non patitur. Deinde culpa sedula pro sedulitate nefaria et flagitiosa — sic etiam Iacobs. Floril. — dubito an non Latinum sit. Itaque necessitate paene urgente reposuimus, quod Kuinoelius in Borrichiano — gallus in sterquilinio — invenit: lympha. Firmamentum, si quod est, nunc addimus libri Heinsiani auctoritatem qualemcunque. At magis utique quam ab Sardis illis venalibus, ab sententia fides petenda. Error autem ille librariorum non tam incredibilis est, quam Iacobsio videtur, modo *y* in veteribus membranis cum *u* passim confundi, tum vero aspirationem pro lubitu poni et omitti memineris. Tum librariis proxima tantum ut semper spectantibus, quoniam de culpa potissimum et malitia toto fere carmine agebatur, facile simillima vox culpa pro lūpa subrepsit. Sequitur verbum terat (pro eo, quod lapsu levissimo per omnes tamen libros propagatum est: ferat) nescio primum a Beroaldo, an ab interpolatore Pucciano repositum, verissimum autem. Cf. enim exempla supra posita. Denique perurat, quod libri optimi in antiquissimo exemplari fuisse diversis vestigiis indicant, Wakkerus (Amoen. Litt. XII. p. 104.) ideo sollicitavit, „quia obscurum esset, quo referretur.“ Itaque ipse pererret, Burm. vero: corda perurat tentavit, scilicet, quo magis etiam similitudinis proprietas perderetur. At perurat una cum terat ad saxosam viam (i. e. tramitem vel alveolum fontis rupi insectum) referendum. *Συνώνυμον* enim alterum verbum alterius. Cf. El. IV, 3, 23. Ovid. Ep. ex Pont. I,

5, 24. Horat. Epod. IV, 3. Lucan. VI, 193. Vides, quare saxosam viam Iacobsius, de itinere publico interpretatus, mirari non debuerit. Mirabilius profecto, quod ipse excogitavit, ab Alpium iugo metaphoram ductam esse, quod Hannibal (Liv. XXI, 37.) succendit et aceto putrefecit. — blanda vero quovis pretio a Burmanno rediman. Optime enim blandiloquae lenae fallaciae cum grato fontis murmure comparantur. Denique blanda et sedula non, quod vulgo censent, duo sunt attributa in unum substantivum male cumulata, sed alterum attributum, alterum (perurat) praedicati quasi accessio. Quo de genere vid. comm. El. II, 1, 2. Q. P. II, 6. p. 142. 143.

v. 21. Dorozantum. Ignotum hoc populi Indici nomen ignotiore meretricis Graecae Turnebus expulit. At ne Graecum quidem istud Doroxanium. Unde enim aut qua proportione formatum? Ceterum non Doroxanium, si dis placet, istam, sed Cynthiam lenae artibus peti in argumento demonstravimus. Iacobus fluvium in India *Hiron'yo váhos* i. e. aurifluum nomine invenerat. Hoc qualicunque modo a Graeculis corruptum exprimi a Propertio censuit. Eldikius coniecit: „aurum radians iuvat, aurea, ripa" auream puellam interpretatus; nimis sane facete, hoc est putide. Ego, si quid de librorum scriptura mutandum fuerit, Doanarum rescribam. Doanae enim oppidum iuxta fluvium Doanam circa Chersonesum auream, quam significari hic veri est simillimum. Cf. Ptolem. VII, 2. Marcian. 14. Add. Dionys. Perieg. 589. Arrian. Peripl. Erythr. p. 34. 37. Mela III, 7, 7. Plin. N. H. VI, 21, 23. Nec tamen praetereundum censeo, Auratum: Si te Eoa iuvat Nabatharumque a. r. emendasse, quia in veteri libro Debatharumque invenisset. Nam Debatarum certe ad marginem Regiensis 1481. biblioth. Diezianae Alexander Syncleticus, nobilis Cretensis, in cod. Crumaldi invenisse se testatur. Unde non de nihilo Volsci coniecturam esse censeas Debarumque; sed rectius fortasse, quod Loydium in Lexico Geogr. et Poet. emendasse Burmann. non intellexit: Debatarumque. Nam in tam incertis extremarum gentium nominibus, quis terminationes aliter atque aliter declinatas miretur? Prima contra nominis syllaba brevis est. *Δέβαι* enim Straboni (p. 777.) et Diodoro (III, 45.) audiunt. Ceterum de Debis, Arabiae populo, cuius ditionem Baetius fluvius auri fertilis percurrit, cf. Mannert. Geogr. ant. VI, 1, Forbiger. T. II. p. 749.

v. 23. Heins. Eurypylisque, scilicet ut esset Eurypylea textura. Sed quis unquam Eurypylum regem pensa fecisse exaudivit? Nec tamen defuerunt, quibus ille textor

placeret. Haud paulo rectius Iacobsius Floril. p. 237. Eurypyli Minerva coniungit. At verius, ni fallor, et magis Propertianum, si genitivum ex nomine insulae pendentem facias, quod in adiectivo Coae latet. Cf. comm. ad El. III, 22, 15. ad usum vero Graecum Pindar. Isthm. IV, 45. (III, 44. Dissen.): ἐν Ἀδραστείοις ἀέθλοις Σικυῶνος, et quae similia collegit Matthiae. Gr. Gr. §. 431, 1. p. 802. Brunck. ad Soph. O. T. v. 267. Ad rem vero Becker. Charicl. T. II. p. 340.

v. 24. Qui signa in vestibus stragulis auro intextis quaesierunt, hos quantum in adiectivis putria et secta sudare oportuerit facile apparet. Nam signa auro argentove facta nec putrescunt, nec dissecari possunt. Itaque, ut fit, ad coniecturas confugerunt, in quibus recensendis nunc non moror. Nam recte iam Passeratius toros spondas esse intellexit, crustis vel emblematis ornatas, sive ligneis, sive testudineis aut eburnis. Sic enim Statius Silv. III, 1, 38.: signis crescit torus asper eburnis. Hinc Iuvenal. VI, 80. testudineum conopeum dixit, et quod vulgo, ut hic ipse locus, falso ab interpretibus est acceptum ibid. v. 89.: Quamquam — segmentatis dormisset parvula cunis. Add. El. II, 13, 21. De his deliciis, quibus Graeci certe iam antiquissimi (cf. Homer. Od. XXIII, 219. sq.) lectos ornare solebant, vid. Plin. XVI, 43. XXXIII, 11. Ciacc. de triclin. p. 7. Fulv. Ursin. Append. p. 227. sq. De insania autem Romanorum vetustissima quaeque opera (hinc putria) captandi cf. Phaedr. V, prol. 2. Martial. IV, 39. VIII, 34. Recte porro secta. Sic enim ex Cereris aede Tuscanica crustas parietum excisas tabulis marginatis inclusas esse Plinius refert N. H. XXXV, 45. Neque in Graecia insanis his rapinis dominos terrarum abstinuisse consentaneum est. Quin eodem Plinio teste l. l. 43. s. 49. Lacedaemone quidem excisum lateritiis parietibus opus tectorium propter excellentiam picturae ligneis formis inclusum Romam deportavere.

v. 25. venalia Aegyptiaca interpp. vitrina et crystallina solum novisse videntur. Sed aromata omnis generis, telas, libros, papyrum, lina, stuppas, sindones, polymita, vestes Babylonicas, mancipia Aegyptiaca, vina Mareotica Casaubon. recte iam recensuit ad Sueton. Aug. 97. Cf. Cic. pro Rabir. Posth. c. 14, 40. ubi vid. locos ex Scriptt. Hist. Aug. ab Abramo citatos. Martial. XII, 75. Plin. XIII, 21. XIX, 2. XXXVI, 26. Adde flores factitios ex Adonidis hortis. Plin. N. H. XXI, 3. Boettig. Sabin. I. p. 231. De unguentis vero et odoribus, quorum maximus post Arabios honor, vid. Athen.

II. p. 66. D. III. p. 124. B. XII. p. 553. E. XV. p. 669. E. p. 688. F. Stat. Silv. II, 1, 161. II, 6, 87. Plin. N. H. XIII, 2, 6. — De murrinis vero cf. comm. ad El. III, 10, 22.

v. 29. Et simulare virum pretium facit. Frustra in hoc versu vel explicando vel refingendo VV. DD. aestuant. At proba sententia, modo verba apte coniungantur. Simulare enim subiectum enuntiati est; virum autem non ex hoc infinitivo, sed una cum pretium ex verbo facit pendet. Hoc igitur ait: Simulatio amatorem (virum κατ' ἐξοχήν) pretium facit, h. e. efficit, ut ex viro lucrum facias, ut ipse ille nobis quodammodo pro pecunia sit. Sic enim prorsus El. IV, 1, 81.: Nunc pretium fecere deos — ubi vid. comm. Amator igitur ita emunctus tibi sit instar Iovis ad Danaen venientis, de quo Ovid. Amorr. III, 8, 50.:

Iuppiter admonitus, nihil esse potentius auro,
Corruptae pretium virginis ipse fuit.

Recte autem simulare sine casu positum pro simulatione, ut ap. Ovid. l. l. I, 8, 35. — loco etiam ad sententiam simillimo: Decet alba quidem pudor ora; sed iste, Si simules, prodest. Add. Plaut. Cist. I, 1, 98.: Assimulare amare oportet: nam di ames extempulo Melius illi multo, quem amas, consulas, quam rei tuae. Nec quid simulari a puella lena velit, comparatis versibus insequentibus ambiguum erit; quid enim, nisi amoris cupidinem variis tamen causis et ipsis simulatis in proximam noctem vel ultra etiam dilatam? Hinc cum ipsam puellam velle credat amator, acriores flammae et proxima voluptatis instantis spe et mora de improviso iniecta auctae.

v. 31. Interpunximus, ut verborum nexus flagitabat; vulgo enim omisso ante utilis signo, sententiae partem, quae apodosi tribuenda est, occupant. Unde aut inter utilem et inutilem iram lena distinguere videatur — quod ineptum fuerit — aut nihil novi versu breviori addatur. Contra optime: Si te quando inhumanius laeserit, hoc quoque utile erit: irascere, pacem care mercabitur. Deinde v. 33. non recte faciunt, quod amplexum emptum et Venerem tamquam diversa disiungunt. Quid enim in amore amplexus significet, satis est notum. Ergo Venerem amplexu empto promittere idem est, quod fructum Veneris pretio proposito promittere, usu ablativi prorsus Propertiano, ut in ille (IV, 3, 63.): ascensis gloria Bactris. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 18. p. 136.

v. 34. sideris libri mss. omnes. Beroald. satis ingeniose: Isidis, forma tamen nominis minime Propertiana. Isidos enim hic scripsisset. Cf. Q. P. p. 165. Et doctius etiam

alterum. Iudaeorum enim superstitiones, quas aliorum Orientis populorum, Chaldaeorum imprimis, cultibus mixtas passim iam tunc Romae adoptatas esse constat (cf. Tacit. Ann. II, 85. Bynkershoek, de cultu relig. peregrin. ap. vett. Romm. Opp. T. I. p. 341. Walch. Comm. Soc. Gott. T. III. p. 8 sq. Meinertis Histor. Imperii Rom. labentis p. 269 sqq.), in tanta tamen sacrorum externorum congluvie variis erroribus obnoxias fuisse, iam Heindorf. ad Horat. Sat. I, 9, 69. recte observavit. Quod si singulares fabulas, quas Tacitus (Hist. V, 4.) de gentis illius religione et credidit et propagavit, reputaveris, minime admirandum videatur, si meretricula haec non plus quam reliqui Romani in ea re sapiat. Sidus igitur, quod iam Puccius intellexit, funestum Saturnum significat, quem sabbatis cultum esse vulgo existimabant. Cf. Tacit. Hist. l. l. Gesenium ad Iesai. II. p. 343, 4 sq. Hoc igitur sidus male auspicatum (cf. El. IV, 1, 84. Lucan. I, 650. VI, 569. Macrob. IX, 123. Plin. N. H. II, 8.) cum abstinentia et ieiuniis piari crederent, sabbata quoque castum diem et inedia tristissimum putabant. Cf. Casaub. ad Sueton. Aug. 76. Iustin. 36, 2. Heindf. l. l. Petron. frgm. XXXV, 6. Anton. Tibull. I, 3, 18. Hinc Ovid. A. A. I, 415. Remed. Amm. v. 219. tristem Saturni diem, Meleager vero (Anth. Pal. p. 110. V. ep. 160. *ψυχρὰ σάββατα*. Cf. Rutil. Num. I, 389. Nam Iacobs. falsam loci Meleagrei interpretationem, quam antea (Animm. ad Anth. Gr. T. I. p. 98.) dederat, postmodo ad Anth. Pal. l. l. (I. p. 128.) correxit. Nec vero nos Iacobi dubitatio movet, qui sideris diem simulari potuisse ideo negat, quia illum quivis scire potuisset. Nam de ignorantia et contemptione ritus Iudaici iam supra commemoravimus. Usus vero computandi per hebdomades dies ea aetate Romae minime pervulgatus erat. Cf. Dio Cass. XXXVI, 17. Bergk. Actt. Philol. Marburg. N. 85. p. 678.

v. 35. Apriles. Offendit pluralis numerus, quem primo aspectu ad sequentis versus vocem Idus referre pronum videatur, non aliena Propertio structura. Vid. Q. P. II, 6. s. II. §. 11. p. 123. comm. ad El. III, 19, 19. Quid autem Idus Apriles? Natalem diem modo huc modo illuc a meretrice ad singulos amatores decipiendos translatum esse aiunt, coll. Ovid. A. A. I, 429. Martial. VIII, 63. At uno tantum amatore praesente causam agi, in unum retia simul diversa tendi, tota, ut ita dicam, scenae dispositio docet. Unum autem eundemque amatorem diversis simul natalibus ementitis fallere, hoc profecto plus quam meretricium foret. Proxime igitur vero Beroaldus Calendas Apriles significari censuit, in eo tamen cum aliis interpretibus falsus, quod Apriles pro Calendis

Apr. Latine dici credebat. Immo cum Kal. Apr. meretrices sub myrto lotae Veneri sacrificare solerent (cf. Ovid. Fast. IV, 133 sq. ibiq. interpp.), aeque funestum illum diem amatoribus atque ipsum natalem visum esse Ovidius auctor est A. A. I, 405.; scilicet atros amanti dies existimat, quibus aliquid dandum sit (ibid. v. 418.). Hinc adeo fatale illi generi omne eius mensis nomen fuisse consentaneum est, ut in universum nominasse eum iam satis esset, unde quid ministra vellet, domina callida intelligeret. Quid, quod primis tantum diebus mensis non meminisse nominis eius solemus: in medio mense putida est admonitio. Recte autem Apriles poeta ait, non Aprilem; recurrentis enim quoque anno mensis eiusdem semper commonefieri puellam lena iubet. Quo de usu pluralis, quem conditionalem quodammodo dixeris, vid. comm. ad El. II, 7, 15. Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 151. Aliter Horatius Ep. I, 16, 16.: Septembribus horis; at simillime II, 14, 15.: Auctumnosque graves. — tundat deinde idem esse, quod crebro dicat interpretibus credere noli. Ubicunque enim isto modo positum invenitur, aliquam molestiae significationem admixtam habet (cf. Ruhnken. ad Terent. Hec. I, 2, 48.), quod qui semper eadem repetunt, aures audientium quodammodo obtundunt. Hic contra meretrici versutae verbo admonitam esse satis erat. Itaque tundere interpretor: clam latus fodere, quo gestu alterum ad ea quae aut dicturi sumus, aut tectius significamus, animum advertere iubemus. Optime autem verbum, quod declarandi vicibus fungitur, cum infinitivo *κατὰ σύνεσιν* copulatur. Similiter Ovid. Fast. V, 74.: Hinc sua maiores posuisse vocabula Maio, Tangor. Huc etiam pertinet Lucretianum illud (de R. N. II, 1128. Cr.): Nam certe fluere ac decedere corpora rebus Multa, manus dandum 'st. Audaciora id genus plurima e nostro collegimus Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 156.

v. 45. cantica recte Lachm. ab Heinsii audacia defendit, qui brachia editionibus obtruserat. Nec tamen cum illo ad Virg. Catalect. XI, 19.: „Dulcia iactantes alterno carmina versu“ — provocem. Magis viros, quales hic inter femineas cathedras versari finguntur altera significatio verbi deceat, quae est apud Ovid. Met. XI, 153.: Pan ibi dum teneris iactat sua carmina Nymphis — et Panegyr. Pison. 203.: At voluisse sat est: animum, non carmina iacto. Vulgo enim isti iactare se artesque suas scortis dicuntur, ut Liv. XXXIX, 43. Iuvenal. I, 62. Sil. Ital. XII, 247.

v. 47. ad dantes i. e. iis, qui dona ferant, vel: si

quis dona ferat. Usum eius praepositionis illustravimus Q. P. II, 6. p. 134.

v. 48. in obductam seram. Crassa Minerva interpretantur: in obducta sera. Nec melius Markland., qui rescribere hoc ipsum voluit. Hac enim lege quidvis liceret. Iacobs. Floril. p. 241. in ut Graecum εἰς positum existimat, ut sit: somniet securus de sera obd. At nec surdus est securus, et aliud est non curare pulsantem, aliud de foribus non sollicitum esse, quasi ille frangere eas voluerit. Sagacius hic Burmann. ex Voss. 4., ut ait, abductam legendum censet, ut sit: usque ad mare. Conferre possis Ovid. Amorr. I, 6, 24.: Tempora noctis eunt: excute poste seram. At verum iam dudum I. Fr. Gronov. perspexit, qui Diatr. Stat. c. 51. p. 336. „inclinatus in seram obductam" interpretatur. Praegnans est praepositionis usus, de quo vid. comm. ad El. II, 9, 12. locum a Broukh. non melius explicatum. Add. II, 17, 6. Q. P. II, 6. p. 133. Egregie autem hoc uno vocabulo habitus custodis nictantis et in fores sensim somno inclinati describitur. Magis etiam veram interpretationem sentiet, qui seram non clostellum, sed trabem valvis obiectam esse meminerit. Vid. Becker. Gall. T. II. p. 255 sqq.

v. 50. nec libri omnes. Lachm. edicto licentiore neque scribere iussit. Et de Virgilio quidem, unde maxime Lachm. neque iniuria argumenta sua repetit, ita diligenter rem egit Wagnerus (T. IV. exc. XXXII. p. 525.), ut quantum ad rem nostram pertineat, hinc satis videatur haec exscripsisse (p. 513.): „Nec — ubi praecesserit, et repetita negatio vim habet Graeci οὔτε — οὔτε vel καὶ — οὔτε — οὔτε, consentaneum est, nec sequi, non neque, quae quidem regula constantissime servatur." Et sedulo eam observatam video a Propertio, ut II, 4, 9.: Quippe ubi nec causas nec apertos cernimus ictus. Add. II, 9, 13. II, 18, 33. Contra vero nunquam commissum. Praeterea si quas normas in illis particulis Prop. sibi scripserit, quaeras, Neapolitanum maxime secutus primum hoc facile observavi, nec tanto frequentius positum esse quam neque, quanto pluribus dactylorum sedibus commoda sit. Nam versuum certe mensura, ubicunque neque locum habere potest, illic etiam nec admittit. Contra minime. Huic cum accedat, ut particula iterationibus veluti comparata, ultro in eius figurae usum cedat, quae inter σχήματα λέξεως omnium frequentissima est Propertio, ἀναφορὰν dico: ingens hoc utriusque numeri discrimen natum est, ut „neque" vigies quinquies omnino inveniatur, „nec" centies nonagies semel. Huius au-

tem posterioris numeri 168. exempla sunt, ubi nec in arsi positum cum altero neque commutari non potuerit, inter quae rursus 142. Nec ab initio versuum positum habent. Haec igitur in disquisitionem nostram non cadunt. Ad reliqua hanc legem sibi poeta scripsit, ut in universum ante vocalem neque mallet, ante consonam nec; siquidem neque illo modo positum undevicies habet, hoc vix sexies; rursus nec (in thesi) legitima ratione sexies decies, contraria septies. At certis illas ipsas exceptiones finibus circumscripsit: ita quidem ut primum, plane ut Virgilius (Wagner. l. l. p. 527.), in thesi sedis primae hexametri semper neque ante consonantem poneret, hisce locis: II, 1, 39.: Sed neque Phlegraeos. III, 2, 17.: Nam neque pyramidum. IV, 8, 43.: Sed neque suppletis. IV, 8, 75.: Tu neque Pompeia. IV, 11, 41.: Me neque censurae. Praeterea nusquam. Contra nec in thesi ante consonam nusquam, nisi post πενθημιμερῆ aut post ἑφθημιμερῆ inveni; his vero in sedibus semper. Documento sunt El. I, 8, 1. II, 1, 21. II, 18, 33. II, 23, 17. III, 14, 31. IV, 1, 145. IV, 2, 5. — II, 6, 3. II, 9, 15. I, 9, 17. II, 16, 34. II, 19, 23. III, 15, 9. IV, 2, 3. IV, 3, 15. IV, 5, 57. — exempla sedecim universa. Unum in tanto numero exemplum superest, quod cum contra utramque normam simul pugnet, quin corrigendum sit non dubito, II, 28, 5.: Sed non tam ardoris culpa est neque crimina coeli. Nam, ne forte sequentis litterae natura hoc factum esse credas: ante omnes pariter consonas nec ponitur, et ab omni parte simillimi sunt hi versus III, 9, 13.: „Cum tibi nec Peleus aderat nec caerula mater," et II, 16, 33.: Tot iam abiere dies cum me nec cura theatri —. Quin syllabarum temperatura et numerus versus magis etiam hoc modo Propertiana forent. Cf. Q. P. II, 6. s. IV. p. 183. Ante vocalem neque legitimum esse supra diximus. Nec tamen ponitur, ubicunque fortius aliquid significandum est, quam sola vel copulandi vel negandi vis (cf. Wagner. l. l. n. 7. p. 531.), ut cum est pro ne — quidem. Sic El. I, 14. extr. ubi tamen N. et Hb. vel habent. Deinde cum aliud nec antecessit, ut illo ipso loco et II, 4, 9. In his porro exemplis: II, 26, 53.: Crede mihi, nobis mitescet Scylla — nec unquam. IV, 11, 41.: Me neque censurae legem mollisse — nec ulla — non propter sedem versus „nec" scriptum puto, quamvis Propertius aliter ac Virgilius (Wagn. n. 6. p. 531.) ante ultimum pedem neque vitasse videatur: sed propter extremae vocis significationem. Nam sic etiam nulla alia causa aperta III, 9, 8.: Fama nec ex aequo ducitur ulla ingo. Hic enim quomi-

nus propter sequens ex positum credas, El. I, 20, 14. impedit: Galle, neque experto semper adire lacus. Hoc potius recte videtur colligi, ante ea vocabula, quae in negativis tantum enuntiatis locum habent, nec solitum esse usurpari. Et sic, quod fugisse Wagnerum miror, Virg. Aen. II, 432.: tela nec ullas. 467.: nec ullum. IV, 529.: nec unquam. Hinc Georg. III, 352. ex cod. Romano reducendum duco: nec ullae. Nam ita ante consonantem quoque, ubi alias tamen Virg. in eadem sede neque admittit, Georg. III, 559.: — nec viscem quisquam. Aen. II, 159.: — nec legibus ullis. III, 192.: — nec iam amplius ullae. III, 214.: — nec saevior ulla. IV, 338.: — nec coniugis unquam. V, 783.: — nec mitigat ulla.

Unus ap. Propertium locus restat (El. III, 3, 42.): Nil tibi sit — Flare, nec Aonium cingere Marte nemus — ubi cum nulla causa fuisse videatur, quin neque poeta scriberet, hoc fortasse vel codd. invitis reponendum fuerit. Certe iisdem conditionibus El. I, 1, 36.: sua quemque moretur — Cura neque assueto mutet amore locum. Ceterum eam quoque Wagneri observationem libri nostri confirmant, frequentius multo librarios a neque ad nec aberrasse, quam contra, siquidem alterius lapsus ne unum quidem inter 191. exempla inveni (nam III, 15, 9. D. aut pro nec. I, 14. extr. vel. Hb. N. a praeter D.), contra alterius inter 25. haec septem: I, 8, 41. II, 16, 31. (D. nec.) IV, 10, 21. (A. R. nec.) II, 17, 12. II, 29, 26. (G. nec.) II, 19, 5. (H. nec.) IV, 1, 107. (R. nec.) Vocalis denique sequentis naturae nihil interfuisse video, utrum vocabulum poneretur, nisi quod utrumque ante a — frequentissimum, ante u — bis tantum apud nostrum nec; neque nunquam occurrit, casu an per legem, nescio.

v. 51 sq. Genitivum quorum aut more Propertiano positum puta, cum alius dativum maluerit (quo de genere vid. Q. P. II, 6. s. II. §. 20. p. 139.), aut cum colla iunge per hyperbaton coll. Q. P. l. l. §. 10. p. 121. De hypallage vero adiectivi vid. ibid. §. 24. p. 143.

v. 52. Caelati. Passer. ci. Cretati ingeniose. At recte Iacob. cretatos pedes barbarorum (quibus scilicet venales esse significentur) titulo iam notari observat. Contra caelati optime, non (quod post Puccium et Beroald. Vulpius defendit) stigmatici servi dicantur, sed barbari corpus acu vel caelo pungentes. Quo de usu vid. comm. ad Prop. interp. Germ. El. II, 18, 23.

v. 55. 56. Hos versus Scaliger excidit, nervos scilicet totius elegiae, qua una licentia peius puto carmen hoc de-

curtavit, quam ullum praeterea alterum. Recte Iacobus: „Recitat pessima anus in Propertii irrisionem illos versus, et praeceptum subsequens eis adiungit, ex re ipsa desumptum.“ Vid. praeterea argum. h. el.

v. 58. Iatius Gron., quod Iacob. praetervidit. Deinde pro aere nescio quis Italus primus arte dederit. Libri probi omnes aere, quod non argutiis sed ipso sententiarum nexu defendere Lachm. debebat. Egregie enim illud ἦθος lenam decet, cui nullus nisi aeris sonus gratus. Haec cansa est despectae et irrisae artis. Prae hoc eximio colore vix dici potest, quantum alterum: sine arte supervacuum langueat. Sed placuit olim Marklando!

v. 61. victura. De usu hoc partic. fut. elegantissimo cf. Q. P. II, 6. p. 141. Mox v. 64., ut in libris legitur, indocti monachi foetum esse vulgo censent; et eiecerunt. Quae medicina ut minime est operosa, ita critico indigna. Nam sententia proba est, et unde Ovidii versum (Trist. IV, 6, 42.): Vixque habeo tenuem quae tegat ossa cutem — expressum esse haud dubie dicam. Sed propter hanc ipsam facillimam sententiam quae nihil nisi pronomen desiderat, quo cuius sint illa ossa et cutes significetur, numerorum labentium fulcrum difficillimum est ad inveniendum. Itaque, ut legi tamen versus posset, iam receperam Iacobi coniecturam: Per tenuem ossa mihi s. n. cutem — quamvis, quo tandem librariorum errore hinc communis omnium codd. scriptio procusa esset, minime intelligerem: cum eandem sententiam produturam vidi, si in ipso ulceris manifesti loco proximis duabus ab utraque parte litteris repetitis et spiritu addito has scriberetur. Nam hae cutes — meae sunt, usu pervulgato. Itaque contractis quodammodo vulneris marginibus laceratum versum sarcire conatus sum. Qua cura quamvis iucundum versus sonum, sibilantibus quippe undique litteris et dura ante pentametri caesuram synaloephe, minime effecisse me glorior: tamen, quoniam in hoc carmine non quid elegantissimum esset, sed quid corruptionis originem atque viam facillime monstraret, quaeri potissimum intellexi: in ordinem illud, donec meliora probarentur, recipere non dubitavi.

v. 69. exspirare libri mss. exsputare a Gebhardo est, scilicet cui non satis sputorum versu 68. fuerint. Ceterum subiectum infinitivi, non ut vulgo lenam, quod durissimum, sed animam puto. Exspirare ut toties absolute positum. Recte autem anima ipsa exspirare dicitur, siquidem eadem spirans aura appellatur (Serv. Virg. Aen. IX, 645.), quae Ciceroni (N. D. II, 6. fin.) spirabilis animus

est. Neque aliter spirantes animos dictum puto El. IV, 7, 11. ubi vid. comm.

v. 70. pergula antiquam esse scripturam omnium codd. vestigia indicant. tegula, quod Puccius invenit, Heins. et Salmas. in Tertull. de Pall. p. 256. de fracta testa, qua ignem servare pauperes soliti fuerint, interpretandum esse minime evincunt. Nec quidquam huc facit Ovid. Fast. VI, 316. ad quem locum Burm. provocat. Quod vero idem El. IV, 7, 22. et 47. huc refert, absurdum illud est ut quod maxime. Praeterea quis uno versiculo idem bis dici ferat, tegulam (i. e. focum) algentem et focum horrentem? Pergula vero tugurium est. Gloss. Vett.: Pergula *μεσόδμη, ὑπερῷον, ὀροφή, στενὸν οἴκημα.*

v. 71. fuerant. Passer. ci. fuerunt. Vid. comm. El. I, 12, 29. De mitra, quam a vinculis i. e. a taenia sive fascia Prop. accurate discernit (cf. Boettig. Sabin. I. p. 156.) ad El. II, 29, 15. diximus; ne interpretibus hic credas, omnia, ut in tali re fit, confundentibus. Vetularum imprimis illud tegumentum fuisse testantur Ovid. Fast. IV, 517. Antipat. Sidon. Ann. Br. II, 31. ep. 89, 4. Anthol. Gr. II, 32. Anth. Pal. p. 217.

v. 74. clatra primus Beroald. dedit librorum vestigia aperta secutus. Docti Itali claustra, quod idem Beroaldus proposuerat, nec tamen, ut minus exquisitum, probat. Nec vero nos movet, quod Caper grammaticus (p. 2248. Putsch.) clatra pro clatri dici verbis disertis vetat. Immo hoc ipso edicto non defuisse qui ita dicerent, declarat. Ceterum coniunctivus forent post cum positus certum quoddam tempus certamque rem significari hic docet. Qua observatione egregie firmari apparet, quae vel de argumento huius carminis, vel de lena ista et de amica supra exposuimus. Frustra enim sunt interpretes, qui cum — quandocunque hic esse aiunt, ut tempus iteratum significetur. Repugnat constans Propertii usus, de quo vid. Q. P. II, 6. s. II. §. 7. p. 118.

v. 75. Ne hic quidem sine exemplis Graecis Prop. scripsit, qui salsum illud in monumento aenigma egregie illustrant. Iam pridem enim comparaverunt ep. *ἀδ.* Anth. Pal. VII, 329. Ann. Br. T. III. p. 293.: — *ἀλλὰ πίθος μοι — σύμβολον εὐφροσύνης τερπνὸς ἔπεστι τάφος.* Iacobs. Floril. p. 244. addit Antipatr. Sidon. Anth. Pal. VII, 353. Ann. Br. II, 90. p. 31. ubi *κύλιξ* pro monumento. Sed

Ἓν δὲ τόδ' αἰάζει καὶ ὑπ' ἠρίον, ὅττι τὸ Βάκχου
ἄρμενον οὐ Βάκχου πλῆρες ἔπεστι τάφῳ.

Argutius etiam et nostro loco similius, unde illud expressum, Leonidae ep. Anth. Pal. VII, 455. Ann. Br. I. p. 243. n. 87.:

Μαρωνὶς ἡ φίλοινος ἡ πίθων σοδὸς
ἐνταῦθα κεῖται γρῆυς, ἧς ὑπὲρ τάφου
γνωστὸν πρόκειται πᾶσιν Ἀττικὴ κύλιξ
στένει δὲ — κ. τ. λ.
Ἐν δ' ἀντὶ πάντων, οὔνεχ' ἡ κύλιξ κενή.

Vides unde illud supra: Et tua, quod non vis, sentiat umbra sitim: vides vero etiam ludibria in convicia versa. Nam novum hoc, quod et veram amphoram Propert. et curto collo esse vult, symbolum satis manifestum et cui Oedipo interprete non opus sit.

v. 76. Operarum vitium hanc, quod ex Broukh. ed. in plerasque alias manavit, Lachm. sustulit. Idem v. 77. caedito, 78. adiice rescripsit, cum antea caedite et addite verissimum iudicasset. Hoc N. cum secta sua et M. tuetur, illud Livineius commentus est. Sed addite errore facillimo ex adice natum, quo modo semper in N. Hb. D. formae istae exarari solent. Quod autem o in imperativo primum ab Ovidio et ab hoc ipso semel tantum (Trist. IV, 3, 72.) correptum esse ait, quis omnium librorum consensu fretos istud „primum“ et „semel tantum“ in Propertium convertere nos vetet?

Elegia VI.

De consilio huius carminis vid. Q. P. I, 5. p. 28., de tempore et occasione scriptionis ibid. et III, 3. p. 228. Cave enim, ne hic interpretibus te confidas, qui omnia miscent, qui hos ludos Actiacos Palatinos iam a. U. 738. tertio actos aut cum alteris Actiis aut cum ludis saecularibus eo ipso anno celebratis confundunt. Illa enim Actia statim post victoriam a. 723. in ipso littore Actiaco ab Augusto instituta sunt, vel potius redintegrata. Cf. Callim. *ἐν τῷ περὶ Ἀγώνων* ap. Harpocr. et Suid. s. v. Iacobs. Animm. ad Anth. Gr. IX. p. 181. Triplices ludi erant more Graeco: musici, gymnici, curules (Dio Cass. LI, 1.) aut, si Stephano Byz. fides (v. *Ἄκτια*) gymnici, musici, navales, et qui annis alternis celebrarentur (*τριετηρίδες*). Contra hi, qui Romae et in Palatio agebantur in memoriam pugnae a populo decreti a. U. 726. (*ψηφισθεῖσα πανήγυρις*), quinquennales erant et proprie *πεντετηρίδες* (Dio Cass. LIII, 1.), i. e. qui quinto quoque anno sive quattuor semper annis integris interiectis recurrerent. Testis Dio, qui LIV, 19. a. U. 738. Agrippa praeside quarto eos habitos esse tradit.

Hoc propterea admoneo, quia usum Romanum in voce quinquennalis non constantem fuisse cognovi. Nam Neroniana certe aliter quinquennalia dicta (Sueton. Ner. 12. Tacit. Ann. XIV, 20. Gruter. C. I. 116, 3.), per lustra i. e. sexto quoque anno ineunte recurrentia. Vid. Tac. Ann. XVI, 3. ibiq. Lipsius. Ceterum Actiaca haec Romana curulia tantum fuisse ex eodem Suetonii loco colligitur. — Sagax autem Lachmanni est coniectura, qui hoc quoque carmen Propertium Dierum vel Fastorum operi inserturum fuisse propter v. 67. suspicatur. Nec tamen rursus quidquam impedit, quin panegyricum hunc separatim inter amicos divisum pro integro carmine haberi voluerit. Ceterum in allegoria, quae decem primos versus obtinet, magnopere cavendum est, ne ad vivum resecare metaphoras, neve quae singula significent, anxie quaerere velimus. Quid enim iuvenca, quid costum, quid laneus orbis, quid denique lymphae translatione soluta in carmine significent, putidum est explorare. Sacerdotem se fingit poeta. Hoc cum datum sit, cetera, quae sacrorum sunt, sponte sequantur. Interdum tantum allegoriae vel per attributa, vel dum propria quasi perlucent (ut cera v. 3. vates v. 10.) admonemur. Ac primum de sacrificiorum et poematum similitudine accuratius diximus ad El. III, 1, 3 sqq. et Observv. a. 1836. p. 5. Hinc v. 2. quid mei foci sint, satis apparebit. Iam vero v. 3. rescisso quodammodo allegoriae velo Cera Romana, ait, certet Philetae hederis. Nam in hoc etiam. extremo verbo variat certe metaphoram. Illam vero ceram cum tabulam ceratam esse Scaliger non intelligeret, Serta coni. Sed iure alterum Lachm. defendit. Nam tabula ut El. III, 1, 18. II, 34, 87. 89. pagina pro carmine atque adeo pro ipso qui canit poeta ponitur. Add. Q. P. II, 6. p. 134. Eodem modo corymbi, ornatus et honor carminis elegiaci, pro hoc ipso est. Cf. item comm. ad El. III, 1, 19. Iam Philetaeis pro eo quod sine sensu libri exhibent Philippeis, verissima coniectura Beroaldus, non Volscus substituit, quem tamen inventionem hanc tamquam suam in commentariis iactare non puduit. Cf. Q. P. III, 6. p. 250.

v. 4. Quid aquae Cyrenaeae velint, coll. comm. El. III, 3. fin. IV, 1, 59. dubium non erit. Ab initio vero pro Et C. Itali: Atque C. correxerunt, nescii haud dubie duplicis eius nominis mensurae.

v. 7. 8. „carmenque r. a. tibia Mygdoniis libet e. cadis.“ Qui Cadis initiali maiuscula scribunt, obscuri oppiduli commemoratione metaphoram egregiam evertunt. Primum enim cum liquore eoque in sacrificium adhibito

carmen tibiae comparari, iam ipsum verbum libare docet. De utroque genere accuratius diximus comm. III, 1, 3. III, 3, extr. et quae proxime ad rem nostram faciunt, ad El. IV, 1, 59. Hoc tamen eximium est, quod ne metaphora prorsus in allegoriam et aenigma abeat, proprium uno certe verbo indicatur, reliquam versus partem translata obtineant. Quod duplici modo fieri posse apparet, cum aut verbum (ῥῆμα dico) proprium sit, nomen translatum, aut contra. Alterius rationis exemplum in eodem argumento apud Pers. Prol. 13. sq.:

Corvos poetas et poetrias picas
Cantare credas Pegaseïum nectar —

pro quo profecto non amplius erit, qui codd. deteriorum ope Manare reponat, si haec exempla contulerit: Antipat. Sidon. LXXV. Anall. Br. T. II. p. 26. Anth. Graec. II. p. 27: ᾧ σὺ μελίσδων βάρβιτ' ἀνέκρουου νέκταρ ἐναρμόνιον. Meleag. I, v. 35. Anall. Br. T. I. p. 1.: τὸ μὲν γλυκὺ κεῖνο μέλισμα νέκταρος. Ex Latinis vero Plaut. Poen. 1, 2, 112.: mulsa loqui. Nec vero prorsus apte Pindar. Ol. VII, 12. sq. Theocr. Idyll. VII, 82. Nestor. Larand. Anall. Br. II. p. 344. Martian. Capell. IX. Honest. Anall. Br. II. p. 289. Ep. III. conferunt, quoniam non in eo difficultas, quod carmina cum nectare comparantur, sed quod simile cum proprio eo quo diximus modo miscetur. Alterius autem rationis exemplum splendidum apud Pindarum est Nem. III, 76. sqq.: ἐγὼ τόδε τοι πέμπω μεμιγμένον μέλι λευκῷ σὺν γάλακτι — κιρναμένα δ' ἔερσ' ἀμφέπει — πόμ' ἀοίδιμον Αἰολῆσιν ἐν πνοαῖσιν αὐλῶν, cui si Alcaei locum addideris Ep. V. Anall. Br. T. I. p. 486. qui item in tibiis, quasi cratere flatus cum voce canentis temperari dicit: σύμφωνον μαλακοῖσι κεραασσάμενος θρόον αὐλοῖς, non amplius dubitabis, quin hic ipsae tibiae — cadi Mygdonii i. e. Phrygii dicantur, ex quibus carmen quasi merum in aras fundatur. Ingeniosa autem Viscontii coniectura est (Mus. Pio-Cl. T. VII. p. 16. interp. Gall.), poetae animo doliola illa tibiis haud dissimilia obversata esse, quorum exempla coll. Strabon. V. p. 151. Plin. N. H. XIV, 27. duo profert. Hinc Mygdoniis modis, Italorum inventum, si pro interpretatione habeas, ferendum esse, sin pro emendatione nobis obtrudatur, vel furcis expellendum esse apparet. Ne multa — quae nostratibus dura videatur et insolens metaphora, ea veteribus ita familiaris erat, ut alia addita figura ipsos scriptores, non modo carmina, quasi vina infundi Persio liceret fingere. Sat. I, 79.: Hos (i. Pacuvium, Acciumque) pueris patres infundere lippos

cum videas. Adde quod de Homero dictum Ovidii ad El. III, 3. extr. excitavimus. Quinimmo quos vulgo ieiunius explicari video Ennii versus (ap. Non. I, 140.) huc pertinere aio:

Enni poeta salve, qui mortalibus
Versus propinas flammeos medullitus.

Unice enim ea quam significamus interpretatio nostra Dionysii Aenei exemplo firmatur ap. Athen. XV. p. 669.:

— *δέχου τήνδε προπινομένην*
τὴν ἀπ' ἐμοῦ ποίησιν· Ἐγὼ δ' ἐπιδέξια πέμπω
σοὶ πρώτῳ Χαρίτων ἐγκέρασας χάριτας.
Καὶ σὺ λαβὼν τόδε δῶρον ἀοιδὰς ἀντιπρόπιθι κ. τ. λ.

Denique ne quis in eo haereat, quod tibia ipsa cadis (qui tamen sint tibiarum imago) libare carmen dicatur, cf. El. II, 7, 12. III, 17, 37. — recentes arae quid velint, v. 10. novum iter docet coll. El. III, 1, 3. 17. III, 3, 26. ne de ara templi Palatini instaurata cum Bachio (Ingen. Eleg. Rom. p. 209.) cogites. Rectius aram vivo cespite extructam cum Kuinoel. dicas, modo ne hanc ipsam metaphoram esse obliviscaris. Novum enim genus carminis est panegyricus hic elegiacus.

v. 9. Cur alio aëre potissimum fraudes esse iubeantur, nemo interpretum dixit. Nobis votum hoc ad proverbialem locutionem illam pertinere videtur, qua res ventis tradi ab utriusque linguae auctoribus dicuntur, cuiusque generа diversa ad El. II, 28, 2. accuratius illustravimus.

v. 10. pura — laurea. Vid. comm. ad El. IV, 1, 61. Frustra sunt, qui de castitate Daphnae nescio quid somniant. Rectius *παρθενίην δάφνην* — Meleag. 27. coll. Iacobs. Animm. Anth. Gr. Addend. T. III, 2. p. 375. contuleris. Pura autem in sacris omnia esse oportebat. Cf. comm. ad El. III, 1, 3. Fest. s. v. Pure lautum. Pura vestimenta. p. 249. Müll. p. 130. Lindem. Purimenstrio p. 253. M. p. 216. L. Brisson. Formull. I, 8. p. 6. sqq. Interpp. ad Eur. Alc. v. 21. Imprimis vero Apollinem pura folia decuisse, Aesch. Suppl. 222. Pindar. Pyth. IX. 16. docent, et quae Od. Müller. De Doriensibus I. p. 302, n. 1. exponit. Add. El. II, 32, 28. Eurip. Orest. 1604. Declam. de Haruspicum respons. 25. §. 55. De itinere molli cf. comm. El. III, 1, 19.

v. 11. referemus optt. codd. auctoritate Lachm. Propertio reddidit: „Canet enim Propertius: Musae favorem expetit.“ Burm. reseramus, non male (cf. enim ad El. IV, 1, 57.), modo libri addicerent. Ad argumentum versuum insequentium cf. Q. P. I, 5. p. 29.

v. 15—18. Lachmannus (ad El. IV, 1, 103.) portus pro genitivo habet, quod nimis est impeditum; Bach. l. l. pelagûs genit. Graecum credit, quod immane est. Immo portus cett. fugiens subiectum est. Illic portus esse dicitur, ubi sinus murmura maris Ionii condat, i. e. ubi in sinum recedens murmura ponit (cf. El. IV, 4, 61.). Hic ipse sinus eleganti appositione et pelagus dicitur (est enim maris pars), et monumenta carinae Iuleae, et via facilis nautis. Monumentum enim omne est, quo alicuius rei admonemur. Cf. comm. El. III, 11, 59. pelagus autem via, ut Pelion — iter El. II, 1, 20. Actia denique attributum vocis monumenta, cum proprie ad pelagus deberet referri, figura Propertio admodum familiari, de qua diximus Q. P. II, 6. p. 144. Nec vero omnibus votis abstinendum esse in eo sinu Propert. ait, ne Barthio credas. Nam ut pia precentur, ipse admonet El. III, 11, 71. Et extat tale nautae votum Apollini Actiaco suspensum Anthol. Pal. VI. p. 190. n. 151. Philippi Thessalon. Anall. Br. II. p. 214. n. 11. cuius extremi versus hi sunt:

Ἀνδ' ὧν ἱλήκοις, ἐπὶ δ' ἱστία πέμψον ἀήτην
οὔριον Ἀκτιακοὺς σύνδρομον εἰς λιμένας.

v. 21. Teucro — Quirino. Sic libri sani omnes. tenero — Q. absurdum Italorum commentum, sive Volsci, sive interpolatoris Pucciani. Haesit tamen libris impressis usque ad Lachmannum. At rectissime hic (coll. Horat. Od. III, 3, 23. Sil. Ital. IV, 229.): „Antonii classis et Cleopatrae arma Divo Quirino ab Augusti partibus stanti damnata erant. Sic intellige, non Augustum pro Quirino." Hoc enim commentum Passeratio placuerat (coll. Serv. Aen. I, 292.), quo tamen paullo circumspectior Beroaldus tenerum Quirinum — Antonium ludibrii causa dici censebat. Teucer vero cur Romulus dicatur, ad interpretationem Prop. Germ. coll. El. IV, 1, 46. exposuimus, quae apud doctos repetere piget.

v. 22. acta. Sic recte e G. Lachm. apta, quod vulgo editiones occupaverat, cum ablativo iunctum Latinum non esse post Marklandum Burm. perspexit.

v. 23. Quam egregie signa vincere docta patriae suae (dativ.) dicantur, ut quae iam apud Mutinam et Perusiam exercitus ad victoriam duxerint, nunc nemo dubitat. Et tamen Passeratii interpretationi ita fere exponentis suum „Pessime" impingere Broukhus. potuit.

v. 25. acies Nereus lunarat. Dio Cass. L, 31.: *τὰ κέρατα ἐξαίφνης ἀμφότερα ἀπὸ σημείου ἐπεξαγαγὼν ἐπέκαμψεν.* Hoc cur Nereo tribuatur, haud inepte

quaerit Chr. Bachius. Respondebunt exempla Q. P. II, 4. p. 78. congesta.

v. 26. et, quod errore meo aut operarum in ordinem receptum est, recte G. et H. omittunt. Cf. Q. P. II, 6. p. 125. iam, quod codd. omnes et edd. vett. tuentur, multo elegantius et evidentius, quam icta Dausqueii et Heinsii coniectura, ante Lachm. tamen passim recepta. At recte hic confert Varr. ap. Non. VI, 16.

v. 28. una. Verissimam hanc Volsci coniecturam, qua illi interpolator libri G. et Ed. Ven. 1472. princeps (Bachio teste) et P. praeiverant, recipere cum Iacobo non dubitavimus, nec quidquam curamus latrantem Broukhusium, qui rabioso similis in Italum illum invehitur, scilicet quod ab aliis alias etiam insulas errasse quondam traderetur, ut a Sen. Q. N. III, 25. Plin. N. H. II, 95. Ipse crassa Minerva: ante reponit, quod usque ad novissima haec tempora in editionibus haesit.

v. 29. Vix credibile est, quod Chr. Bach. in huius loci interpretatione commisit, ut de Sole repente elucescente cogitaret. Ergo Solem antea commoratum credamus? Hunc esse novam flammam, hunc in obliquam facem luxisse, hunc ter sinuatum? Maiora utique ista sunt miracula, quam flamma illa tripartita alias quoque praesentis numinis nuntia, velut ap. Ovid. Metam. X, 275. Sed fefellit sine dubio virum alioquin sobrium et frugi Heynii annotatio ad Virg. Aen. VIII, 678. ieiunius utique, quam poetae interpretem decebat, ex miraculo verum coniectantis. At ille saltem interpres erat, cui in ipsis fabulis historiam quaerere licet: hic noster Propertius poeta, quem, ne saepius moneam, credulum esse oportet.

v. 29. puppim ex libris mss. Lachm. Propertio restituit. Cf. C. Schneider. de Etymol. p. 208. Iam v. 31—33. de zeugmate: „non ille attulerat crines — sed quali —“ cf. Q. P. II, 6. p. 132. Stat. Silv. II, 6, 38: „Non tibi foemineum vultu decus oraque supra Mollis honos, quales dubiae post crimina formae De sexu transire iubent.“ Et paullo infra: „nec petulans acies blandique severo Igne oculi, qualis bellis iam casside missa Parthenopaeus erat.“ — De statuis Apollinis, quae Propertii animo obversatae esse videantur, cf. Q. P. II, 4. p. 71. Versum 31. fortasse Christodorus expressit Ἐκφρ. 284.: πλόκαμος γὰρ ἕλιξ ἐπεδέδρομεν ὦμους ἀμφοτέρους.

v. 34. Egessit, non, uti quidam interpretantur, vacuefecit; sed recte Passerat.: „Efferri fecit, verbo de funeribus proprio.“ Nam sic quoque eo, quem isti compa-

rant, loco Statius Theb. I, 37.: „egestas alternis mortibus urbes“ — urbes enim, ut toties pro incolis sunt, ut hic castra pro militantibus.

v. 39. Iocobs. Floril.: „Si mari, in hoc proelio navali, viceris, terra quoque tua erit.“ Immo: „terra iam tua est: restat ut mari vincas.“ Nam in copiis navalibus ultima Antonii spes posita erat. Terrestres opes iam in Octavium inclinaverant. Haec interpretatio cum facilior est, tum vero multo etiam fortior quam illa.

v. 41. 42. De egregia metonymia cf. Q. P. II, 6. p. 156.

v. 45. 46. Male distinctam orationem coniecturis variis VV. DD. vexaverunt. Nimius vero in interpretando Barthius, qui iam id turpiter censet factum, si fluctus Augusto principe navibus reginae omnino permisissent, ut veherentur. Tu potius regia vela nominativum, fluctus accus. puta, deleto post audent puncto maiore. Tum sententia erit: Nimium turpe est, quod naves reginae Te principe, Romani remigii ope fluctibus committere se audent. Ne autem „vela remis fluctus pati“ insolentius dictum videatur: quanto audaciora hoc in genere Propertius sibi indulserit, vid. Q. P. II, 6. s. II. §. 28. Tam trita enim metonymia: vela pro navibus, ut propriam vocis significationem poeta non amplius curaverit. Durius enim etiam carmine insequenti „alis remigare classis“ dicitur. Nam alae sunt vela. Vid. enim Virg. Aen. III, 528. Adde Flor. III, 7, 3.: velificantes — Cretes — adremigaverunt. Ne forte usum Graecum (de quo vid. Dorvill. ad Charit. p. 104. Iacobs. Animm. ad Anthol. Gr. T. XI. p. 225. Eurip. Iph. Taur. 289. Polluc. Onom. I, 9.) cum Latino confundens alas pro remis dictas esse interpretibus credas. Differt enim aliquanto contraria ratio, cum pennae avium remigia appellantur, ut Lucret. VI, 743. Sil. Ital. XII, 89. 116. v. Drakenb. Ceterum recte Lachm. remiget reduxit, pro quo Burm. Schradero auctore remigat e libris pessimis dederat. Deinde v. 48. idem invito mari coll. Ovid. Heroid. XIII, 125. XVIII, 193. Senec. Octav. 41. El. I, 18, 14. tuetur, v. 49. Centaurica saxa minantis recta interpretatione contra Guyeti commentum Centaures saxa minantes. Dubitare tamen possis, utrum pictae in navi figurae saxa attollentes, an lapidum moles ab Aegyptiis in naves comparatae intelligendae sint. Cassius certe Dio L, 33.: *πέτρους τε καὶ ἄλλους τινὰς ὄγκους ἐπ' αὐτὸ τοῦτο κατασκευασμένους ἐπικατέβαλλον.* coll. 18. s. fin. Plut. Anton. 60. p. 946. Virg. Aen. VIII, 693. Tum minantes milites Aegyptii fuerint. Centaurica autem saxa, qualia Centauri ioculantes in operibus sculptis

conspiciuntur, velut in zophoro Thesei (Stuart. Antiqq. Athen. pl. 21—24. apud Müller. et Oesterl. Vol. I. fasc. 2. Tab. XXI. fig. 110. Boettiger. Picturr. Vass. XI. p. 76.). Quare ad hanc potius interpretationem faciat locus iam a Passeratio citatus Ovid. Met. XII, 283. et Virgil. l.l. Hinc in universum Centaurica saxa — vegrandia — immania. Cf. Interpp. ad Aristoph. Rann. v. 38. Nubb. 345. 346. — Alteri explicationi picti metus (qua de metonymia vid. Q. P. II, 6. p. 151.) versu breviori faveat. Nec tamen Virg. Aen. X, 195. sqq.: Ingentem remis Centaurum promovet: ille Instat aquae, saxumque undis immane minatur — recte huc referunt. Nam illic Centaurus insigne (παράσημον) navis est, qualia in aliis alia fuisse et consentaneum est, et constat. Cf. Heins. ad Ovid. Tristt. I, 10, 1. Heins. pater ad Sil. Ital. XIV, 543. Burmann. ad Petron. CV. Scalig. ad Chron. Euseb. DCXXXIV. Salmas. Exerc. Solin. p. 570. Enschedei Diss. de tutelis et insignibus navv. in Ruhnken. Opuscc. p. 413. sqq. De Graecorum vero usu instar omnium Becker. Charicl. T. II. p. 60. sqq. Multo igitur verisimilius esset, commune hic classium insigne (ἐπίσημον, σημεῖον) indicari, quo omnes eiusdem civitatis vel imperii naves uti solitas esse Beckerus coll. Eurip. Iphig. Aul. v. 232. 240. Polyaen. Strateg. III, 11, 11. VIII, 53, 1. demonstravit, nisi in puppi hoc, non in prora (ubi παράσημον) fuisse idem Beckerus persuaderet. Restat igitur, ut picturas navium lateribus undequaque cera illitas intelligamus, de quibus post Od. Müller. Archaeol. II. §. 320, 4. p. 391. sq. Welckerus egit in censura operis Wiegmanniani Ephemer. Litt. Hall. 1836. Oct. p. 150. sqq.

v. 53. temporis auctor. Iterum hic Bachius Deum Solem nobis obtrudit, quippe in universum temporis et lucis auctorem. At, quid istud ad Phoebum Actium? Immo, cuius temporis auctorem (i. e. nuntium cf. El. IV, 3, 32.) Apollo haberi se vult, initium versus docet: Tempus adest: committe rates! —

v. 56. Guyet. hasta furit, ingeniose, modo opus esset.

v. 59. 60. Lachmannus: „At pater Id. miratur C. ab a. Tum deus: En nostri s. i. f.“ Et recte quidem ille miratur. Nam quid admiretur, verba sequentia indicant. Illud vero tum post praesens Latinum non est, nisi tum quidem fuisse deum, sed non amplius esse significet. Quod absurdum esset. Nec vero, ut Lachm. ait, inepta fuerit Caesaris gloriatio, se deum esse; quin hoc ipsum quod addit, Octavianum illo facto verae prolis fidem facere, sic demum efficaciter pronuntiatum erit, si divini numinis quasi se-

mina in filio superstite adesse ipse pater, nunc demum vere deum esse se sentiens testificatus fuerit. Sic Agrippina ap. Tacit. Ann. IV, 52. se natosque nepotes Augusti et pronepotes imaginem eius veram, caelesti sanguine ortam appellat. — Eodem vero versu recte Markland. ex facillima et gratissima mutatione ex eo, quod in codd. est, el vel est restituit.

v. 62. plauserunt circa libera signa. Mitscherl. ad Horat. Od. I, 37, 1.: laetitiae signa plausu ediderunt. Sed praepositionem circa a proximo suo nomine divellere, ista quidem vis est. Neque signa quisquam alia credat, quam quae v. 23: „patriae suae vincere docta" poeta dixerat. Nunc enim demum, postquam apud Actium debellatum est, non amplius ab Antonio oppugnata — vere libera dicuntur.

v. 64. 65. Hoc unum — Di melius. De utraque ellipsi vid. Q. P. II, 6. p. 124. 125. Recte Iacobus alteram formulam in eandem Cleopatram positam, alteram corrigentis esse ait. Interest tamen, cum Di melius ad omina infausta avertenda dicitur (quo de genere Brisson. egit de Formull. I, c. 158. p. 94. sq. Heins. ad Ovid. Met. VII, 37.), et cum a diis melius institutum, quam ipsi volueramus, nobis gratulamur. Quam significationem formulae VV. DD. non recte praetervidisse video. Apertissima vero sententia apud Senecam (Epist. 98, 5.), qui postquam impense monuit, ne animum spe futuri suspenderemus, efficax, si tamen quid mali evenerit, solatium esse ait, si illud frequenter et sine querela inter singula damna dixeris: „Diis aliter visum est." — „Immo mehercule," pergit, „ut carmen fortius ac iustius repetam, quo animum tuum magis fulcias, hoc dicito, quoties aliquid aliter quam cogitabas, evenerit: *Dii melius!* Sic composito nihil accidet". — Vides quam absurde ad e. l. Horatianum illud comparant (Od. II, 10, 17.): „Non si male nunc, et olim sic erit." Sperare enim Seneca vetat, ne unquam malum improvisum accidat. Immo in rebus adversis primum solatium esse, quod aliter fieri non potuerit (Dis ita visum), alterum, efficacius etiam illo, si a diis optime et melius quam a nobis consultum esse rebus humanis confidamus. Ad hanc igitur formulae voluntatem manifesto referendus est Valer. Max. locus VI, 1, 3. et Quintil. Declam. CCCXXI. et hic ipse noster. — quantus autem minuentis esse, oppositum Iugurthae exemplum liquido demonstrat, quod alioquin maxime frigeret.

v. 66. 67. Valde Broukhusium una Apollinis sagitta torsit, et decem naves victae. Nam Apollo pondus phare-

trae („omne onus" v. 40.) in arcus consumpserat (v. 55.). De decem autem navibus illis quidquam ex historiis compertum habere se Broukh. negat. Hunc Burmannus ridet potius quam corrigit. Reliqui sicco pede transierunt. Nos quondam unam Apollinis sagittam — unum Apollinem sagittarium (cf. infra ad v. 81. comm. ad El. IV, 3, 68.), decem autem rates classes plurimas Aegyptiorum, Cilicum, Asianorum, Graecorum, Antonianorum omnium interpretati sumus. At simplicior sane ratio, si singulis Apollinis sagittis denas hostium naves domitas intelligamus.

v. 71. subeam a Perrei. repositum iniuria quibusdam VV. DD. probari Lachm. docet. Contra recte luco (non ludo, quae Heinsii est coniectura); nam sacrificio peracto sacerdotes (qualem modo Propert. se finxerat) in sacris lucis epulari cum collegio solebant. Cf. Klausen. de Carmine Fratr. Arvall. Bonn. 1836. passim.

v. 72. Blanditiaeque — rosae. Alii aliter. Scalig.: blanditaeque, Lachm.: blandae utrinque. Neuter enim Blanditiae nom. plur., rosae gen. singul. esse sensit, quod primus Mitscherl. docuit Lectionn. p. 165. Assentiuntur Bachius, Iacobsius, Iacobus. Recte. De metonymia enim illa omnium in Propertio frequentissima vid. Q. P. II, 6. p. 149.

v. 75. irritet a Scaligero in irritat mutatum Lachm. recte reduxit, potis vero egregiam Italorum coniecturam consensu suo tuetur. Iam v. 77. de bello Sicambrico (nam Sicambros libri optt., nec nomen Germanicum propter Graecam orthographiam muto) cf. Q. P. III, 3. p. 228.

v. 79. confessum. Heins. confectum ci., quod Burmanno placuit, Kuinoel. in ordinem recepit. Respuerunt ceteri. Recte. Neque enim quisquam conficitur foedere, quamvis victum eo confiteri se possit. Et sic confessas manus Ovid. Met. V, 215. dixit, Plin. Paneg. XVI.: Confessa hostium obsequia.

v. 81. De pharetris Eois, egregia metonymia pro Parthis sagittariis, vid. Q. P. II, 6. p. 152.

v. 83. nigras — arenas. Cur nigrae dicantur arenae, nemo interpp. docet. Neque enim hic ut ap. Virg. Ge. III, 241. ab admixta aquae illuvie, cum Euphratis inundationes, quibus Mesopotamia inferior tam fertilis facta est, non ad desertos illos et arenosos circa Carras campos pertinuisse, satis constat. Cf. Xen. Anab. I, 5. Plut. Crass. 29. 22. Strab. XVI, 1. Heeren. de Commerc. et mercatura antiqq. popp. I. p. 236. Ritteri Geogr. II. p. 129. Itaque niger color, ubertatis alibi signum (ut Virg. Ge. II, 203.),

hic arenae aut propter veram eius naturam tribuitur, quae qualis apud Carras fuerit, non novi; nigram tamen fuisse inde coniicio, quod cum siccis et pulverulentis locis palustria plurima illic alternabant, cf. Xenoph. Plut. II. cc. — tria autem sabuli genera esse, nigrum et rufum et canum, Vitruv. II, 6. Pallad. I, 10, 3. Plin. N. H. XVII, 4. Columell. III, 11, 9. docent — aut quia nigrum in universum sole perustum significari Prop. voluit, ut ad terram referatur quod proprie incolarum est, sicut supra v. 78.: fusca regna. Ovid. Metam. IV, 21.: „Decolor extremo qua tingitur India Gange" — ubi terram pro incolis positam esse, reliqua vetant. Sic lascivum forum El. IV, 8, 76. dicitur adiectivo ab hominibus, qui illic versantur, repetito, cum ipsum locum non turbam fori nomine intelligi, ex praedicato sternitur satis apparet.

Elegia VII.

De dispositione carminis vid. Q. P. II, 5. p. 84. Ad argumentum complurибus locis, immo etiam in interpretatione vocum singularum a VV. DD. ideo erratum est, quod diversas veterum de natura Manium opiniones non satis discreverunt. Animas enim defunctorum impias circum terras vagari, noxia sceleratis terriculamenta, perantiqua fuit et vulgaris omnium temporum persuasio. Vid. enim libellum De diis patriis I, 5. p. 13. comm. ad El. II, 28, 27. Has larvas in obscoenam ossium nudorum speciem fictas esse, non mirum est. Cf. El. IV, 5, 4. Sed Propertius diversam superstitionem secutus est, Graecis ni fallor auctoribus debitam, qua Manes omnes, etiam innocentes, noctu legibus Stygiis soluti per aerem libere vagari (v. 89.), imagine benigna amicos vel consolari vel admonere (cf. El. IV, 11, 82. 83.), inimicos et improbos dira facie terrere perhibebantur. Haec δείματα νυκτερινά Lobeck. Aglaoph. T. I. p. 302. esse censet. Ex Latinis vero poetis ad illustrandum hunc locum maxime facit Valer. Flacc. Arg. III, 386.: patet illis ianua leti, Atque iterum remeare licet: comes una Sororum Additur, et pariter terras atque aequora lustrant. Quisque suos sontes inimicaque pectora poenis Implicat et varia meritos formidine pulsant. Tum Horat. Epod. V, 91. sq. Sueton. Neron. 34. Virgil. Aen. IV, 384. Tibull. II, 6, 37. Contra vid. Virg. Aen. II, 270. Ovid. Metam. XI, 655. Nec tamen ossa crepitantia (v. 11. 12.) in terrorem Propertii perfidi (v. 49.) a Cynthia sumpta esse credas velim (ut Ovid. finxit Ibid. 146.), siquidem ossium specie omnes pariter Manes

indutos Propertius voluit. Cf. v. 94. El. II, 28, 32. III, 18, 32. IV, 11, 20. 102. Et sic Tibull. I, 10, 37. Quam opinionem perpetua Manium et ossium, inferorum et sepulcri confusione ortam esse eo loco docuimus. Itaque quamvis hic a cinere Manes Prop. distinguat (v. 2.), figuram tamen corporis ambusti umbra retinet (v. 11. sqq.). Contra diversa ab hac ea persuasio est, quam hic poetam secutum esse interpretes haud prorsus vere affirmant, quasi Manes eodem habitu apud inferos versentur, quo e vita excesserint, coll. Broukh. ad Tibull. II, 7, 21. (6, 39.) Dissen. ad eund. I, 10, 37. Drakenb. ad Sil. Ital. XII, 547. Virg. Aen. II, 270. ibiq. Cerd. Meurs. ad Lycophr. p. 306. Virg. Aen. VI, 495. Ovid. Metam. XI, 655. sqq. Alia enim erat Cynthia moribunda, alia igne iam seminstulata et in ossa conversa (v. 8. 9. 94. 12.). Diversa denique persuasio, quam Burmannus cum utraque miscet, eadem specie umbras superstitibus apparere, qua homines in vita antea usi fuerint. Hanc enim fidem ex parte tantum huc pertinentem (v. 7. 8.) somniorum imaginibus necessario paene ortam esse intelligitur, praesertim cum omnibus fere quos attulimus locis secundum quietem simulacra ista visa esse tradantur. Neque aliud quid Homeri locus (Il. ψ'. 65. sqq.) significat, quem huc adhibere solent.

v. 4. Murmur extremae viae. Viae murmur illud dici, non Anienis, nec viam iam per se Tiburtinam significari non posse, soli interpretes nostri non senserunt. At extrema via non a fine dicitur, sed a latere, quippe pars a publico remota, unde commeantium strepitus eminus tantum et confusus auditur.

v. 5. amoris. Broukhusii errore (non, ut Lachm. censebat, typographi) amaris, quod ille Livineium coniecisse crediderat, in omnes usquē ad Lachmann. editiones migravit, quamvis exempla a Broukh. congesta plus verae Livineii coniecturae: amarus faveant, quam fortunae illi foetui supposititio. Verum autem esse quod codd. tuentur amoris, Lachmann. coll. El. I, 18 (i. e. 17.), 20. Theocr. XXIII, 43. non evincit; nam illic amor positus vel sepultus, hic: χῶμα δέ μοι κοίλανον, ὅ μεν κρύψει τὸν ἔρωτα, non superstitis amor, sed ipsius eius qui sepultus est. At utrumque verum est et Propertianum, cum meus amor et ego amans esse possit, et is quem amo. Cf. Q. P. II, 6. p. 149. s. f. p. 151.

v. 7. 8. Eosdem. Libri usque ad Aldinas: Hosdem. Sed illud iam a Nestore restitutum aut ex antiquiore libro servatum, ut in altero versu a N. et cognatis eius. Deinde

v. 9. solitum Lachm. contra Heinsii: solitam tuetur. Cf. C. Schneider. de Etymol. p. 51. c. Ceterum fabulam esse, quae ab interpretibus de annulo morituris detracto hic recinitur, Becker. docet Gall. Exc. ad Sc. 12. p. 274. Neque igitur haec negligentiae nota, quamquam praeterea in Cynthiae exequiis turpiter festinatum esse a familia eius Q. P. I, 6. p. 36. demonstravimus.

v. 11. 12. Nocuit his versibus molesta editorum doctrina. Nam Scaliger gestum componentis se ad dicendum, Passeratius vero iraçundiam digitorum crepitu significari censuit. Addunt spirantes animos, quasi animose locuta esset Cynthia, et „manus usque ad articulorum crepitum contritas“ esse volunt (coll. Petron. 17.). At similia, non modo paria, utroque versu dici iam particula adversativa: at vetare videtur. Sententia vero ut manifesta, ita simplicissima: Spiritus quidem et vox veluti viventis (spirantis) erant, manus vero et digiti carne nudata et ossea defunctam esse crepitu suo arguebant. Cf. enim argum. Sic spirans alias quoque pro vivus — mortuo opponitur, ut Cic. Milon. §. 91.: Et sunt qui ab eo spirante forum putent potuisse defendi, cuius non restiterit cadaveri Curia! — et sic imponere hastum in caput vivi et spirantis Decl. pro Dom. 52. §. 134. Nec tamen quidquam impedit, quin spirantis acc. plur. interpretemur, sententia eadem et oratione non minus Latina. Cf. comm. ad El. IV, 5, 67. et ad v. 23. h. carminis.

v. 15. exciderant. Scaliger correxit: exciderunt. Iacobus germanam poetae scripturam reddidit. Cf. comm. ad El. III, 20, 24. Nam priusquam somnus Propertio potiretur, excidisse iam praeteritorum temporum memoriam oportebat.

v. 18. Ridicule Knebelius: „*Schlagend den einen Arm, dann auch den andern um dich.*“ Habitum et gestum funem delabentis describi quis non [illegible]

v. 19. commissa es: pector[illegible]ett. Ante Heinsium cum versu ambitum clauserunt, quod illic, ut erat, absurdum esse ratus, quasi aliter quam iunctis pectoribus Venus committi posset, pro est reposuit et. At verum est, quod in ordinem receptum Iacobo debemus. De ἀσυνδέτῳ cf. Q. P. II, 6. p. 125. Iam v. 22. de part. fut. ibid. p. 141.

v. 23. At — inclamavit. I. H. Voss. coni. An. Haud opus est. At enim fortius est et cum indignatione exprobrantis, hac quidem sententia: „Sed hoc sane leve crimen? At ne morienti quidem suprema iura solvere: istud nefas est.“ — inclamavit, cui olim alterum inclinavit praetuli, nunc cod. N. eiusque sectae fide interposita recepi; et sane inse-

quens versus rectius ita sedebit. Similem praeterea in simili causa horum verborum confusionem videre est ap. Quintil. Inst. II, 10, 10. ubi consule Spalding. Ad sententiam vero bene, ut assolet, Iacobus: „non quod inclamandi quidam mos fuerit oculos morientium, sed revocare, qui iamiam nos sunt relicturi, quorum oculi natantes proxime instare durissimum discidium indicant, admodum naturalis est actio". — Hinc euntes oculi quid velint existimabis — nam euntis pro quarto numeri plurativi casu accipio —; oculi enim mortis appropinquantis certissimi indices, cum pro ipso paene moribundo positi ita demum recte inclamari dicantur (cf. Q. P. II, 6. p. 151. s. fin.): facillima est enallage, euntes i. e. morientes oculi pro oculis morientis, et profecto haud paullo insolentius Virg. Aen. X, 418.: cum senior canentia lumina solvit. Add. Eurip. Herc. Fur. 447. At confecta res erit coll. uno, quod iam Ian. Dousa ascripsit, Ovidii carmine Trist. III, 3, 43: Nec mandata dabo, nec cum clamore supremo Labentes oculos condet amica manus. Heinsius ci. hiantes.

v. 25. 26. Hos versus Iacobus Broukhusio obsecutus hinc removendos censuit. Nec tamen ut ille post v. 22. collocavit, sed vv. 18. et 19. inseruit, mutato praeterea Nec in Ac. — At nulla mutandi causa idonea adest. Nam Denique v. 27., quo ad rem ante exequias actam lectorem necessario reiici Iacobus censet, non temporis, sed ordinis vocabulum est. V. 25. vero custodem intelligendum esse, qui intra septem dies, quos cadaver antequam cremaretur, domi servatum esse Plinius docet (ap. Serv. ad Virg. Aen. VI, 218.), fistula crepitum cieret, iam in specimine Quaestt. Prop. Hal. 1835. p. 29. asseruimus. Nam hoc septem dierum spatium eadem causa atque inclamationes mortuorum institutum esse, ut ne quis vivus sepeliretur, sin vivus pro mortuo habitus esset, clamore in vitam restitueretur, idem Plinius auctor est l. l. Tegulam autem curtam recte Livineius ad sandapilas rettulit, quibus minus honesti mortui efferri soliti sunt. Cf. Interpp. ad Iuvenal. VIII, 173. Martial. Ep. II, 81, 2. VIII, 75, 14. IX, 3, 2. Sueton. Dom. 17. Ceterum iam primus omnium Beroaldus haud absurde: „Conqueritur Cynthia sibi defunctae tegulam fractam mutilatamque sub capite fuisse suppositam, quum debuerit amator pulvinos molles delicatosque subiicere." Haec contra vide quid valeat Douzae suspicio, in quam ut in certissimam sententiam pedibus Broukh. abit, agi scilicet de virga ostiarii, quam neget „Cynthia Propertium suum prae animi impotentia ac fervore in cella pendentem arripuisse eaque ipsa invisi ianitoris

caput ac lumbos liberaliter dedolasse", insequenti autem versu (in notis mss.) caput ianitoris intelligit, quod tegularum fragmentis a Cynthia petitum esse negat, in editis vero Scaligerum secutus sic explicat: „neque evenit, ut tegula a nostris tectis in caput tuum missa sit." Atque haec omnia amoris cauti et circumspecti signa esse ait. Vides coniecturas coniecturis fultas. Exemplis autem, quae larga manu adstruit, nihil aliud demonstrat, nisi tegulas fractas in capita praetereuntium decidere de tecto posse, et rescivisse hoc iam veteres cum poetas tum rerum auctores. Sanior utique Iacobi ratio, quamquam quid obiecto Cynthiae capite faciam, non satis equidem scio. Quid enim, si tegula curta deorsum a persecutoribus mitteretur, sive de tecto casu veniret, caput de industria obiceret? At utut est, necessaria certe coniectura non est.

v. 27. curvum. Heins. coni. furvum. Recte respuit Iacob. coll. 5, 2. Quodsi Lachmannus Heinsii coniecturam a plerisque editoribus receptam ideo probaverat, quia neminem, qui aliter quam inepte eam vocem explicaret, invenisset: de Vulpio quidem et Burmanno et Guil. Vlamingio et quicunque eos secuti sunt, non iniuria illud quidem dictum esto, quantumvis durum: Beroaldus, ut toties, in istis tenebris verum viderat. Sic enim ille: „Quis vidit te in meo funere curvatum: et capite in terram inclinato: quod signum est ex animo lugentis."

v. 29. illuc libri omnes. Muretus illud coni., quippe qui illuc pro adverbio perperam accepisset. Lachmanno Propertius suum debet.

v. 33. nulla mercede. Broukhusius: „utpote quorum pretium periisset tibi, nullo inde ad te emolumento redituro." Immo hoc ipsum Cynthia negat, cuius animus gratus carissimum officii pii pretium erat soluturus. Recte igitur Passeratius: nulla mercede: viles, quos nullo pretio mercaris. Cf. El. II, 34, 71. III, 13, 33. sq. Cum hac interpretatione optime convenit

v. 34. fractus cadus, quem sigillo fracto resignatum esse vulgo sed falso putant. Vetat enim Latinitas. Ad hanc enim proportionem vel aedes apertas — fractas aliquis dicat. Immo fractus cadus est curtus, amphora collo fracto, quo doni vilitas efficacius significetur. Post v. 34. rectius fortasse interrogandi signo distinguas.

v. 36. Sensi ego, cum. Vid. Q. P. II, 6. p. 119. Comm. ad El. III, 8, 27. Mira autem Scaligeri interpretatio est, pallidum vinum inferium dici existimantis, quod „Graeci

vocant χοάς.“ Immo venenata sunt et mortifera pocula, quae pallorem bibentibus faciunt. Cf. Q. P. II, 6. p. 144.

v. 37. At ex G. et Hb. cum Lachm. dedimus. Aut libri etiam probi, errore solito. Ad sententiam vero sobria divisio non decet commotam Cynthiae orationem. Valde deinde errant interpp., cum salivas aut propinatum amoris poculum explicant (sic Passerat.), aut nescio quo modo ritum illum, quo invidiae avertendae causa ter sinum conspuere solebant, indicari hic existimant. Sic Kuinoel. et ante eum Burmannus. At quid invidiae sit in tormentis et testis ignitis, haud equidem intelligo. Sed Burmannus falso accepit Beroaldi interpretationem, qui quamquam plurima confudit, hoc tamen recte vidit, usum salivae medicum hic significari, de quo cf. Boettiger. Sabin. I. p. 167. Casaub. ad Pers. Sat. II, 32. Saliva igitur clam admota callidam Nomadem manus ab igne defensuram esse Cynthia significat: qua sublata tormenta non pateretur. Damnatas manus iam Lachmann. recte scelestas explicavit, quippe quae ministrantes Lygdamo pocula venenata cum illo miscuerant. Cf. Petron. 80, 7. Sil. Ital. IX, 126. Petron. 83. 108, 5. 128, 5. El. II, 16, 38. Contrarium purae manus, cf. El. II, 32, 27. Hinc etiam Dicet, cuius loco Ducit Scaliger editionibus obtrusit, interpretatione immani addita: ducere hic est filatim liquefacere: ut fit in pingui, quod igne remittitur. Sed recte Burmann. librorum scripturam coll. El. I, 20, 4. defendit. Dicet enim est: Prodet, indicabit, declarabit.

v. 48. Ardente e. Hoc Propertio Lachmannus in ed. Berol. reddidit, quum antea iam Ardenti e ex G. reposuisset. Hinc quomodo diversi librariorum errores orti sint, facillime intelligas. Et ecce Dresd. ipsum illud exhibet. Scaligeri commentum: Ardeat e, vix Latinum esse Lachm. recte observat.

v. 51. revolubile carmen. Duplici modo librarii pulcherrimam hanc metaphoram perdunt, cum aut revocabile carmen (ut Gron. all.) aut revolubile stamen (cod. Passerat.) corrigunt, interpolatione aperta. Simillima causa est atque El. IV, 6, 7. 8. ubi v. comm. Translationem exposuimus ad El. I, 16, 41. Nec carmina, quae Horat. Epist. II, 1, 225. filo deducta appellat, quaeque Valer. Flacc. III, 408. Stat. Silv. III, 5, 185. volvi dicuntur, revolubilia nunc nominari tamquam durius admiraberis. Cf. Q. P. II, 6. s. III. p. 163. Immo tanto elegantior figura est, quanto apertius operis Parcarum proprii admonet. In hoc enim fatali lanificio volvere verbum paene

solemne est. Sic Stat. Silv. I, 4, 1.: nec inexorabile Clotho Volvit opus. Add. Virg. Aen. I, 22. Claud. Rapt. Proserp. I, 53. Hinc apud Ovid. Metam. II, 654. e cod. Reg. II. repone: triplicesque deae tua fila revolvent. In stamine enim ipso vis fatorum posita est. Cf. Tibull. I, 7, 1. 2. Ovid. Metam. X, 31.: Eurydices, oro, properata retexite fila. Vides ergo, quam eleganter dirae Sorores, dum filis fatalibus cantum fatalem tamquam interpretationem addunt et quasi illis pertexunt, non modo stamen, sed ipsum carmen volvere dicantur.

v. 52. Heinsii lusum: Tergeminumque canem, Broukh. recepit. Hoc indicasse satis erat. Deinde

v. 55. sedes — sortita Lachm. passive dictum existimat, quia alioquin Turba et, non Turbaque scribendum fuerit. At tu cf. Q. P. II, 6. s. IV. p. 173. ibid. s. II. §. 10. p. 123. Bach. ad Tibull. I, 9, 7. Sic igitur verba iunge: turba omnis gemina (i. e. in duas partes divisa) sedes per fluvium sortita est, et diversa aqua remigat. Recte vero omnis turba gemina dicitur, ut Caes. B. G. I, 1.: Omnis Gallia divisa est in tres partes. Ceterum de gemina sede confusis Burmanni argutiis lectorem non moror. Duplicem enim statim a sepulcro per inferna flumina viam duplicemque cymbam sibi finxisse Propertium coll. verss. sqq. et comm. ad El. III, 18. extr. satis apparebit. Unde Virg. Aen. VI, 540. Tib. I, 3, 60., ad quos locos vulgo interpp. provocant, huc non pertinere sequitur. Illic enim post Stygem et Aeaci iudicium itinera commemorantur. At ne illa quidem, quae Burmann. citat, Catonis verba Sallust. Catil. 52.: „falsa existimans, quae de inferis memorantur, diverso itinere malos a bonis loca tetra, inculta, foeda atque formidolosa habere.“

v. 57. 58. Locus in libris mss., quotquot sunt, omnibus corruptus sic legitur:

Una Clytaemnestrae stuprum vehit; altera Cressae
Portat cett.

Hinc Itali primi pro altera — utraque reposuerunt. Livineius: unaque, quod usque ad Lachm. mansit. Hic nimis neglecta librorum vestigia aegre ferens coni.: ac rate Cressae, numeris perditis et compositione claudicante, cum hac demum sede rate aut prorsus superfluum sit, aut sero positum; scilicet quasi Pasiphae tantum, non Clytaemnestra quoque rate vecta fuerit. Eldyk. in anecdotis: Muta Cl. st. v. a. Cressae et Prora cett. Nos una littera addita, quod sensus flagitabat, rescripsimus: Unda Cl. st. vehit altera: Cressae Portat cett. — ad quae vera. sequens respondet:

Ecce coronato pars altera vecta phaselo cett. De ἀσυνδέτῳ enim cf. Q. P. II, 6. p. 125. Hic vero non modo excusationem ea figura habet, sed etiam laudem. Nam omnis versus tenor in novissimum illud nomen ultro incumbit, ut et Cressa in fine versus et Clytaemnestra in fortissima πενθημιμεροῦς percussione positum ἀντιθετὸν illud cum carmine insequente auribus legentium ipso sonitu quodammodo insinuare videatur. Quod si penitus sentire vis, post Cressae (quod facili tamen coniectura fieri liceat) et adde: omnis lepor omnesque gratiae peribunt. Vides igitur, quid Keilius sapiat, qui (p. 36.) nostram emendationem tamquam luculentissimum exemplum proponit, quo, quid in omittenda copula ferri non possit, intelligatur. Ipse quid possit, sua coniectura probat: „Una Clytaemnestra stuprum inventa et fera Cressae.“ Difficile dictu est, versumne magis an sententiam admireris. Ergo machinam istam Pasiphaes libidinum cymbae Charontis Keilius obtrudit. — Ceterum, quam facile unda et una in libris mss. confundantur, coll. El. IV, 6, 28. apparet. Hic vero tanto pronior erat lapsus, quod sequens altera veluti ultro sibi peperit illud una.

v. 61. quaque aera rotunda Cybeles. Egregiam hanc et vere palmarem coniecturam Scaligeri esse, ipsi credidi (Castigg. p. 244.), occupatam a Turnebo (Advv. XXIII, 7.) postea intellexi. Hinc corrige Q. P. III, 6. p. 252. Cybeles scribendum esse, ad El. III, 22, 3. docuimus.

v. 63. 64. Versus varie vexati. Heins.: sine fraude marita, deinde: foedera nota. Scaliger ex suo libro: corpora nota. Livinei.: pignora n. suae. Vulp. curis secundis: corpora n. sua. Markland.: historias p. n. suas, Kuinoelio probante; et ne desit, quod rideas, Eldykius: historiae pectine fata s. Sed optime Lachmannus: „Andromedam et Hypermnestram pectora historiae suae nota appellat. Nota historiae suae non raro apud poetas loquendi modo. Pectora cara, iunctissima, fortissima passim.“ Haec ille. Exempla iam Burmannus suppeditaverat, ipse tamen, ut fere solet, copiis suis non usus. Adde Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 152. Durius vero, non una de causa, quod idem Lachm. ait: „maritae narrant, maritas se narrant.“ Ac ne verum quidem. Nam aliud narrasse eas, immo quid narraverint, versus insequentes docent. Itaque sine casu positum verbum narrare puta, quod tanto minus insolens videatur, quia sententia generali amplificata et in partes suas divisa, primum verbum synonymum: queritur, deinde ipsum hoc narrat repetitur, obiecto suo cuique addito.

v. 65. sua maternis. Hoc Lipsius et Scaliger invenerunt, firmatum postea a G. Nam reliqui libri sine sensu: summa aeternis. Quod enim aeternas catenas — ad signum Ariadnae inter sidera collocatae referunt: plane contraria efficitur Propertii voluntati, immo absurda sententia. Nam nec coelestis imago ad vitae adversa pertinet (de his autem heroinae confabulantur), neque apud inferos Andromeda conqueri potest, quod sua ipsius brachia in coelo liveant.

v. 69. Non inficeta Marklandi coni. est: amara pro amores, neque illud de nihilo, quod e Passeratii libro Broukh. recepit: solamur pro sanamus. Contra moestis l. et veteres amores Burmanni inventa nimis languent, ne de foetu Heinsiano: ortis lacrimis dicam. Probum vero est, quod libri universi tuentur: mortis lacrimas i. e. apud inferos fusas. Cf. Q. P. II, 6. p. 155. Recte deinde sanari dicuntur amores, infelices imprimis, quos insaniam putare Propertius nunquam dubitavit. Vid. El. I, 1, 26. II, 34, 28. Quamvis enim Prop. ipse male credulus II, 1, 57. sq. queratur:

Omnes humanos sanat medicina dolores:
Solus amor morbi non amat artificem —

tamen et Ovidius Remedia amoris invenit, neque alibi hic noster de medicina ea dubitabat, velut I, 10, 17. Recte autem, quod lacrimis sanari amorem ait. Nam (El. I, 12, 16.) nonnihil aspersis gaudet amor lacrimis, et si medico illi amoris fidem habemus (Rem. Am. 129 sq.): Cum dederit lacrimas animumque expleverit aegrum, Ille dolor verbis emoderandus erit. Add. Virg. Ecl. X, 29. Recte denique, quod apud inferos, mortis lacrimis. Nam (III, 17, 9 sq.) Hoc, ait, quod veteres custodit in ossibus ignes, Funera sanabunt — malum. Add. El. II, 34, 92. ibique comm. — Unum restat, quod non propter amorem Andromeda monstro devota fuisse vulgo traditur. Sed aut omnis ille heroinae sermo de cruciatibus suis male a poeta fictus et alieno loco insertus est, aut relatum tale quid fuisse in fabulis nunc deperditis consentiendum est. Quo enim istae Cynthiae cum umbris (sine fraude maritis) confabulationes pertineant, nisi ad amorum praeteritorum memoriam? Hanc Hypermnestra (v. 67.), hanc Cynthia referebat (v. 70.); quidni Andromeda?

v. 74. tibi avara. Pucc. amara (non Perrei.), quod Iacobo praeplacuit. Ego avara ido praeferam, quod sic accuratius verbum „patuit“ definitur, ut quod generatim antea positum sit, iam separatim definiatur, cum contra patuisse

i. e. facilem fuisse nutricem paene idem sit, quod non amaram. Cf. enim quae in causa simillima ad El. II, 23, 9. exposuimus.

v. 77. Qui sint versus Cynthiae nomine scripti, Q. P. II, 2. p. 221. docuimus.

v. 79. 80. pugnante corymbo. Burmann. languidius: pallente; deinde pungente, quod paene absurdum, quasi aculeos hederae mollissimae habeant. Immo, quod interpretes non senserunt, ablativi hi appositionis modo iungendi sunt cum sequentibus: contortis comis. Et optime pugnantes dicuntur. Nam perplexis inter se racemis et spirarum voluminibus rixari secum et luctari videntur.

v. 81. Ramosis — pomifer libri omnes. Broukh. coni.: Pomosis — spumifer, quod post Bentleium (ad Hor. Od. I, 7, 14.) interpretes omnes plausu prosecuti sunt, imprimis vero Lachmannus fovit. Contradixit iure I. H. Vossius. Nam cum Ovid. Amorr. II, 17, 32.: Padus, Metam. I, 579.: Spercheus „populifer" dicatur et apud Moschum Id. 7, 2. *κοτινηφόρον ὕδωρ* sit, quidni Anio, cuius ripae pomariis insignes illi et fertilitatem et poma debent, pomifer appelletur? Quid, quod ap. Grat. Falisc. Cyneg. 314. Ganges nardifer audit. Ramosa autem arva, quo iure idem ille, qui pomosa probavit, damnaverit, haud equidem perspicio. Ubi enim, quaeso, nisi in ramis poma nascantur?

v. 83 sqq. Hic libri mss. Hoc ab Italis est. Atqui hoc carmen, i. e. certum carmen, quod iam vel litteris vel animo poeta conceperat, brevius quam per se erat, scribi non poterat. De versu 85. vid. Q. P. I, 6. p. 40. Dedimus autem id, quo librorum etiam errantium vestigia, tamquam ad finem certissimum ducerent. Nam N. quocum Hb. ut fere semper facit, hic quidem interpolatoris manum quamvis innocentis aperte prodit. Atqui his conatibus, quibus librarii labanti, ut sibi videretur, numero subvenire studerent, plurimos poetarum locos male habitos esse Weichert. docet de Hostio poeta, in Poett. Latt. rell. §. 5. p. X. n. 9. Producta igitur brevis est in caesura fortissima, qua licentia et Propertius aliquoties usus est (cf. Q. P. II, 6. s. IV. p. 179.) et Latini poetae ceteri omnes. Cf. enim praeter alios Wagner. Quaestt. Virg. XII. p. 422 sqq. comm. ad Virg. Aen. III, 464. Nam alios qui de hoc loco egerunt grammaticos diversa miscere adhuc intelligo. Sic etiam Krueger. Gramm. Lat. p. 53. §. 57. G. Fr. Grotefend. Gr. Lat. T. II. p. 10. Santen. Ter. Maur. v. 389. Ramshorn. Gramm. Lat. p. 1067. Freesius de Metris Romm. et Graecc. p. 79. Ceterum quod Iacobus, si Tiburtina fuisset Cynthia, non brevi hoc monumento honorem

Anieni accessisse, sed loco natali ait: non hinc honorem Anieni accessisse poeta dicit, quod Tiburtina illa fuerit, sed quod aurea puella et per saecula carminibus amici immortalis illic sepulta sit.

Elegia VIII.

v. 1. Esquilias aquosas dici iam Puccius miratus est. Paludosum montem fuisse Iacobus coll. Varr. L. L. IV. p. 15. Bip. Serv. ad Virg. Aen. VII, 84. asserit. Recte quidem ille; et addere poterat Varr. l. l. V. §. 25. Mueller. Gloss. Isidor. et Fest. s. v. Puticuli. p. 216 sq. Mueller. Schol. Acr. ad Horat. Sat. I, 8, 16. Sed non tantum in hoc attributo per se difficultatis est, quantum in eo, quod soli regioni aptum etiam hic additur, ubi metonymia vulgatissima incolas significari, verbum fugarit demonstrat. Nam in hoc maxime haeserunt Passerat. et Burmann., quorum alter incredibilem in modum sic interpretatur: „Accipe cur Esquiliae ipsae fugerint, sedibus suis convulsae nocte praeterita“ — alter, ne tantam ὑπερβολὴν admittat, agitarit coniicit. At vid. Q. P. II, 6. p. 152. et contra comm. ad El. IV, 6, 83.

v. 3. Lanuvium est tutela. Heins.: Lanuvio. At ne cum Italis quidem Lanuvii, quae tamen facillima esset correctio, reponam. Recte enim iam Burmann. comparavit Priap. 77.: Est tutela Rhodos beata Solis, Gades Herculis, humidumque Tibur. Add. Q. P. l. l. p. 152. Ad argumentum vero versus praeter locos ab interpp. congestos vid. nunc Becker. Charicl. T. II. p. 282.

v. 4. Sanum versum esse Iacob. negat, hac medicina prolata: „Huc mea tam rarae n. p. h. m.“ Quod non intelligo. At rectissime erunt omnia, si cum Burm. moram tempus commorandi (coll. Ovid. Amorr. III, 13, 5. II, 14, 26. Heroid. VII, 74. Virg. Aen. IX, 32.) interpreteris. Nam tempus hoc ipsum v. 7. definitur: „cum pabula poscit annua.“ Haec igitur sententia: Visentes et commorantes ibi ne horam quidem tam rari spectaculi perire patiuntur. Mirum autem, quod anniversarium sacrum frequentius esse Burmanno videtur, quam quod rarum recte dicatur; unde ipse rarum pro singulari accipit. At spectaculum quidem singulare dici potest, tempus commorandi non potest.

v. 6. penetrat. Scaliger coniecit: penetral. Eiecit rursus Lachm., quia ieiuni serpentis honos, quo referretur, non esset habiturum. Hunc dici canistra cibis plena eius honori data iam Passeratius senserat; quod

reliqui interpretes aut obliti sunt, aut quomodo verba coniungerent, non cogitaverunt. Honor autem sacrificium est, vel quodcunque donum diis oblatum. Sic Stat. Theb. X, 342.: „trunca arma cruorque virorum“ Phoebo dedicata crudus honor dicuntur. Virg. Aen. V, 763.: Factus honos aris. Virg. Aen. III, 118.: Meritos aris mactavit honores. Ovid. Met. VIII, 740.: qui numina divum Spreverat et nullos aris adolevit honores. Fast. V, 551.: Ultor (Mars) ad ipse suos coelo descendit honores. Add. Virg. Aen. III, 178. 264. 547. Grat. Falisc. 458. Broukh. ad Tibull. IV, 6, 1. Burm. ad Petron. 133. p. 636. ad Anthol. Lat. I, 1. ep. 63, 8. Cuper. Observv. II, 3. Drakenb. ad Sil. It. VII, 90.

v. 10. temere. In libris probis omnibus tremere legi, Lachmanni error est. Sed temere etiam illud recte habet, neque tenera cum Scalig. corrigendum, aut anguino ore contra usum saeculi et Propertii pro dativo habendum. Nam anguino ore creditur manus est: quamvis os anguinum sit ideoque reformidandum, tamen manus illi creditur. Cf. Q. P. II, 6. p. 136. Maxime vero v. 12. tremunt langueret, si hic iam idem verbum occupatum esset.

v. 15. mannis egregia est Beroaldi emendatio, quam plausu debito omnes receperunt. Unus Broukhusius, quamvis non recusato dono, tacet, malevolus ubique viri probi obtrectator. Ceterum a mannis non abesse luxuriae notam, quod interpp. praeterviderunt, Beckerus docet Gall. Sc. IV. Exc. 1. p. 225.

v. 22. loci impuri non modo sordidi sunt, ut interpretes volunt, sed qualicunque modo impediti. Sic contra campus purus dicitur Liv. XXXIV, 14. virgulis et tesquis liber. Similiter Tacit. Ann. II, 16. Auct. Bell. Afr. 19.

v. 23. Serica nam taceo. Iterum hic Propertius Beroaldo σῶστρον debet, cuius coniectura quanta laude digna sit, collato maxime mirabili illo Scaligeri commento apparet: „Striga: nam rapto“ — cett. Rem explicuerunt interpretes. Hoc addo, carpentum currum duabus rotis fuisse, edoctus a Beckero Gall. Sc. IV. Exc. 1. p. 221. De mira adiectivi enallage: „armillatos colla Molossa canes“ pro eo: „canes Molossi colla armillati“ vid. Q. P. II, 6. s. II. §. 24. p. 143. comm. ad El. III, 21, 28. III, 9, 21. Proxime Lucret. I, 475.: Ignis Alexandri Phrygio sub pectore gliscens.

v. 25. fata. Itali: farta refinxerunt, scilicet ut ipse nepos popinator et caupo futurus esset. Sed recte id quod

libri incorrupti praestant: fata, iam Beroaldus verius esse senserat, de sagina lanistarum interpretatus. Huic fata sua (i. e. vitam et mortem) decocto patrimonio helluo vendet. Nec nos movet Puccii dubitatio, qui in hominem mollem audaciam gladiatoris cadere negat. Immo elegantissimum est contrarium: putida nepotis lautitia, Sericis carpentis et armillatis canibus insanientis, atque futurae gladiatoris obscoeni sordes. De re ipsa praeter locos ab interpp. congestos cf. Salmas. ad Plaut. Mostell. I, 1, 62. Trinumm. III, 2, 96. Cave tamen, versu breviori ubi temporale esse credas, quod tantum non omnibus interpretibus accidit. Tum enim accuratior Latinitas: „ubi — vicerit" posceret. Immo barba horrenda, quam nunc sedulo evellendam curat, ut glaber videatur, in taberna lanistae, ubi talium deliciarum locus non est, luxuriabitur et genas vincet.

v. 28. volui iterum Beroaldo debetur, iterum a Broukhusio neglecto. Ad metaphoram vid. comm. ad El, II, 7, 15. de loci descriptione (v. 31.) ad El. IV, 4, 1.

v. 35. in herba. Scaliger: „nulla herba erat, sed proverbialiter dictum. Supra (IV, 7, 72.): Si te non totum Chloridos herba tenet." Aut non intelligo, aut vir magnus dormitat. Herbam tamen alii quoque VV. DD. propter valvas (v. 51.) non tulerunt. Unde Heinsius (Advv. I, 3. p. 24. Nott. Prop. p. 754.): in umbra, quod Burmann. probat, in ordinem Kuinoel. recepit. Tu vero in impluvio rem gestam existima, quod arbustis et viridariis consitum et spatiis tricliniisque decoratum saepe fuisse docent Broukh. et Burm. ad El. I, 14, 5. Sitzmann. ad Rutil. Num. I, 111. Broukh. Vulp. Dissen. ad Tibull. III, 5, 15. Schmid. ad Horat. Epis. I, 10, 21. Mitscherl. ad eiusd. Od. III, 10, 5. Hinc demum recte intelliges, cur (v. 51.) postes sonantes et murmura ad primos lares facta prius audita fuerint, quam Cynthia valvas, in impluvium spectantes, resupinasset.

v. 37. vitrique. Verissimam hanc Scaligeri emendationem in ordinem recipere non dubitavimus. Rec. comparant Virg. Cop. v. 29. Alia vid. apud ipsum. Deinde

v. 38. Graeca, quod in libris optimis est, nulla idonea causa Palmerius in Graia mutavit, passim tamen usque ad Iacobum arreptum ab editoribus. Salivam deinde vini saporem Beroald. interpretatur. Assentiuntur VV. DD. confisi maxime Casauboni (ad Pers. Sat. VI, 24. p. 483.) et Salmasii (Exercc. Plin. II. p. 1282.) auctoritate. Frustra. Nam ab ea significatione, qua saliva pro edendi bibendive cupidine certis quibusdam formulis (velut: movere salivam) poni videtur, haec maxime distat, neque inde deduci se pa-

titur. Reliquis autem quos vulgo huc adhibent locis, si recte interpreteris, salivam nihil aliud, quam id quod proprie sonat, humorem vel succum (lentum maxime), significare senties. Sic Plin. N. H. XIV, 8, 1.: Divus Augustus Setinum praetulit cunctis, et fere secuti principes, confessa propter experimenta, non temere cruditatibus noxiis ab ea saliva. Alterum quoque Plinii locum, quem unice interpretes iactant XXIII, 1. s. XXII.: „Cundire eo (i. e. vino vetusto) aliud nimis annosum insalubre est. Sua cuique vino saliva innocentissima, sua cuique aetas gratissima, hoc est media“ — eodem redire manifestum est. Nec quidquam obstat Persius l. l.: „Nec tenuem sollers turdorum nosse salivam“ — immo altera explicatio inde difficultatem habet, quod quid sit tenuis sapor, non satis intelligitur. Itaque illic quoque saliva succus est turdorum proprius, vel naturalis, vel qualis iuribus condimentisque ei carni incoqui solet. Exempla praestat Coel. Apicius de arte coq. VI, 5, 6. Ceterum pro succo saliva, sententia nequaquam ambigua, ponitur Plin. XI, 12. de melle: sive est coeli sudor, sive quaedam siderum saliva, sive purgantis se aeris succus. XI, 37. s. 54.: saliva lacrimationum. IX, 36.: Purpurae conchae vivunt saliva sua. Tertull. de Cult. Fem. c. 10. princ.: Succis herbarum et concharum salivis incoquere lanas.

v. 39. Nile tuus. Scaligeri Nilotes, receptum ab omnibus, de sententia nihil mutat, de orationis vi multum demit. Ἀποστροφὴν enim vere Propertianam similium locorum comparatione Q. P. II, 6. p. 115. defendimus. Recte autem partem Niliacae plebis, alumnum Nili (cf. El. IV, 2, 9. II, 33, 15. Niligenam Macrob. dixerit, cf. Saturn. I, 16.), si ipsum Fluvium alloquimur: tuum appellamus. Deinde pro Phyllis idem Scaliger: Philis — versu pessumdato et ablativo non Propertiano. Burmannus Phidis maluit. At quid vetat, duas illo tempore Romae puellas famosas eodem nomine fuisse, satis inter meretrices vulgari? Nam Lygdamum quoque v. 37. 79 sq. commemoratum non eundem esse, quem El. III, 6, 2. IV, 7, 35. Cynthiae servum cognovimus, ratio manifesta docet.

v. 40. Vulgo facilis spargi ad rosam referunt. At non video, cur rosae facilius spargantur, quam ceteri flores omnes. Immo ipsa crotalistria facilis, quae rosis se spargi a convivis lubens pateretur. Vide enim de hoc lusu inter scorta et merum satis frequenti Apul. Metam. II. p. 121. Elmenh. et quae de belua ista Heliogabalo Lampridius nar-

rat c. 20. coll. Fulv. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 267. Facilis autem parata, commoda, vox de mulieribus paene propria (cf. Ovid. Amorr. II, 3, 5. Heroid. XVI, 195.), passim et cum infinitivo; noster II, 21, 15.: Ah nimium faciles aurem praebere, puellae. Quanto vero rectius alterum attributum munda sine arte in crotalistriam quam in rosam cadat? Simplex munditiis Horat. dixerit, cf. Od. I, 5, 4.

v. 41. Nanus de coniectura Beroaldi. Libri mss. ad unum omnes: Magnus. Nam Neap. scripturam rescissa cum margine littera effecit. Ceterum verborum nexus docet, nanum saltasse eundemque crotalis usum esse, non ut vulgo cava buxa interpretantur, ad tibiam saltasse. Hoc enim post crotalistriae commemorationem verba significant: Nanus et ipse — iactabat — manus. Coniunctae fere hae artes commemorantur. Sic initio Copae: Copa Syrisca — Crispum sub crotalo docta movere latus. Add. Martial. VI, 71. Scipion. Afric. ap. Macrob. Saturn. II, 10. Et pumiliones tales duo sub crotalis saltantes aenei etiam nunc extant in Aeribb. Herculanenss. T. II. tab. 91. 92. (cf. Boettig. Sabin. II. p. 43.) eodem prorsus gestu eademque figura, qua hic noster distortus fuisse describitur. Ridiculum autem sane saltatorum par, puella haud inficeta cum stilpone vacillante. Unde magis etiam errasse apparet, qui cum Broukh. Vulp. Barth. manus ad buxum iactare de habilitate nani in tibiis tractandis interpretarentur, quasi ipse tibicen fuerit, de quo tamen iam v. 39. dictum est. Bis autem peccant, cum saltare tantum brachia iactare, non manus dici autumant. Nam nec, quomodo brachia sine manibus iactari possint, aut vice versa, apparet, et manus iactationem in oratore saltantis simili Quintilian. notat XI, 3, 79. item X, 7, 26. et de histrione Ovid. Fast. III, 535. id. Remed. Amm. 334.: Fac saltet, nescit si qua movere manum, et imitator orationis Latinae Automedon in Anthol. Pal. c. V. p. 196. ep. 106. Ann. Br. ep. III. v. 2. in eadem re: *βάλλει τὰς ἁπαλὰς ὧδε καὶ ὧδε χέρας*. Cf. Iacobs. Animm. T. II, 2. p. 129.

v. 44. Burmannus: „Mensa", inquit, „ex petulantia iam languescente eversa." Sed vide, quid hinc improbus iste compilator Kuinoel. fecerit: „mensa ex petulantia iam languescens, supina recidit in suos pedes." Vellem videre mensas languescentes, idque ex petulantia. Sed, ne istis nugis tempus teramus: ipsius Burmanni interpretatio non satis sana est. Mali enim ominis loco mensam eversam habitam esse, versus proximi et inferiores et superiores declarant.

v. 48. Quantis sordibus locum hunc simplicem spurcissima Gruteri interpretatio contaminaverit, ex Burmanni commentariis, si animus est, repete. Vix minus absurde Heinsius: Laneus ad potas. Eldyk.: totus eram. Iam vide sis, ut uno verbo Plautino, quod iam probus noster Beroaldus protulit, turbae istae pueriles dissipentur: *„Si domi sum, foris est animus.“*

v. 49. 50. Vid. comm. ad v. 35. Pro: Et levia Burm. „Nec levia“ maluit; sed Cynthiae, antequam ianua aperta omnem rem cognosset, causa non fuit, ut iam a primis laribus terrorem et tumultum faceret.

v. 52. comis. Broukh. comas coni., nullius libri auctoritate, sed cui Propertius nunquam satis graecissaret. Reposuit alterum Lachmannus.

v. 54. Palluerunt que Livius. Probant Broukh. Burm. Ed. Gott. Barth. Sed „Labra iam palluerant, antequam pocula exciderent manibus.“ *Lachm.* Recte. Cf. praeterea comm. ad El. IV, 7, 15. III, 24, 20.

v. 57 sq. ungues. Alii codd. ignes, quod vix eripi mihi a melioribus libris passus sum. aquas vero auro contra non vendam, quantumvis Iacobus languidum istum Perreiani libri foetum: anus nobis commendat. At spectaculum captae urbis est: hinc fuga, tumultus, clamor, ignes per noctem lucentes, mulieres, quae inter trepidationem, quid velint oblitae, in auxilium suum vicinium quoquo modo quiritantes excitant.

v. 60. insana nocte. Poplites quasi orationi succidunt, qui pro nocte cum Passer. et Fruterio: voce rescribunt, Burm. Kuinoel. — Egregie enim Martial. Ep. X, 47.: Nox non ebria, sed soluta curis. Sic contra noster III, 17, 11.: nox sobria. I, 11, 5.: memores noctes. II, 29. extr.: nox felix. III, 7, 53.: nox improba. Hinc et noctes silentes (Virg. Ge. I, 247.) et fatigatae El. IV, 11, 81. Virg. Aen. VIII, 94. Eodem pertinent stulti dies Tibull. I, 4, 34. sicca tempora ibid. 6. ubi vid. Dissen. nostri I, 4, 7.: formosum tempus. De toto vero hoc genere Q. P. II, 6. s. II. §. 24. p. 144. Errat autem cum Burmanno Kuinoelius, cum nervos ademptos versui nova coniectura: tonat pro sonat reddi censet.

v. 69. 70. Recte Lachm. a N. Eruitur accipit, protractus recusat. Alterum enim sententia flagitat, alterum (librariis utique pronius) post verbum tam forte languet. Immo ipsum verbum adorat sic demum propriam suam vim accipit. Ceterum de Genii adoratione vid. De diis patriis I, 3. p. 7 sqq. c. 6. p. 17 sqq. c. 8. p. 23 sqq.

v. 76. De lascivo foro quod sternitur, tum de arena quae sternit, vid. Q. P. II, 6. p. 152. 153. comm. ad El. III, 11, 35. IV, 6, 8. Utrumque enim genus, cum satis memorabile sit, ab interpretibus neglectum est. Proxime vero Ovid. Fast. II, 282.: Martia cum durum sternit arena forum. Adde e nostro III, 16, 29.: Me — humet cumulus. IV, 11, 85.: mutarit ianua lectum.

v. 78. sidat. Libri: sudet, quod de lecticariis interpretari Passer. frustra conatur. Lipsius: sit adoperta, et sententia laborante et versu pessumdato. Heinsius: se det numeris turpiter subsultantibus, sidat a Palmerio est, quod ut legi saltem versus posset, recepi. — tuae morae pro tibi commoranti plane Propertianum est. Cf. Q. P. II, 6. p. 149. operta Broukh. contra poetae voluntatem. Nam ab apertis lecticis Cynthiae plus timendum erat, quam ab opertis.

v. 84. Suffiit at. Dedimus id, quo codd. vestigia (N. Hb. sufficat) ultro ducebant. Nam quoties duplex *s* in libris mss. oblitteratum sit, nemo ignorat. *c* autem et *t* in quibusdam libris (ut N.) vix unquam discretae sunt. Hinc nostra scriptura interpretatio potius quam coniectura habenda est. Nec multum distat, nisi una littera transposita, Sufficiat. Beroald.: suffiit at, Itali: Sufficit et vel Suffit et a correxerunt, cui scripturae nos quoque olim patrocinati sumus coll. Ovid. Fast. V, 677.: lauro sparguntur ab uda. Vid. comm. ad El. III, 11, 24. Scaliger metro casso: suffocat, quod cod. Cui. praebuerat.

v. 85. totas — lacernas. Facile suspicari possis pluribus lacernis usos fuisse antiquos; nam de tunicis satis constat. Cf. Dissen. et Wunderl. ad Tibull. I, 5, 15. Forcell. s. v. Tunica. Ferrar. de Re Vest. III, 1. p. 176. Boettig. Sabin. II. p. 113. Et sic nos aliquando, ut totas esset omnes. Cf. comm. El. IV, 1, 23. At rectius pluralem numerum et hic et aliis locis pro singulari, sicut in aliis vestimentorum nominibus positum esse crediderim. Martial. IV, 2.: Spectabat modo solus inter omnes Nigris munus Horatius lacernis. Iuvenal. IX, 27.: pingues aliquando lacernas Munimenta togae — accipimus. Sueton. Aug. 40.: ne quem positis lacernis togatum paterentur consistere. Tum totas m. lacernas ne ineptum credas, quasi quis lacernam, cum semel mutet, ex parte tamen retinere possit, „penitus mutare lacernas“ interpretare coll. El. II, 4, 7. I, 21, 4. IV, 3, 54. Q. P. II, 6. p. 145. Sic statim v. 51.: totas resupinat G. valvas. I, 13, 15.: Vidi ego te toto — languescere collo. II, 2, 5.: maxima toto corpore. Add. Apulei. Metam. VIII. p. 203.: quadrupes toto tergo supina-

tus. Hinc quanti sit Heinsii coniectura: lotas — lacernas, apparet. Cf. Hemsterh. ad El. II, 13 (i. e. 16.), 49. p. 941. Burm.

v. 88. Despondi et tuto. Cum Iacobo Perreianum secutus sum. Nam recte Iacobus „arma solvere toto toro" vix sanum esse censet. Immo absurdum. Nec melius et sponda (quod Heinsius correxit), nisi simul movimus scribamus. At ne sic quidem recte. Nam sponda aut pro lecto posita est; tum vero tamquam diversa dividi et quasi enumerari „et sponda, et torus" non possunt — aut propria sua significatione: exterius lecti latus, qua torus ascenditur (vid. Isidor. Or. XX, 11. p. 629. Lind. Becker. Gall. Sc. 1. n. 12. p. 43.): tum absurdior etiam sententia. Quis enim in loco tam praecipiti vel adeo ad perpendiculum arduo castra Amoris posita bellaque decertata ferat? Haec, ni fallor, causa audaciae Marklandi fuit, qui nil sibi in Propertium non licere ratus corrigebat: Et spondis, toto movimus a. t. At illud ipsum: per singula pallia (v. 85.) non lectum loco motum, sed vestes tantum stragulas mutatas esse declarat. — Despondere contra eius esse, qui sponsionem accipiat, Iacobus ait. Arma solvere autem quod Broukh. Latinum esse negat: recte istud edictum a Lachmanno refutatum. Arma enim pro bello sunt. Vid. Q. P. II, 6. p. 152. 156. Ad priorem tamen versus partem scrupuli quidam restant: primum, quod despondere sine accusativo positum, vix aliud quid sonat quam animum despondere i. e. mori (Columell. VIII, 10, 1.), deinde quod in sponsionibus qui stipulationem accipit, non despondere, sed aut simpliciter spondere (Brisson. de Formul. VI, 159. 160. 161. p. 562 sqq.) aut respondere (L. I. §. 7. Dig. de Oblig. et Act.) dicitur. Hoc autem ipsum Respondi codd. exhibent, propterea tamen merito reiectum a criticis, quod iam v. 81. conditione accepta: respondisse se Prop. dixerat. Erat igitur cum, quamvis timidus, coniicerem:

Et spondae iniecto solvimus arma toro.

Litterarum enim ductus, si compendiorum formarumque saec. XII. memineris, non ita differunt, ut primo aspectu videantur. Intelligo tamen, qua parte haec quoque emendatio laboret, quamvis ultra progressus sic rescribere non ausim: Spondae iterum iniecto s. a. t.

Elegia IX.

Complures causas hoc carmine complexum esse Propertium constat: Fori boarii originem (v. 19. 20.), Aracae

Maximae consecrationem, Sanci Herculis cognomen. De Ara Maxima diversa narrant et ex parte contraria. Qui enim accuratissime rem referunt, primum post inventos boves Iovi Inventori aram iuxta portam trigeminam ab Hercule consecratam bovemque ei immolatum tradunt. Sic Dionys. Hal. I, 39.: ἱδρύεται πλησίον τοῦ τόπου Διὸς Εὑρεσίου βωμόν, ὅς ἐστι τῆς Ῥώμης παρὰ τῇ Τριδύμῳ πύλῃ· καὶ θύει τῷ θεῷ δάμαλιν ἕνεκα τῆς εὑρέσεως τῶν βοῶν χαριστήριον. Hoc sacrum haud dubie Ovidius significat Fast. I, 579.:

Immolat ex illis taurum tibi, Iuppiter, unum
Victor, et Euandrum ruricolasque vocat —

quos versus cave ne cum sequentium argumento in unum confundas, de quibus statim erit dicendum. Ex voto dicatam esse aram Solinus probabiliter narrat c. 2. p. 165. Delr. His sacris peractis, quae exinde a posteris in rei memoriam Graeco ritu (Dion. l. l.) celebrata sunt, altera ara apud Forum boarium post ianuas Circi Maximi (Serv. ad Virg. Aen. VIII, 271.) posita est, Potitiorum et Pinariorum religionibus nobilis, quam Maximam dictam et Herculi sacram fuisse cultumque et ipsum Graeco ritu institutum per saecula retinuisse omnes (Dionys. Solin. Ovid. ll. cc.) consentiunt. Itaque etiam ii qui prioris arae non meminerunt, ut Liv. I, 7. Virgil. Aen. VIII, 271. Fest. s. v. Potitium et Pinarium p. 237. Muell. Macrob. Satura. I, 12. III, 6. Tacit. Annall. XV, 41. Plutarch. Q. R. 60. Serv. ad Aen. l. l., quamquam hic alteram etiam narrationem profert, in qua vestigia prioris illius dedicationis deprehendere mihi videor. In eo uno discrepant, quod qui incorruptas, ut nobis videtur, fabulas sequerentur, ab ipso Hercule numinis sui conscio sibi constitutam aram esse tradiderunt, Virgil. Solin ll. cc. Hoc sacellum Herculis in foro boario erat (Solin.). Hinc Ovid. l. l. v. 581 sq.:

Constituitque sibi, quae Maxima dicitur, aram
Hic, ubi pars urbis de boue nomen habet.

Ceteri, qui ipsum heroem sibi sacra dicasse mirarentur, ab Euandro quidem conditam aram, ab Hercule tantum futuros sacerdotes Graecae religionis disciplina institutos esse narraverunt. Sic Liv. Tac. Dionys. Serv. In medio Festus rem relinquit. Unus tantum, quem tamen nemo sanus in testimonium adhibeat, S. Aurel. Victor omnia miscet (Orig. Gent. Rom. 6.): „Tum“ (bubus repertis) „Recaranus“ (servus Euandri, quem iste nugator pro Hercule substituit) „sub Aventino Inventori Patri aram dedicavit, appellavitque Maximam, et apud eam decimam sui pecoris profanavit.“

Propertium vero superiorem rationem secutum esse intelligo. Nam et gloriosa viri oratio (v. 67. 68.) et numinis salutatio proxime subiecta (Sancte pater, salve) hunc sibi Aram Maximam vindicare, non alii deo, apertissime declarant. Itaque v. 67. „gregibus devota repertis“ cave ne cum Iacobo „pro gregibus repertis vota“ interpreteris. Quomodo enim Hercules sibi, quasi homo deo, aram voveret, i. e. sibi ipse promitteret, si repperisset, dedicandam? Absurdum hoc. Sin non Herculi votam, sed Iovi aram dicas, et communis omnium quos excitavimus scriptorum auctoritas obstat, et ipsa de qua modo diximus loci Propertiani ratio. Ac ne verbum quidem devoveri recte haberet, quod si „in futuram consecrationem promitti“ significat, semper hostiarum est, non locorum. Hi enim voventur, non devoventur. Itaque devotus hic, ut saepius, in universum erit „dicatus“, ablativus autem gregibus repertis non pretium causamve, sed tempus tantum significabit: postquam repperi. Ceterum in hac ara statuam Herculis fuisse aeneam, triumphalem dictam, quam ab Euandro sacratam tradiderunt, coll. Plin. N. H. XXXIV, 16. apparet. Nam de templo Herculis Victoris in foro boario vid. ad v. 67.

v. 3. ad eductos. Coniectura Lachmanni palmaris. Itali multis saeculis ante: ad invictos invenerunt, quod de eo tempore dici, ubi colles isti non modo oppugnati, sed ne culti quidem humanis sedibus fuerunt, semper insolens erit. Recte autem, quidquid contra dicit Bachius (de Ingen. El. Rom. p. 220.) educti montes dicuntur, sicuti contra valles reductae vel subductae. Nam ne de aliis exemplis dicam, hoc certe Lucani de Apennino aptissimum, II, 428.: Longior educto qua surgit in aera dorso. — pecorosa deinde recte contra Heinsiani scripturam a Broukh. Propertio obtrusam: nemorosa defendunt. Sed vix mentis compos Kuinoelius: „quia nimirum Propertii aetate mons ille pecore abundabat.“ Nempe — ubi Navali stant sacra Palatia Phoebo. Tu vero sequentem (El. IV, 1, 4.) versiculum aspice: „Euandri profugae concubuere boves.“ Add. Tibull. II, 5, 25. Paul. Diac. v. Palatium p. 220. Muell. Varr. L. L. V, 53. p. 21.

v. 9. Incola iam Itali dederunt. Recte. Velabri enim (v. 5.) incola Cacus dicitur, ne cum Schradero (Emendd. IX. p. 178.) et Kuinoelio: Accola coll. Virg. Aen. VIII, 230. Ovid. Fast. I, 551. VI, 81. Colum. I, 3, 2. Liv. I, 7. reponendum esse credas.

v. 13. Nec sine teste deo. Bachius: „neque ignaro neque non vindicante Hercule.“ Immo: Iove hospitali

teste, quem polluit. Cf. IV, 4, 85. Homo enim etiamtum Hercules erat. Et rectius sic et expeditius oratio procedit: Iuppiter vidit: iuvencos mugitu prodere furem iussit. Hercules iratus (haec enim est ira Herculis, cf. Q. P. II, 6. p. 149. sq.) fores diruit. Hinc simul cur Heinsii coniecturam: Furis at improbemus, apparet. Nam leviter nexa membra ut celerius oratio fluat, efficiunt. Ad finem enim historiae et proprium argumentum, i. e. arae dedicationem, properat.

v. 20. erit. Francius ci. erunt. Non curamus talia. Cf. ad El. IV, 1, 14.

v. 22. feta. Auratus: foeda ci. quod absurdum est. Bachius cum prioribus interpretibus fetam terram in universum feracem explicat: languidum hoc loco et ἀπροσδιόννσον attributum. Iacobus denique eam terram interpretatur, quae cum cunctas aquas edidisset, sicca fuerit — quod non Latinum est: effeta enim tum scribendum erat. Miror ita circa verum errasse VV. DD. Omnia enim expedita erunt, si negationem non modo ad verbum ministrat, sed simul etiam ad attributum rettuleris: Terra (alias fontium nutrix et mater) nunc feta non erat Herculi, neque potum ministrabat. Fetam autem terram propter fontium partum dici, non modo proxima verba declarant, sed apertius etiam Callim. h. Iov. 27.:

τὸ δὲ πολλὸν ὕδωρ ὑπὸ ποσσὶν ἔχειτο,
Καί ῥ' ὑπ' ἀμηχανίης σχομένη φάτο πότνια Ῥείη·
Γαῖα φίλη, τέκε καὶ σύ, τεαὶ δ' ὠδῖνες ἐλαφραί. —

Hinc fortasse quartam interpretationis viam, quam Iacobsius ingressus est, probes: „terra, quamvis feta aquis, nullas tamen ministrabat.“ Nec magnopere impediam, modo ne cum Iacobsio terram omnem in universum gravidam dici credas. Immo ut ap. Callim. in Arcadia, ita circum forum Romanum omne solum humidum venas fontium celasse memineris. Cf. El. IV, 4, 50. Bunsen. Descr. Urbis Rom. I. p. 151. p. 135. Feta igitur illic fontium et maxime gravida terra venas suas sitienti clausit, ut infra est v. 35: Fontis egens erro, circaque sonantia lymphis. At altera ratio facilior etiam. Neque igitur opus Keilii coniectura tosta; quod post verbum torret (versu superiore) nimis langueret. Quae res ne ipsum quidem fugit, qui pro torret altero partu torquet legendum ediderit. Istud vero quid est, nisi litem ex lite serere?

v. 24. ab umbroso — orbe. Heins. at u. o. Tu verovid. Q. P. II, 6. p. 134. In sequentibus verbis iure mireis, intactos mansisse criticorum ausis accusativos illos: loca clausa, fontes, sacra, quos non tam ex verbo fe-

cerat, quam ex communi habendi vel praebendi notione omnibus verbis pariter propria pendere, unus Iacob. recte observat. Cf. Q. P. II, 6. p. 132. comm. ad El. III, 22, 37. — piandos autem fontes Kuinoel. interpretatur: „expiandos, si vir ex iis biberet.“ Miror, unde protasin sumpserit. Immo fontes piandi sunt, qui sacrificiis adhibentur. Cf. ad El. I, 1, 20. ubi sacra piare eadem significatione positum. Quamquam paullo aliter v. 55. ara piatur. cf. III, 10, 19. comm. ad El. IV, 1, 50.

v. 34. fana. Optime sic Scaliger. Quodsi quis singularem codd. discrepantiam miretur, compendiorum uāa et ūra simillimorum recordetur. Lips. Ant. Lect. II, 20. mirabilius aliquid excogitaverat: hospita nana, quae parva esse voluit. Heins. Advv. I, 3. p. 26. post interpolatores Italos: hospita tesqua. Sed recte Broukh. „vocabula rancida“ explosit. Ceterum de numero plurativo, cum tamen unus vir significetur Hercules, vid. Q. P. II, 6. p. 151.

v. 35. circaque sonantia lymphis. Scaliger infelici conatu rescripsit: circoque i. e. circumvagor, quod idem ille Broukhusius rancidorum verborum osor probavit. Heinsius iterum: per tesqua libris mss. susque deque habitis. Burmann.: circum antra, quod non adeo certe displicet, ut quod Langius (Actt. Phil. Monacc. T. III. fasc. 1.) aliusque V. D. (in Diario Classic. Lond. 1821. vol. XXIII.) suspicabantur: circaque sonant loca lymphis. Nam Doeringii commentum: cernoque sonantia non magis quam Livineii: circa resonantia verae loci difficultati subvenire, recte Bachius observat. Ipse in Epist. crit. p. 105. per saxa s. l. tentaverat, unde quomodo vulgata oriri potuerit, minime tamen apparet. Ego, si quid mutandum esset, proxime librorum vestigiis et sententia recta mallem: F. e. e. circaque sonat via lymphis. Viam enim puta semitam per lucum ad aediculam deae ducentem, quae murmure propinqui fontis resonat. Sic El. III, 18, 4.: Et sonat Herculeo structa labore via. IV, 8, 60.: Omnis et insana semita nocte sonat. At salva res est. — que enim illud post circa positum accuratius diversas res nectit, quibus quomodo Hercules erraverit definitur: fontis egens et circa fontes. Recte igitur Iacobs. Anthol. Poett. Rom. p. 267. que — idque interpretatur coll. Ruhnken. ad Vellei. II, 55. p. 261. et ad usum Graecum eundem in particula καί Schaef. ad Gregor. Cor. p. 985 sq. Long. p. 351. Recte porro sonantia lymphis pro loca sonantia, quod quamvis unius participii patentia analogia non satis defendi a Lachmanno, Bachio concedamus, in locorum tamen significatione:

declivia, invia, devia, plana, aperta, lubrica, alia id genus plurima usu communi sunt accepta. Quid? quod Plin. N. H. XII, 61. sitientia pro desertis arenosis dixit. Nam obstantia (silvarum) apud Tac. Ann. I, 50. et imminentia (rupis) Liv. XXVIII, 20, 3. iam sunt faciliora. Prorsus vero ad nostrum exemplar factus Ovid. Met. V, 405.: Perque lacus altos et olentia sulfure fertur. Quidni igitur sonantia lymphis?

v. 38. Qua lege ductus Alciden, non Alcidem scripserim, vid. Q. P. II, 6. s. III. p. 164.

v. 39. audit quamvis contractione ex audiit factum esse posse, exempla a Reisigio et Haasio prolata (Gr. Lat. p. 228.) Virg. Aen. IX, 9. III, 674. Iuvenal. Sat. VI, 559. doceant, tamen si locos Propertianos a nobis Q. P. II, 6. p. 120. congestos comparaveris, potius, figura Propertio perquam familiari, praesens pro perfecto positum esse assentieris.

v. 40. ad natas. Alii aliter coniecerunt: vastas Itali, quod iam V. cum Comeliniano exhibet, varias ex tribus libris infimae notae Markland. Heins.: stratas. Broukh.: notas (coll. Horat. Ep. II, 1, 11.); satis languide. Codd. scripturam defendit Lachmannus: „Quotiescunque nova monstra nascantur, sua tela irrita negat.“ Notissimus is adiectivi usus in formula: e re nata, et cogitabat fortasse poeta de hydrae capitibus telo Herculis subnascentibus. Insolentius tamen dictum fateor, nec male Santenius coniicit (ad Catull. Manl. p. 6.): ad nocuas. Malim tamen ego: ad tantas. Hoc certum, uatas quod N. habet, novum esse eius librarii errorem. Nam D. et Hb. id quod reliqui probi omnes, natas habent.

v. 41. Stygias luxisse tenebras. „immisso lumine, cum Cerberum ab inferis duceret.“ Ita fere interpretum vulgus. Quanto rectius Iacobs. p. 267. Stygias tenebras huic uni non sine luce fuisse ait. Hic enim solus, tamquam hac die uteretur, viam inferorum invenit et facinora caecis locis praeclara perpetravit. Neque igitur hoc saltem hic quaerendum, quod poetae (Graeci imprimis) tenebris quoque et nocti splendorem aliquem tribuunt. Cf. Simonid. ap. Dion. Hal. Compos. Verb. 26. frgm. 50, 8. Schneidew.

v. 42. Versum iniuria a Scaligero eiectum recte Santen. ad Catull. l. l. Propertio vindicat. Quin et hic et infra (v. 66.) paullo immutatus summa cum indignationis vi repetitur, quam tamen sic demum vere sentias, si priore loco vix ad preces referas, quibus mundi liberatori fesso parvus hic angulus a mulieribus expugnandus sit, postea

vero ad laborem, quo negatum sibi ipse tandem vindicavit. Hinc neque pro vix — non (quod Santen. coni., Iacobs. recepit), nec pro haec — heu cum Iacobo legendum esse apparet.

v. 43. Quodsi libri optimi. Quid, si ex Guarner. Lachmannus et Santen. praetulerunt. Accedit Mentel. cum V. At nihil muto. Cf. comm. ad El. II, 7, 15.

v. 45. aliquam libris probis tutum retineo; nam ne de sententia dicam, facilius a librariis ab hoc in aliquem aberretur, quam contra.

v. 46. perustam comam flavum crinem in fuscum mutatum vulgo interpretantur coll. Tibull. I, 9, 15. Sed asperam etiam et crispam solis ardoribus comam fieri, recte illic I. H. Vossius observat. Cf. Theodect. ap. Strabon. XIII. p. 1019.: *ἀγχιτέρμων ἥλιος συνέστρεψεν κόμας*. Ceterum de enthymemate et apodosi enuntiati conditionalis nervosiore, cf. Q. P. II, 6. p. 127. Recte Iacobs. comparat Theocr. XI, 30.: *Γινώσκω, χαρίεσσα κόρα, τίνος οὕνεκα φεύγεις· Οὕνεκά μοι λασία μὲν ὀφρὺς ἐπὶ παντὶ μετώπῳ — Ἀλλ' οὗτος τοιοῦτος ἐὼν βοτὰ χίλια βόσκω.*

v. 48. Lydo — colo. Hic quoque ut El. IV, 1, 72. Itali colum in alterum sexum transire iusserunt. Tu vero cf. Q. P. II, 6. s. III. p. 162. Catull. Epithal. Pel. 312. Ruddim. Inst. p. 33. n. 78. Schneider. de Etymolog. p. 53., qui tamen de hoc Propertii loco imponi sibi a Broukh. passi sunt. colu Broukh. inventum est, quo nondum ed. Lips. Lachm. purgatam esse mireris.

v. 50. manibus duris apta puella fui. Heinsius, scilicet ut lepidissimum contrarium periret, apta tabella fuit coni. de fiabellis nescio quid somnians. Tu vero cf. El. III, 11, 20.:

Ut qui pacato statuisset in orbe columnas,
Tam dura traheret mollia pensa manu.

v. 51. at praetuli contra Iacobum. Nam contraria haec et v. 14. causa. Illic quae sponte secuti sunt, copulandi particula nectantur, hic contrariae sibi et pugnantes orationes opponuntur.

v. 53. abscede. Broukh. age cede correxit, quia „sic melius visum“ esset.

v. 55. Ne ablativum metuenda lege ad verbum piatur referas, de quo vid. v. 25. Pertinet potius ad verbum interdicta; deinde, ne toties tibi cum Heinsio res sit, vindicare — tueri esse memento, submota casa vero: latens in luco.

v. 57. Magnam. Sic libri probi omnes praeter unum

Passeratii interpolatum, unde Magno Lipsius et Douza pater reddi Propertio iusserunt. Et sane Pallas Callimachea (h. L. Pall. 101.) de ipso hoc Tiresia: ὅς κέ τιν' ἀθανάτων Ἀθρήσῃ μισθῷ τοῦτον ἰδεῖν μεγάλῳ. Hunc autem expressum esse a Propertio tanto verisimilius est, quod praeter hunc nemo Romanorum ad Minervam causam Tiresiae occaecati refert. Nec tamen quidquam hic muto; nam post v. 53.: Parce oculis, hospes — uno verbo fatum Tiresiae indicasse satis erat, immo efficacior etiam et quae magis minantem deceret ἀποσιώπησις. Satis erat Tiresiae Minervaeque ab eo visae Herculem admonuisse, ut quid damni sibi timendum esset, ipse ultro colligeret. Nam de vi et usu asyndeti et ratiocinationis imperfectae apud Propertium vid. Q. P. II, 6. p. 126. 127.

v. 60—67. limitis libri vett. omnes. liminis non ita pridem irrepsit, Horatii, puto, Tuscanelli interpolatione. Iure expulit Broukh. coll. IV, 4, 50. Deinde fluit egregia est Fruterii emendatio Verisimm. I, 14. Cf. enim de eodem librariorum errore comm. El. III, 22, 28. Iam ad fortissimam illam metonymiam iratam sitim (v. 62.) vid. Q. P. II, 6. p. 150. De v. 66. supra ad v. 42., de v. 67. argumentum carminis. Ipsam autem aram antea Bonae deae sacram veluti expugnatam suam fecisse et Maximam inde appellasse Herculem, sententiarum nexus docet. Ceterum miror, quod Merkel. ad Ovid. Fast. p. CXXI. hanc aram eandem fuisse atque aedem Herculis Victoris in foro boario positam, dubitantius tantum neget. Nam aediculam istam, quam Aemilianam dictam esse ex corrupto Festi loco vulgo efficiunt (p. 242, 31. ubi codd.: „Pudicitiae signum in foro Bovario est, ubi familiana aedisset Herculis.“ Scaliger: Aemiliana aedis est, probante Müllero; Daceria: Fulviana est aedes. Ego: flaminia, et aedis H. — vid. Liv. V, 40. coll. Varr. L. L. V. §. 157. Müll. Placid. p. 452. ap. Mai.), illam autem aediculam haud ita pridem a nescio quo Oct. Herennio ex voto dicatam esse disertis verbis Masurius Sabinus l. I. Memorabilium tradidit ap. Macrob. Sat. III, 6. p. 435. coll. Serv. ad Aen. VIII, 363. Contra alterum Herculis Victoris sacellum eodem Macrobio teste (Sat. l.l.) iuxta portam Trigeminam situm ad antiquissima illa tempora et Caci caedem relatum fuisse, tanto est verisimilius, quod et locus speluncae quae perhibebatur, semiferi illius proximus est (Solin. Pol. c. 2. l.l.), et ibidem Iovis Inventoris ara (cf. argum. h. carm.) ab Hercule dicata fuit, quodque sic optime intelligitur, unde Sex. Aur. Victoris error venerit, de quo item in argumento diximus. Accedit ut Virgilius, qui uno

saepe verbo antiquas historias docte indicare solet, Aen. VIII, 363. de domo Euandri: Haec, ait, limina Victor Alcides subiit. Et sic Ovid. Fast. I, 579.: Immolat ex illis taurum tibi, Iuppiter, unum Victor.

v. 69. veneranda. Recte, neque enim rei divinae faciendae causa adire huc mulieres fas erat. Atqui hoc est venerari. Cf. Virg. Aen. VII, 220. III, 84. ibiq. Servius. Heinsius coni.: temerando, quasi ceteras aras temerare mulieribus licuerit. Praeplacuit tamen Broukhusio et Burmanno.

v. 72. inesse. Guyet. ex cod. Passer. adesse ci., recepit Kuinoel. At illud multo magis est Propertianum. Cf. Q. P. II, 6. p. 157.

v. 73. Hunc libri mss. Nunc editiones inde a princ., sententia perversa. Nam quod nunc Broukh. igitur, ergo interpretatur: non in antecedentibus causa posita est, sed hic demum subiungitur: „quia — sanxerat orbem.“ Nec vero El. IV, 10, 45.: „Nunc spolia in templo tria condita“ — comparandum est: illic enim praesentis plane temporis particula; nec rursus illo ipso tempore, postquam Caco occiso Aram Maximam Hercules constituerit, a Sabinis alterum dei sacellum positum nomenque ei Sanco inditum esse significari potest. Obstat enim temporum ratio, sive aedem a Tarquinio Superbo in Quirinali dedicatam, a Sp. Postumio consecratam (Dionys. Hal. Ant. Rom. IV, 59. coll. IX, 60.), sive quod versus extremus persuadet, a T. Tatio eo loco constitutum sacellum esse (ut Ovid. Fast. VI, 213. et, si tamen recte Merkel. ad e. l. p. CXXXVI. divinavit, Tertullian. ad Nat. II, 9.) Propertius credidit. Nec multo distat Augustin. Civ. D. XVIII, 19. qui Sancum sive Sanctum eundem atque ipsum T. Tatium a Sabinis divino honore mactatum fuisse asseverat. Cf. Lactant. Div. Inst. I, 15. Utut est, hoc certum, Tatiis Curibus, patria pro incolis posita, Sabinos significari, non qui in montibus suis degebant, sed Romam iam delati et Quirites facti. Atqui sic hoc loco salva tantum res erit, si Hunc cum libris omnibus retineas, eodem modo quo ab Ovid. l. l. positum:

Hunc igitur veteres donarunt aede Sabini,
Inque Quirinali constituere iugo.

Duobus enim superioribus αἰτίοις (de quibus vid. argum.) tertium iam subiicitur, Sanci appellatio et consecratio. Hunc enim eundem esse quem Herculem, ideo a Sabinis Sancti nomine dictum quia orbem sanxisset, significat.

v. 74. Sanctum. Heinsio obsecuti Sancum omnes praeter Iacobum editores scripserunt. At tribus modis decli-

natum nomen invenimus: Sancum, Sangum, Sanctum, cum et ipsi scriptores diversam fuisse formam testentur, et lapides litterati diversam exhibeant. Cf. Brisson. de Ritu Nuptial. p. 63. sqq. Add. Klausen. de Carm. Fratr. Arvall. p. 66. Merkel. ad Ovid. Fast. p. CCIX. Deinde pro Tatiae Scaliger Tatii scripsit, libris invitis, probantibus tamen fere VV. DD. At utrumque genus nominis eius apud veteres usu venit. Masculinum sane est ap. Ovid. Fast. II, 135.; sed femininum Dionys. Hal. II, 48.: ἐν ὀλίγῳ — χρόνῳ κτίζει τὰς καλουμένας Κύρεις. ibid. 49.: τὰς προσαγορευομένας Κ. — Iam Sic, pro quo Heinsius iniuria Hic maluit, eventum simpliciter indicat, eodemque modo dictum est quo El. IV, 2, 47.: At mihi, quod formas unus vertebar in omnes, Nomen ab eventu patria lingua dedit. composuere denique, quod nemo interpretum recte explicuit, ita demum quid sit senties, si idem nomen quod deum modo, sententia aperta, significavit, in eodem enuntiatio cum aliis verbis necti didiceris, unde aedes necessario intelligenda sit. Sic Ovid. Fast. VI, 91.:

Venit Apollinea longus Concordia lauro
Nexa comas, placidi numen opusque Ducis.

I, 639.:

Nunc bene prospicies Latium, Concordia, turbam;
Nunc te sacratas restituere manus.

Utroque enim loco templum a Tiberio refectum significatur. Componere autem templum Ovidius quoque dixit Fast. I, 708.

Elegia X.

Perizonii opinionem, qui olim universae paene antiquitatis atque nostri etiam Propertii fidem infringere conatus, Spolia opima non solum ea esse quae dux Romanus de duce hostili receperit, sed etiam quae miles gregarius, dummodo de duce hostili, tanta doctrina et sagacitate demonstrare studuit (Animm. Hist. c. VII. p. 236. sqq.), ut doctorum hominum, quod sciam, omnium consensum nanciscereturr, hanc ego opinionem quondam (ad interpretationem Propertii Germanicam) falsam pronuntians, cur ita censerem, his commentariis demonstrare apud animum constitueram. Iam quia molem libri huius longe ultra quam speraveram crevisse vidi, in praesenti eam quaestionem seposui, mox alio loco eoque commodiore prolaturus. Ad hanc vero Propertii elegiam quod attinet, occasionem restitutionem templi a Caesare Octaviano curatam dedisse, post Vulpium interpretes ad unum omnes af-

firmant, non satis credo temporum rationibus expensis. Etenim si Nepotis verba, qui Vit. Att. 20, 3. ex frequenti litterarum commercio, quod inter Caesarem et Atticum intercesserit, accidisse narrat, ut amici docti admonitu ille aedem Iovis Feretrii reficiendam curaret: haec igitur verba si ita interpretamur, ut T. Pomponio adhuc superstite templum apertum et reparatum fuerit, Propertium ab hoc facto auspicari elegiam hanc non potuisse, facile colligetur. Nam eo tempore quo Atticus obiit, Cn. Domitio C. Sosio coss. i. e. a. U. 721., Propertius vix annum quartum decimum agebat. Cf. Q. P. I, 3. p. 17. Contra si protractam esse per aliquod tempus restitutionem ponamus, non leve momentum argumentationi nostrae accesserit, qua iuvenilia maxime haec *Αἰτίων* carmina et ante amorem Cynthiae scripta esse evicimus. Q. P. I, 5. p. 27. I, 6. p. 45. II, 2. p. 55. III, 2. p. 216. III, 3. p. 223. Cui rei hoc quoque accedit, ut, si iam in interiorem familiaritatem domus Augustae provectus haec Propertius scripsisset, profecto occasionem laudes restitutori templi debitas celebrandi non omisisset. Vide enim, quam diversa ratione in templi Palatini causis versatus sit Eleg. IV, 6.

v. 1. 2. causas aperire quid sit, nemo dubitavit. Sed quomodo arma aperire recte dicatur, frustra ab interpretibus quaesiveris. Recte autem dictum esse, coll. Q. P. II, 6. p. 157. et 155. fin. comm. ad El. II, 1, 10. apparebit. Ceterum duriora esse in his elegiis iuvenilibus plurima, quae cum extrema polientis manu caruisse videantur, falso ad severiorem Latinitatis obrussam exigas, toties monere longum est. Itaque hoc imprimis carmine multa intacta reliquimus, quae si alio loco legerentur, an ab ipso Propertio profecta non essent, magis dubitaremus. Sic v. 5. 40. 43.

v. 3. De metaphora vid. comm. ad El. II, 10, 23. III, 9, 8.

v. 4. e facili. Nescio unde irrepserit: ex facili. Lachm. optimos libros secutus illud restituit. Causam addam, quod nunquam Propertius ante consonam ex posuit.

v. 5. Imbuis. Itali cum Burm. II. Induis, quod Iacobus exemplis ab Heinsio ad Claudian. VI. Cons. Honor. 651. congestis frustra defendere studet. — Nam aliud est honorem induere atque id genus similia, aliud exemplum. Sed alterum quoque non nimis expeditum est. Nam si imbuere idem hic est atque docere, quod sane esse videtur: semper cum accusativo personae eius quam erudimus, nunquam c. acc. rei coniunctum illud apud probos auctores videmus. Itaque ne Catulli quidem locus a Iacobsio citatus (Flor. p. 273.) quidquam iuvat. Illic enim (Nupt.

Pel. v. 11.): „Illa (Argo) rudem cursu prima imbuit Amphitriten“ mare naves ferre doctum esse ab Argo significari, adiectivum rudis declarat. Tamen quoniam quid aliud scripsisse Propertius possit, in mentem non venit: verbum imbuere, quod proprie cum humectare esse videtur, tum instillare, ad proportionem similium verborum quae duplicem structuram admittunt (velut inspergo, impertio, inscribo, incoquo [cf. Pers. Sat. II, 74.], insero), cum accusativo rei coniunctum esse censeamus. Quod vero non hanc palmam (i. e. eiusmodi victoriam cf. Q. P. II, 6. p. 126. El. IV, 1, 102.) docuisse Romulus dicitur, sed exemplum palmae et primae quidem huius palmae: hoc ad illam prolepsin, seu mavis dicendi abundantiam pertinet, de qua diximus Q. P. I. l. §. 21. p. 140.

v. 6. exuvio. Broukh. eximio; nam in mss. talia nihil distare, quis nesciat? Sed verissimum est Lachmanni iudicium, „plenas non bene hic nude dici, neque in hoc summam rei versari, ut eximius hostis, sed ut dux caederetur a duce.“ Iam ad

v. 7. de forma Acronta, pro quo ante Broukh. Acrona vulgo scripserunt, vid. Q. P. II, 6. s. III. p. 165. s. fin.

v. 9. Herculeus. Cf. ad El. IV, 9, 74. Erant enim, qui fabula paullo aliter declinata, Herculem sive Sancum atavum et *ἐπώνυμον* gentis Sabinae esse traderent. Hinc regia imprimis stirps Herculea dicta. Cf. enim praeter Augustin. et Lactant. l.l. Dionys. Halic. II, 48. 49.

v. 11. ex humeris sperare. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 17. p. 133. Deinde Quirinis ex uno Cuiaciano Broukh. *Καχόζηλον* est, et antiqua probamus.

v. 13. librantem codd. optimi, et magis hoc verbum, quo grave telum ponderatum manibus significatur, immanem hostis habitum describit, quam vibrantem, quod ni fallor ab Italis inventum, usque ad Lachm. editiones obtinuit. Quamquam non recte hic Io. Schraderum secutus vibrari hastam tantum emissam praedicat. Cf. contra Liv. XXI, 28. Lucan. VII, 82. Oudend. ad Apul. Metam. IV. p. 316. — quos locos nobis suppeditat Wagn. ad Virg. Aen. XI, 607. qui recte vibrari, celeri motu quassari interpretatur. Atqui haec ipsa agilitas non faciat feroci Caeninensi.

v. 20. hirsutis — iubis Lachm. ex G. restituit. Antea hirsuta — iuba legebatur, quod Broukh. ideo probabat, quia cultum agrestem vastus litterarum sonus deceret. Quasi vero ullum (nisi forte comoediae) argumentum rusticam linguam posceret. Negat Horatius, negat etiam

Virgilius, cui molle atque facetum Annuerunt gaudentes rure Camenae. Praeterea unde hirsutis iubis in hirsuta iuba mutari a librariis potuerit, facile apparet; contra minime.

v. 21. neque. Ante Lachm. nec. Sed vid. ad El. IV, 5, 50. Pyropum deinde falso ab interpretibus gemmam intelligi, participium inducto declarat, quod nisi in massa ductili non dicitur. Immo pyropus aes auro mixtum est, Plinio teste N. H. XXXIV, 20. add. Isidor. Orig. XVI, 19.

v. 23—26. Passeratii dubitationes, quibus ille Broukhusio aliisque transponenda esse haec disticha persuaserat, Io. Schraderus (Emendd. IX, 89.) nequaquam ita nobis infregisse videtur, ut res ad liquidum nunc sit perducta. Quamvis enim Nomentum et Coram post Romuli regnum finibus Romanis addita esse satis constet, quis tamen rursus eo tempore quo Cossus spolia opima rettulit, i. e. bello Veienti secundo, ultra Tiberim belli sonum venisse negaverit? Immo quanto hoc bellum prioribus illis, quibus vel Cora vel Nomentum caperetur, nobilius erat, tanto minus contra historiam, satis inter omnes vulgatam, offendere Propertio licuit. An ὑπερβολὴν illam dixeris, qua ultra Tiberim fines Romanos nondum prolatos fuisse significetur? Non ὑπερβολὴ illa fuerit, sed mendacium. Itaque nisi alia, quam nondum novimus, medicina proferatur, errasse potius in historia Propertium fateamur, quam tantae infantiae eum insimulemus. Ceterum caede Tolumni interpretantur caeso Tolumnio. Immo cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 18. p. 137. Sic saepe eundi verba cum ablativo iunguntur, non instrumentali quem vocant, sed qui simul aliquid esse significat. Virg. Bucol. X, 24.: Venit et agresti capitis Silvanus honore. Aen. III, 233.: pedibus circumvolat uncis. Graeci exemplum dativo suo praeiverunt. Eurip. Phoeniss. 1397.: ἧσσον δὲ λόγχαις. Hermes. Leont. ap. Athen. XIII. p. 597. frgm. 5, 30. Bach.: εἰς Ἰθάκην ἀνετείνετο δῖος Ὅμηρος ᾠδῇσιν πινυτῆς εἵνεκα Πηνελόπης. Call. h. Dian. 161.: ἔτι οἱ πάρα νηδὺς ἐκείνη, τῇ ποτ' ἀροτριοῶντι συνήντετο Θειοδάμαντι. Il. γ'. 2.: κλαγγῇ τ' ἐνοπῇ τ' ἴσαν ὄρνιθες ὥς. Similia quamvis non prorsus eiusdem generis exempla collata invenies ap. Bernh. Synt. Gr. p. 100.

v. 26. terna, quod in libro Pucc. legitur, e reliquorum codd. erroribus coniectura certa iam Scaliger eruerat. Optime; nam id, quod primi ni fallor Aldinarum editores dederunt: „pauca", scioli interpretamentum est nullo libro ms. nixum. At ne ille quidem qui suum Propertio reddidit I. Scaliger, terna recte explicuit: parva, exigua. Immo do-

ctius hic aliquid latere, sagacissima Niebuhrii disquisitione admoneor, qui (H. R. II. p. 55 sqq.) pro triplici gentis Romanae stirpe in trinas iugerum centurias agros oppidorum captos divisos et colonis assignatos esse docet. Iam

v. 27. O Veii unus Gr. servavit, quod merito Lachm. Schradero auctore primus Propertio reddidit. Nam reliquorum Et unde venerit, non modo versus insequentis initium declarat, sed apertius etiam N., qui quin nota sua epiphonema aliquod, non coniunctionem Et significare voluerit, nullus dubito. Cf. enim librorum discrepantias ad El. I, 19, 22. II, 12, 15. II, 24, 36. IV, 8, 48. I, 3, 38. — Guyet. tentaverat: „Vos V. v. tum Volscum regna fuistis“ — Gallicum frigus; quasi in recordatione lugubri doctrinam otiosam iactare deceret.

v. 32. Ne cum Keilio (p. 32.) in verbo fretus offendas, cum semel positus ablativus urbe sua bis intelligatur, vid. Q. P. II, 6. s. II. §. 11. p. 124. Sic igitur accipe: urbe fretus sua, ab urbe coll. d. — Vides brevitatem et nervos.

v. 34. Vinea qua Lachm. reposuit ex N. et de quo Iacob. non recte dubitare videtur, M. — Facillimus autem librariis error Vineaque, quo semel invecto, ut metrum stabilirent, syllabam in fulcri causa interseruerunt. Recte vero Pucc. aliique Itali v. 36. gradu uno apice addito correxerunt, quod probum esse et Latinum Lachm. coll. Virg. Ge. II, 273. asserit.

v. 39. A Rheno libri omnes. Recte. A Rheno enim traiecti (Alpium saltum) Galli docte dicuntur, quorum maiores Belloveso duce per Helvetiam in Italiam descenderunt. Montes, quos traiecti sint, sponte Alpes intelliguntur. Sic traiicere nullo nec fluminis nec montium nomine addito, ut quod per se intelligatur, Tac. Ann. XII, 39.: ut quondam Sugambri excisi et in Galliam transiecti — et ipse Prop. III, 18, 31.: nauta, pias hominum qui traiicis umbras. — Eridanum tamen iam vulgo VV. DD. receperunt a Guyeto.

v. 40. cum scripsi cum Lachm., non quo facilius videatur quam Heinsii et Guyeti coniectura: cui, sed quia in hoc carmine religiosius etiam quam alibi codd. sequendos esse duxi.

v. 41. Virdomari, non Virdumari Propertium scripsisse credo, quoniam per varias librorum discrepantias o tamen in syllaba secunda pertinaciter sedit. Quamquam Fasti Capitoll. ap. Gruter. VIRDVMARO exhibent. At VIRDOMARVS in inscriptione Maffei. Mus. Ver. 121, 3. ap. Orell. C. I. n. 3582. et sic Serv. ad Virg. Aen. VI, 855. — Rheno

— ipso. Heins.: Brenno iact. ab ipso, quod probat Iacobus, cui Rhenus pater Virdomari displicet. At nihil poetis Latinis frequentius, quam heroum originem a diis patriis, fluvialibus imprimis repetere. Cf. Burm. et Scalig. ad El. I, 11, 11. Drakenb. ad Sil. Ital. XI, 290. Quid igitur mirum, quod gloriosus hic regulus Rhenum ipsum non patrem (quod ille putat), sed atavum et auctorem generis iactat? Vid. enim similia inventa apud Silium XV, 745 sqq.

v. 42. Nobilis e rectis — rotis. Lips. et Livin.: e tectis coniecerunt, de curribus Gallorum interpretati, qui superne tecti fuerint. At testes quos illi proferunt satis locupletes, Caesar de bello Gall. IV, 33, Mela III, 6. Florus III, 4. de tectis curribus ne unum quidem verbum. Caesar contra: „Primo" inquit, „per omnes partes perequitant et tela coniiciunt" — et paulo infra: „tantum usu quotidiano et exercitatione efficiunt, uti in declivi ac praecipiti loco incitatos equos sustinere et brevi moderari et flectere et per temonem percurrere — consuerint." Qui locus veluti ad interpretationem Propertiani huius factus, optime quid rectae rotae velint, declarat. In ipso enim cursu et dum currus equosque regit, fundere tela solitum esse Virdomarum ait. Idem autem Caesaris locus paene effecit, ut pro Nobilis — Mobilis reponeremus, nisi scripturam hanc in N. deletam, librarii potius lapsu natam et ab eadem manu correctam, quam acceptam ab exemplari antiquiore esse, codicum cognatorum discrepantia testaretur. Heinsii vero coniecturae: erectis — toris ideo interpretationem non addimus, ne lectorem aenigmatis delectatione fraudemus.

v. 43. Hunc versum ea tantum lege a Propertio profectum concedamus, si, quod non raro a poetis Latinis factum esse constat (cf. Interpp. ad Virg. Aen. VI, 847.), ex nescio quo prisco carmine, veluti ex Annalibus Ennii, huc translatus fuerit. Alioquin enim obsoletam formam illi pro genitivo positam quis in Propertio ferat? Nec rursus Perreiani libri et Italorum coniecturae iuvant, quae unde tanti librariorum errores venerint minime declarant. Ille vero libri Passeratiani interpolator, cum virgatis velantibus inguina braccis corrigeret, ne hoc quidem sensit, descriptionem braccarum, quas vel brevissime indicatas non nimis hoc loco laudaverim, insipide sic et in languorem summum extendi. Lachm. deinde, qui in ed. Lips. iaculanti ut ab agmine coniecit, ita impeditam reddidit et undique subsultantem orationem, quam vix auribus, nedum mente in unum ambitum complectaris. Nam v. 39. apodosin totius periodi esse voluit,

huiusque protasin v. 40. usque ad Virdomari: hanc autem ipsam protasin rursus apodosin fecit vv. 43. 44. interiectis tamen inter utramque verbis: „genus — rotis.“ Ne de duriore synaloephe dicam, et de praepositione ab in eodem enuntiato eodemque disticho repetita. Denique qui Persii loco (Sat. V, 4.) abusi cum Casaubono ab inguine scribere malunt, duobus illis scrupulis relictis inficetiam addunt. Quis enim modum ab inguine iaculandi ferat quem Casaubonus, ne erres, ex hoc ipso Propertii loco confectum Persio et ipsi invito obtrudere conatur. Vid. Plum. et Koenig. ad e. l. Mihi persuasum est, Propertium scripsisse:

Illi virgatis iaculanti abiegnea braccis —.

Sed retinui manum, donec forma haec adiectivi aliorum scriptorum usu comprobaretur. Nam ab analogia similium vocum satis defenditur. Etenim ut quernus et querneus, ilignus et ligneus iuxta dicuntur, sic abiegnus et abiegneus ut pariter dictum fuerit, proportio paene cogit. Abieginea vero, formam magis etiam distractam, in marmore Neapolitano legi comperi ap. Hess. ad Enn. p. 199. — Abiegna ἐλάτινα sunt gesa ex abiete facta. Cf. Virg. Aen. XI, 667. Stat. Theb. IX, 572. Valer. Flacc. VI, 197. 236. Vides autem, quomodo ab hac forma male intellecta in diversas partes libri abierint. Ceterum de ablativo virgatis braccis ad pronomen illi referendo vid. Q. P. II, 6. p. 136. Restat, ut de coniectura satis eleganti dicam:

Illi virgatas maculanti sanguine braccas —

quam Merkelius (ad Ovid. Fast. p. CCLII.) dubitare non debebat, utrum sua esset an Schraderi. Qui enim suam credere potuit, qui haec subiiceret: „contra praeceptum Bentleianum Hor. Carm. I, 25, 17. Sed Propertius et Ovidius non curarunt Verrium Flaccum; ille supra 2, 59.: properanti falce, hic Fast. V, 571.: Hinc stanti milite iusto.“ Ergo ille non intelligebat, falce non esse ablativum absolutum, sed instrumentalem? Ergo ille non sensit, hoc loco, si coniecturam illam admisisset, illi, unde omnis lis orta est, dativum ex genitivo fieri, et cum participio maculanti, et ipso dativo, iungendum esse necessario?

v. 47. haec arma „i. e. quae erant v. 45.“ *Lachm.* Recte; ne scilicet cum Broukhusio contra omnes libros huc scribere coneris.

Elegia XI.

De dispositione argumenti Q. P. II, 5. p. 84. diximus; de L. Aemilio Paullo et de Cornelia, in cuius honorem hoc

epicedium scriptum est, ibid. I, 5. p. 30. de tempore denique scriptionis ibid. III, 3. p. 228.

v. 1—6. Versus hos Casp. Barthius, Broukh. Koppiers. Beckius quia Manium et ossium, sepulcri et inferorum rationes per totam hanc elegiam, non modo singulis vocabulis (velut vv. 3. 20. 58. 74. 102.), sed integris interdum versibus modo ambigue, modo aperte misceri (ut vv. 7. 8. 13. 15. 16. 35. 91. 92.) non intellexerant, variis modis transponere conati sunt. Sed recte rem Lachmannus animadvertit, quamvis in eo paullum a vero deflexus, quod rogos v. 8. non tam confusos cum sepulcris et Orco, quam vocabula tantum permutata censuit, et sic aliis quae attulit exemplis. Nos vero ipsa hac confusione locum, ubi Cornelia versari fingatur, adeo incertum fieri iam ad interpretationem Germanicam animadvertimus, ut quomodo illa mox apud iudices infernos dicere, mox ad maritum puerosve conversa hos alloqui et velut cum praesentibus agere possit, nequaquam intelligatur. Unde cum animus legentis in diversas quodammodo regiones distractus singulas partes simul complecti et totum ponere nequeat, carmini pulcherrimo non leve damnum inflictum esse apparet. Ceterum confusas has de mortuorum conditione sententias, quae maxime admirabili modo vv. 14. 20. 56. 74. comparent, iam aliquoties a nobis observatas (ut El. II, 13, 31. III, 18, 32. IV, 5, 2. IV, 7, 12. et argum.) non Propertio tantum proprias sed passim apud veteres obvias exempla et ll. cc., imprimis vero ad El. III, 18, 32. collata docent. Adde Virg. Aen. IV, 24.: Id cinerem aut Manes credis curare sepultos. Ovid. Metam. VIII, 496.: Vos, cinis exiguus, gelidaeque iacebitis umbrae, et quae Lachm. hic confert Catull. XCVI, 1. CI, 4. Tibull. II, 6, 34. Ovid. Fast. VI, 497. Hinc Naevii „Orcinus thesaurus", hinc fortasse vel Horatiana illa: „domus exilis Plutonia" (Od. I, 4, 17.) interpretanda, quippe qui urnam parvulam — Plutoniam propter eandem Orci et sepulcri confusionem dixerit. Primum autem perturbatio illa a lyricis Graecis orta (cf. Pindar. Pyth. V, 92. (130.) Huschk. Ep. crit. p. 125.), mixtis deinde Graecorum Romanorumque superstitionibus vehementer aucta est, cum illi propriam umbrarum sedem Orcum commenti essent, hi animas defunctas iuxta sepulcra versari persuasum haberent. Cf. libell. de diis patriis I, 1. p. 6. all. Huc statim v. 1. pertinet. Quomodo enim Paullus Manibus uxoris in sepulcro versantibus lacrimans incommodet, si eaedem lacrimae (v. 6.) ne ad aures quidem inferorum penetraverint. At hic deos Manes sibi fingit. Cf. Ovid. Fast. II, 506.: „Nec violent illic — lacri-

mis numina nostra suis", et praeter locos ab interpp. citatos Burmann. ad Anthol. Lat. II. p. 9. Dissen. ad Tibull. I, 1, 68. Iam

v. 2. ianuam nigram, quam interpretum alii ad sepulcri ostium, alii ad portas regni inferni referendam esse censuerunt, utrumque significare aio, ambiguo vocabulo de industria quaesito. Hinc haud dubie notam dictionem ductam intelligo: ianua leti, Lucret. I, 1105. Ovid. Metam. I, 662. Virg. Aen. II, 661. cuius loco Ovid. Trist. III, 2, 30.: interitus fores dixit. Nam Valer. Flacc. Argon. III, 386. de Manibus in lucem hanc remissis: patet illis ianua leti. Auctor vero Eleg. in mort. Drusi v. 69. similiter ut Propert. h. l.: Vix posito Agrippa, tumuli bene ianua clausa est; et apertius etiam Varro ap. Macrob. Saturn. I, 16. de communi illo quodammodo civitatis sepulcro, Mundo: „Mundus cum patet, deorum tristium atque inferum quasi Ianua patet."

v. 3. infernas intrarunt funera leges. Ne iterum de funeribus, quae cadaverum sunt, immo ipsa cadavera (cf. El. I, 17, 8.) et de infernis legibus quibus animae tantum addictae sunt (IV, 7, 91.) commemorem: ipsum hoc leges intrare Latinum non esse rati Heins. Schrader. Burm. intrarunt — sedes coniecerunt. Quos contra Santen. Caes. B. C. III, 38.: intrare insidias. Val. Flacc. V, 483.: intrare fragores. Stat. Theb. V, 428.: mensas intrare, comparat. Sed non prorsus eum loco nostro exempla concinunt, neque ita circumagi eum opus erat. Leges enim infernae — ditionem inferorum legibus illis subiectam significant. Ita plane ap. Pindar. Pyth. II, 41. (72.): ἐν ἀνδράσιν et ἐν θεῶν νόμοις tamquam diversa loca opponuntur.

v. 4. Non exorato stant adamante viae. Locus difficilis sane et quem interpretes haud prorsus expediverunt. Nam unum, in quo veluti cardo interpretationis versari debebat, omnes praeterviderunt, sententiae summam non in praedicato grammatico, sed in attributo (non exorato) positam esse, velut si dicas: Cum semel Orcum intraveris, adamas, quo viae stant, non exorabitur. Dicendi genus illustravimus Q. P. II, 6. p. 142. comm. ad El. II, 16, 16. Iam vero quaeritur, quae sint viae adamante stantes? Viaene, ut supernae hae silice, sic ferro stratae? Persuadere possit Alcae. Messen. Anth. P. p. 268. Ann. Br. XIX, 8.: σιδηρείην οἶμον ἔβης Ἀΐδεω. Tum stare nihil aliud nisi rigendi significationem haberet, qualis est Ovid. Fast. V, 383.: saxo stant antra vetusto. Horat. Od. I,

9, 5.: nec Armeniis in oris — stat glacies iners. Tibull. I, 1, 64.: Stat tibi corde silex. Virg. Aen. VI, 471.: Nec magis incepto multum sermone movetur, Quam si dura silex aut stet Marpesia cautes. Add. ad El. IV, 5, 12. At haec firmitas, sive mavis durities viae nihil ad reditum mortuorum. Hanc igitur si interpretationem probaveris, describentis tantum haec verba erunt, et adamas non exoratus idem fuerit quod viae adamantinae, non exoratae, familiari satis Propertio figura. Cf. Q. P. II, 6. p. 151. extr. Non exoratae autem viae dicantur, ut quae reditum oranti non concedant. Sic enim magis etiam generatim de Orco Antipat. Sidon. CX, 5. Ann. Br. II. p. 37.: ἐς γὰρ ἄκαμπτον Ἐς τὸν ἀνόστητον χῶρον ἔβης ἐνέρων. Hermes. ap. Athen. XIII. p. 597. A. v. 3. frgm. 5. p. 111. Bach.: ἔπλευσεν δὲ κακὸν καὶ ἀπείθεα χῶρον. Hoc fuerit concessum nulla lege iter, ut Propert. ait II, 27, 16. Haec autem ut satis probabiliter disputari possint, multo tamen praestantius fuerit, vias non stratas adamante, sed munitas i. e. adamantinis ianuis postibusque clausas intelligere. Et sic fortasse rectius etiam σιδηρείην οἶμον apud Alcaeum l. l. dictum accipias. Nam sic iam Homerus Il. Ψ. 15. de Tartaro: Ἔνθα σιδήρειαί τε πύλαι καὶ χάλκεος οὐδός et Virg. Aen. VI, 551.: Porta adversa, ingens, solidoque adamante columnae. Hinc aeratas fores Tibull. I, 3, 72. Tartaro tribuit, et Tertull. de Resurr. carnis 44.: Adamantinas mortis et aeneas seras inferorum, quem Muncker. citat ad Hygin. Fab. XXII. p. 59. Vides quanto sic concinnius adamas viarum non exorabilis dicatur. Stare autem sic quoque recte. Nam non modo ea re, qua constat, stare aliquid dicitur (ut saxo — antra), sed qua praeditum munitumve horret, ut ap. Lucil. (Donat. teste ad Ter. Andr. IV, 2, 16.): Stat sentibus fundus, et Ennianum illud ap. Varr. (L. L. VI, 5.): Corpora telis — stant. Proprie enim sentes in fundo, tela in corpore stant, et sic hoc loco adamas in via. Non multum differt Virg. Aen. XII, 407.: iam pulvere coelum Stare vident. Nam Homerus contra Il. ψ. 365.: ποδῶν δ' ὑπένερθε κονίη ἵσταθ' ἀειρομένη. At longe diversum quod vulgo illuc adhibent Stat. Theb. III, 326.: Stant fulti pulvere crines; nam illic crines revera erecti significantur. Quae omnia paullo accuratius tractare operae pretium duximus, quia diversa hic ab interpretibus mixta, immo coniecturis locum frustra tentatum esse animadvertimus. De adamante vero cf. ad El. III, 11, 9. Ceterum Graecum exemplum Propertio obversatum esse non iniuria suspiceris, neque ego aliter Theo-

crit. II, 36.: καὶ τὸν ἐν ᾅδᾳ Κινήσαις ᾧ (f. κ') ἀδάμαντα — interpretandum censeo: ianuam adamantinam, non cum Valckenario de Plutone.

v. 5. fuscae ab Heinsii coniectura furvae recte Santen. defendit, coll. Apul. Met. VI. p. 185. ubi fuscae Stygis undae.

v. 6. „Videtur rege ipso leges maiores dicere; nam quod audiri non exaudiri preces interpretantur: rex audiens litora surda non videntur hoc admittere ἀντίθετον." *Iacob.* Optime. Nam ne revertantur, maius quam dii fas obstat, ut Virgil. ait Aen. VI, 437.

v. 7. Hanc quoque superstitionem moremque inde ortum (notissimum utrumque) a Graecis accepta esse Becker. docet Gall. exc. Sc. XII. p. 278.

v. 8. herbosos. Hoc attributum iam pridem Italorum coniectura (umbrosos) vexatum est, cui deinde Douza P., Markland. Koppiers. Schrader. Heins. Hemsterh. per singula paene vocabula ferro et igne grassati suas addiderunt; unde pro Obserat — Obsidet, pro porta — Parca, pro rogos modo choros, modo locos, modo domos repositum est. At, quod porta ipsa obserare rogos dicitur, nihilo hercle illud audacius, quam quod v. 10. fax caput de rogo detrahere fingitur. De utroque enim cf. Q. P. II, 6. p. 153. Iam rogos pro sepulcris passim dici ita Lachm. demonstravit, ut verbum addere pigeat. Neque enim aliter busta. Cf. El. II, 13, 33. IV, 5, 77. et praeterea quae lexicis subministrantur. De attributo vero herbosos vel post Lachmannum etiam Iacobus Italis assentitur, quia scilicet a „sepulcrali monumento sumpta comparatio ad orcum translata ita servetur, ut utriusque loci descriptio ambitiose concinat." Quae observatio ut ad primos huius elegiae versus et ad attributa vera sit, tamen quoniam nec per omne carmen pertinet (velut v. 14. 36.), et aliis locis aperte sepulcrum (ut v. 1. 10. et hoc ipso versu voce rogos), aliis (ut v. 5. 6. 7.) inferi nullis calumniis significantur, sola ἐπίθετα probis libris adversantibus ad tam severam normam exigenda esse nego.

v. 9. Sic. Lenzius: „sic cecinere chori ad modos tibiae," nempe qui de nescio quo carmine amoebaeo cogitaret. Rectius Bachius: hanc sortem adnuntiantes. Nec tamen ita satis usus particulae sic expeditur. Immo sic cecinerunt tubae, ut sortem supremam et fatum non exorabile mihi nuntiari quivis ipso sonitu moesto coniiceret. Frustra igitur Douza P. Sat coni.

v. 14. En sum, ut fortissimum et unde discrepantiae codd. optime declarentur, e Gron. cum Lachmanno recipio. Gebhard. coni.: Cornelia — Ipsum, q. d. q. legatur, onus.

v. 15. Damnatae noctes. Santenius infelices, tristes interpretatur. At non omnes res tristes pariter damnatas dicere licet. Itaque noctes damnatas, damnatorum tenebras interpretor, figura Propertii maxime familiari, de qua vid. Q. P. II, 6. p. 143.

v. 16. implicat unda pedes. Schrader. ap. Koppiers. p. 155., probante Burmanno ad Lotich. V, 16, 22. ulva coni. Defendere possim simili librariorum errore ap. Tacit. Annall. I, 64. quo de loco vide quae supra monuimus ad El. I, 14, 1. p. 52. At hic tali coniectura difficultas orationis tantum abest ut minuatur, ut apertior etiam fiat. Nam si implicare propria verbi voluntate dictum accipiamus, iterum locus et quodammodo scena agendi mutetur necesse est. Nam eadem Cynthia, quae modo apud forum infernum loquitur, nunc in ipsa Charontis cymba versari, atque adeo pedibus per paludes ingredi fingeretur. Itaque cum Passeratio implicare in universum impedire vel coercere a reditu interpreter. Recte enim ille Virg. Aen. VI, 438. comparat:

tristique palus inamabilis unda
Alligat et novies Styx interfusa coercet —

qui versus redeunt Georg. IV, 479 sq. — implicare vero pro alligare dicitur Sil. Ital. VII, 613 sq.: Membra afflicta solo pressa violentius hasta Implicuit terrae.

v. 18—20. vindicet libri mss. Nam quod quidam iudicet habent, in perpetua utriusque verbi confusione (de qua vid. praeter Broukh. ad h. l. Spalding. ad Quintil. II, 17, 2. Drakenb. ad Liv. XXXIX, 47, 2.) vix discrepantia est. Sed singulari modo interpretantur: „Pluto mihi mollia iura det, aut si alium quaesitorem dederit, nullum ego, ne severissimum quidem iudicium recusabo, cum vel Aeacus me absoluturus sit.“ Sic fere Passerat. Broukh. Vulp. Barth. Kuinoel. At rectissime Santenius: „In ossa iudicet Latinis auribus inauditum est: in ossa vindicet rectum quidem et Latinum, sed puniendi notione, quae nec huic loco, nec Cornelianae innocentiae convenit.“ Hinc igitur, quibus sanius esset iudicium, in coniecturas ruerunt omnes, et Koppiersius quidem: Me mea sortitus vind. ossa lapis. Iacobus: „Ut mea sortita vindicet ossa pila, Assideant fratr.“ — Nam quod Heins. in Nott. Prop. tentaverat: „In mea sortitam vindicet ossa pyram“, hoc nihilo plus ad removendum

cum scrupulum facit, quam eiusdem: sortita — pyra (Advv. p. 30.), aut Graevii (Syllog. Epist. p. 229. et 232.): In mea sortitus vind. ossa piae. Contra quod quarto nisu ingenium Heinsii fecundissimum peperit:

Is mea sortita vindicet ossa pila —

hanc facilem sane et blandientem coniecturam plerique certatim critici arripuerunt, ut Santen. Lachm. Bach. Becker. Orellius (Ecl. Poett. Latt. Turic. 1822.). Verum sic quoque plurima verae interpretationi obstant, primum quod aut a Plutone, aut ab Aeaco iudicari se velle Cornelia ait, quidni a Minoe aut a Rhadamantho! Immo ita demum particula aut suam vim et usum retineret, si Plutonem mollia iura aut nolle dare aut non posse poneretur: quod tamen absurdum esset. Deinde pronomen quis sic positum vix Latinum foret. Dubitantis enim illud est, utrum sit apud inferos quis nomine Aeacus iudex necne. Quae vis interpretatione vulgari prorsus periret. Iam vindicare quod cum accusativo coniunctum vel defendere vel liberare et recte et Latine interpretari licet, non praetoris neque iudicis est, sed patroni. Nam reliquae eius vocis significationes, quae in iure usu venerunt (de quibus vid. Rein. de Iure Civil. Rom. p. 156. 462.), aut huc non pertinent, aut eodem redeunt quo illud „vindicare in", de quo Santenius satis dixit. Hoc adde, vindicare pro absolvere nunquam Latine dictum esse. Denique iura dare (v. 18.) nequaquam idem esse atque ius dicere, infra accuratius etiam exponemus. Interim missis VV. DD. ariolationibus locum recte distinctum, qualem nos primi exhibuimus, recte interpretemur. Haec enim Cornelia ait: innoxia veni — sic mihi mollia iura a Plutone dentur: aut (i. e. sin minus, si fallo, si non innoxia sum) non recuso, quominus poenae a me debitae exigantur, si quidem vere est Aeacus et inferna iudicia. Prorsus similiter El. IV, 7, 51 sqq. Cynthia asseverationi primum votum, deinde, si mentita fuerit, poenae imprecationem addit:

Iuro ego fatorum nulli revolubile carmen
— Tergeminusque canis sic mihi molle sonet —
Me servasse fidem. Si fallo, vipera nostris
Sibilet in tumulis et super ossa cubet. —

Nec multum differt II, 20, 28.:

Possum ego naturae non meminisse tuae?
Tunc me vel tragicae vexetis Erinnyes, et me
Inferno damnes, Aeace, iudicio.

Quid enim aliud istud, quam meminero — aut Aeacus in mea ossa vindicet —? Nam haec in asseverando paene solemnis est vis particulae aut, qualis Virg. Aen. X, 630.:

Nunc manet insontem gravis exitus: aut ego veri Vana feror. Add. Ter. Phorm. II, 3, 76. Prop. IV, 1, 75. Cic. Ep. ad Attic. II, 1, 2. Interpp. ad Horat. Sat. II, 5, 59. Brisson. Form. VIII, 8. p. 720 sq. De pentametro vero ἀσυνδέτως interiecto vid. Q. P. II, 6. p. 128. comm. ad El. IV, 4, 55. Quibus collatis apparebit, cur hinc post pater intelligere potius, quam cum Iacobo inserere maluerimus. Nam pronomine hic, cuius loco illud substituunt, aegre carueris. Hic Pater est Iuppiter infernus, Dis, ut Pater in universum ille coelestis πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. Vid. comm. ad El. IV, 3, 47. Nec recte Santenius, qui hic pro adverbio loci habuisse videtur, ad Tibull. I, 3, 51.: „Parce Pater!“ provocat. Illic enim Iovem, non Plutonem dici Dissenius te docebit. Contra addito quo ab altero patre discernatur nomine, frequentissima et alibi et in lapidibus litteratis Patris appellatio est. Cf. Orellii C. I. 1465. 1467. 1468. 1469. 4967. Immo Iuppiter Stygius audit, ibid. 1265. 1266. Hinc quid Livineii interpretatio valeat, Rhadamanthum intelligentis, facile existimes. Iam vero illud: „si quis sedet Aeacus“ ipso dubitandi colore confidentiam orationis auget. Conditionem enim eam addit, quae apud inferos in confesso est. Qua de vi coniunctionis hypotheticae pro si quidem vel si tamen positae cf. Virg. Ge. I. init.: Liber et alma Ceres, vestro si munere tellus Chaoniam pingui glandem mutavit arista. Propert. III, 15, 21.: Si deus es, tibi turpe cett. ubi vid. comm. Add. Heindf. ad Hor. Sat. I, 9, 22. et de formula si bene novi, quae eodem pertinet, Burm. ad Ovid. A. A. III, 51. Maxime vero haec asseverandi vis apparet, cum, ut hoc loco, pronomen indefinitum additur. Virg Aen. I, 603.: Si qua pios respectant numina. II, 536.: si qua est coelo pietas.

v. 21. Versus unus de vexatissimis. Itali fere omnes: Assideant fratres: iuxta minoia sella. Scaliger: minoia sella et. Sic etiam Broukh. Vulp. Barth. Livineius: fratris iuxta Minoia sella. Eldykius in notis mss. ut audacissime, ita satis ingeniose: „Assideant fratres iuxta: minitata flagella et Eumenidum intentet turba severa faces,“ Et sic Kuinoel. nisi quod et in fine versus addit. Lachm.: Assideant fratres iuxta et Minoida sellam, interpunctione et in medio versu et in fine sublata; et sic Orell., nisi quod Assideat. Bachius: Assideant fratres iuxta et Minoida sellam; Iacobus denique prorsus ut nos, sed qui „omnes assidentes vult, et fratres, et Minoem (?) et Eumenidas ipsas.“ At omnes turbae inde natae sunt, quod interprętes, quamvis quaestionibus perpe-

petuis hoc forum infernum assimulari non praetervidissent — nam praeclarum iis exemplum Heynius praeiverat Exc. XI. ad Virg. Aen. VI, 430. —, tamen neque iudiciorum illorum antiquitates omnes nec singulorum verborum ad ius pertinentium significationes proprias satis exploratas habuerunt. Quod primum in v. 18. interpretando nocuit, cum iura dare longe aliud quid sonet atque ius dicere sive iudicare. Hoc enim (ius dicere) cum tam iudicis sit quam magistratus, altero illorum trium verborum, quibus praetoris officia continentur (do, dico, addico, cf. Varr. L. L. VI, 30. Muell. Macrob. Sat. I, 16. Interpp. ad Ovid. Fast. I, 47.), significari patet. Contra dare praetor actiones, formulas, iudices, leges, edicta intelligitur. Cf. Rein. de Iure Civ. Rom. p. 408. Quibus omnibus, maxime vero edicto perpetuo, quoniam non exigua pars iuris civilis continebatur (cf. Bethmann-Holweg. de Actt. Privatt. T. I. p. 16.), recte aliquis etiam praetorem iura dedisse dixerit, modo hoc teneas, iura dare vix aliud esse atque condere iura legumque formulas constituere, quibus et cives et iudices teneantur. Aperta res est Liv. I, 8, 1.: (Romulus) vocata ad concilium multitudine, quae coalescere in populi unius corpus nulla re, praeterquam legibus poterat, iura dedit. Ovid. Metam. XV, 596. ubi Cipus, quem futurum Urbis dominum fata portenderant: Quem vobis indicat augur, Si Romam intravit, famularia iura daturum. Id. Amm. I, 17, 23.:

Tu quoque me mea lux in quaslibet accipe leges,
Te deceat medio iura dedisse toro —

ubi absurda esset translatio, si a iure dicundo ductam haberes, lepidissima, si summum amoris imperium et legislationem Corinnae permissam intelligas. Hinc demum quanto interpretationi vulgatae praestet Propert. III, 11, 46. senties: Romana enim iura legibus barbaris et Aegyptiacis expulsuram se esse Cleopatra minatur. Add. Virg. Aen. I, 292.: Cana Fides et Vesta, Remo cum fratre Quirinus Iura dabunt, et eund. l. l. V, 758. ubi Acestes, Segestam conditurus, prorsus ut supra Romulus: patribus dat iura vocatis. ibid. I, 507.: (Dido) „Iura dabat legesque viris", ubi rectissime Servius: „Ius generale est; sed lex iuris est species. Non est ergo iteratio" —, falso Heynius: „iura et leges dare nihil aliud quam ius dicere" esse praedicat. Cf. praeterea comm. ad El. III, 9, 24. Itaque Virg. Aen. VIII, 670. piis dantem iura Catonem, non iudicantem interpretor (quomodo enim lites inter pios!), sed legibus rempublicam piorum ordinantem. Iam ut illuc redeamus, Pluto hoc loco non tamquam praetor implorari pote-

rat, ut mollia Corneliae iura daret. Nam ius praetorium nihil cum delictis publicis et quaestionibus ordinariis commune habuisse constat. Nec vero praetor, quem unum urbanum intellectum volo, in ullis iudiciis publicis aut iudicem dabat, aut formulam agendi. Immo si quando extra ordinem quaeri oportebat, a populo et quaesitores ipsi creati et leges, quibus tenerentur, formaeque iudiciorum constitutae sunt. Cf. Ascon. ad Cic. Milon. Argum. p. 145. 147. p. 37. 39. Orell. Schol. Bob. p. 276. Gron. Cic. pro Milon. 6, 14. Philipp. II, 9. Dio Cass. XL, 52. Alia vid. ap. Walter. Histor. Iur. Rom. p. 861. n. 67. 70. Quodsi in Orco talium legum iudiciorumque dandi potestatem non penes levem umbrarum turbam, sed penes dominum et tyrannum ipsum Ditem fuisse fingi dixeris, non equidem habeam magnopere quod obloquar; mollia tamen iura eo referenda esse, ne sic quidem protinus concedam. Certi enim iudicis, sicuti apud superos in quaestionibus perpetuis praetores, ita hic Aeacus et Minos et Rhadamanthus constituti erant, certisque et immobilibus fatorum legibus, tamquam illis Sullanis, adstricti, de quibus ne ipsi quidem regi Stygio mutare quidquam licuisse credo. Cf. ad v. 5. 6. Praeterea orationem, si versu demum 19. in iudicia inferna inciderit, rectius cessuram esse, ex iis quae supra ad e. l. disputavimus apparet. Itaque hic iura non leges quaestionum interpretor, sed in universum iura Manium, quae umbris diversa pro meritis suis tributa esse consentaneum est. Nam ne animarum quidem in Elysio turbam indiscretam fuisse, sed alias aliis ordinibus, privilegiis, honoribus auctas et magis minusve apud duces Erebi gratiosas significare Propertium intelligo. Cf. vv. 100. 102. imprimis vero El. II, 26, 27. et comm. ad v. 50. Haec de patre Dite. Aeacus vero, ut apud Virgil. Aen. VI, 430., quaesitor urnam movet, non sitellam illam in quam suffragia coniiciebantur (de hac enim v. 49. agitur), sed, quod recte interpretes senserunt, eam qua iudicum electorum sortitio fieret. Cf. Ascon. Argum. Milon. p. 148. p. 40. Orell. Add. Pseudo-Ascon. Act. I. in Verr. §. 17. p. 131. Schol. Gron. §. 16. ibid. p. 392. Iam si iure quaeras, quos sibi iudices illos electos Propertius finxerit: commode succurrit Ascon. in Act. II. in Verr. I. Argum. p. 155. Orell., qui sive recte Virgilii mentem assecutus (Aen. l. c.) sive in suum usum interpretatus est, apposite certe ad nostram rem: „Ad hanc enim similitudinem poeta Virgilius Minoem iudicem apud inferos tamquam si praetor sit serum capitalium, quaesitorem appellat; dat ibi sortitionem, ubi urnam nominat;

dat electionem iudicum, cum dicit: (ille silentum) consilium vocat; dat cognitionem facinorum, cum dicit: vitasque et crimina discit.“ Ex integerrimis igitur animarum selectos iudices significari a Propertio puta: non (quod compluribus de causis absurdum esset) Minoem et Rhadamanthum, quos si ut iudices infra tribunal in subselliis collocatos Propert. finxisset (cf. enim P. Manut. ad Cic. pro Rosc. Am. 5. p. 42. Gessner. Thesaur. s. v. Subsellia), ne assidere quidem dicere recte poterat. Hoc enim verbum proprium de assessoribus, quos consulendi gratia a magistratibus in tribunal adhibitos esse Cic. docet de Orat. I, 37. Adde Rein. l. l. p. 410. Bethm.-Hollweg. de Caus. Civill. I, 1. p. 152. 157. Nam Geibius de Action. Publ. Rom. p. 262. init. non recte assessores cum iudicibus videtur confudisse. De ipso autem verbi usu Tacit. Ann. I, 75.: Nec patrum cognitionibus satiatus assidebat in cornu tribunalis, ne praetorem curuli depelleret. II, 57.: postque rarus in tribunali Caesaris Piso, et si quando assideret, atrox et dissentire manifestus. Apertissime vero inter utrumque discernit Sueton. Tib. 33.: magistratibus pro tribunali cognoscentibus plerumque se offerebat consiliarium, assidebatque iuxtim vel ex adverso — iudicesque aut e plano aut e quaesitoris tribunali — admonebat. Assessores iam Cicero dixit de Divin. I, 43, 95. item Sen. de Tranquill. An. 3. De inferiorum temporum usu vid. Rein. l. l. p. 62. Geib. l. l. p. 442 sq. et quos locos Gessnerus ex Ictorum libris collegit, s. vv. Assideo, Assessores. De his igitur manifesto Stat. Theb. VIII, 21 sqq.:

> *Forte sedens media regni infelicis in arce*
> *Dux Erebi populos poscebat crimina vitae —*
> *Vincit opus — iuxta Minos cum fratre verendo*
> *Iura bonus meliora monet regemque cruentum*
> *Temperat —*

nisi quod illic pro quaesitore ipse quasi princeps (dux Erebi) est. — Iam vero recte Propertius: „fratres assideant“, non quo Aeaci fratres Rhadamanthum et Minoem dicere poetam censeam, quos unus quantum sciam veterum Servius (ad Virg. Aen. VI, 566.) eadem atque illum matre Europa prognatos ait, cum ceteri omnes Aeacum Aeginae, reliquos duos iudices infernos cum Sarpedone Europae filios fuisse tradant — Apollod. III, 12, 6. coll. III, 1, 2. Schol. Il. μ'. 397. Hygin. f. 155. 52. ipse Serv. ad Aen. II, 7. Serv. Fuld. IV, 402. all. quos vide ap. Muncker. ad Hygin. l. l. —: sed fratres eodem modo Cretenses ambos appellat ut II, 13, 44. Erinnyes, et v. 27. Danaides sorores.

Cf. Q. P. II, 6. p. 127. Hi vero soli assident: Eumenides, quae apparitorum et lictorum muneribus apud inferos funguntur, adstant (cf. Stat. l. l.). Itaque post iuxta cum optimis libris coniunctionem et sustuli, quo facilius verbum substantivum apud animum suppleri liceat (vid. Q. P. II, 6. s. II. §. 16. p. 131. coll. §. 13. p. 125.). Nam si addideris (ut Bach. all.), sponte paene sua illud assideant etiam post Eumenides subibit. Sic igitur dispositam iudicii quodammodo scenam puta, ut in medio tribunali Aeacus quaesitor sedeat; ab utraque parte Minos et Rhadamanthus assessores; hinc in subselliis iudices selecti, illinc (iuxta Minoida sellam) Eumenides ad exsequenda iudicia paratae. — Ceterum Minoida sellam eodem modo dixit, quo „Phylaceida umbram" Stat. Silv. V, 3, 272. Alia collegerunt Heins. ad Ovid. Heroid. XV, 164. Drakenb. ad Sil. II, 117. Ruddim. Institt. I. p. 188. De ossium significatione vid. argum. et comm. ad El. IV, 7, 12.

v. 24. Tantaleo. Blanda Aurati coniectura est: Tantaleo corripere ore l. Doctior etiam Passovii (Ind. Lectt. Vratisl. 1823.): Tantalide. Hinc Iacobus: Tantalidae effecit. At manum retinere in Propertio satius duxi, qui toties novas formas aut invenit, aut certe solus servavit. Cf. Q. P. II, 6. s. III. p. 163. comm. ad El. IV, 2, 51. IV, 4, 9. 10, 7. Nec vero Tantaleus pro Tantalus dictum (*Ταντάλεως* declinatione Attica Pucc. esse voluit) proportione carere aliorum nominum Schneider. docet de Etymol. p. 164. coll. Priscian. p. 723, 30. T. I. p. 283. Krehl. Gronov. Observv. IV, 25. p. 696. ed. L. ad Iustin. I, 7, 14. Forcell. s. v. Adde in simili causa Enn. ap. Quintil. I, 5, 12., qui vel in Latino nomine eam terminationem admiserit.

v. 26. Koppiers. Santen. Kuinoel.: Sed. Male; nam paria nectuntur. Iam v. 27. vulgo loquor; nec causa erat, cur Iacobus cum Heinsio et Graevio loquar rescriberet.

v. 30. Afra eximia Scaligeri emendatio est, cui miror Passovium (ad Stat. Silv. I, 2, 89. Progr. Vratisl. 1818.) Lipsii inventum Versa praetulisse. Satis nunc est Hb. scripturam digito monstrasse, unde origo errorum, quales in libris mss. apparent, intelligatur. Ad sententiam vero rectissime sunt omnia, dummodo Numantinorum avorum unum tantum Scipionem Numantiae victorem dici credas. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 28. p. 151., de enthymemate vero in apodosi enuntiati ibid. p. 127.

v. 31. Alteram — turbam Bach. paternam interpretatur, qui Heynii inventum: „A. materni hos exaequant t. L." honorificentius quam pro Libonum familia

censet. Fateor me quid ille velit, non intelligere. Nam Cornelii profecto, inter quos Scipio, paterni Corneliae avi fuerunt. Restat igitur ut maternis glorietur, qui ipsi hi Scribonii Libones fuerunt. Itaque ad sententiam rectissime Barthius: „Altera series maiorum exaequat avos maternos Libones antecedentibus paternis gloria rerum gestarum: materni avi aequales sunt celebritate paternis.“ Nec vero adiectivi enallage in Propertio durior videri debet, praesertim cum turba suo attributo praedita si altero etiam (materna) cumulata esset, partium proportio laboraret. Cf. Q. P. II, 6. s. II. §. 24. p. 143. sub fin. — Iacobi autem correctio: A. materno se, veram loci difficultatem non tetigit. Magis placeat Heinsii vel Koppiersii inventum, quorum alter: hisce aequat, alter: his aequat coni. Nam insolentius utique hac verbi significatione dativus omittitur, nec quibus eam insolentiam excusem exempla suppetunt. Unum tamen hoc, unde ex illud librariis venerit, dubito. Quid igitur, si scribas:

Altera materno hos exaequat turba Libone —.

Nam in ὑπερβολῇ hac non offendes, si panegyrici hoc et laudationis funebris simile carmen esse reputaveris. Cf. comm. ad v. 41.

v. 32. Dicendi ambiguitatem vere poeticam interpretes praeterviderunt. Etenim non modo familia (domus) gloriae monumentis superbiebat, sed aedium postes et fastigia spoliorum titulorumque cumulo veluti subnixa (fulta) conspiciebantur. Vid. Plin. N. H. XXXV, 2. Becker. Gall. Sc. I. n. 18.

v. 34 sq. acceptas. Lips. Broukh. Kuinoel. Back. probarunt Italorum commentum adspersas. Sed recte Lachm. ad El. IV, 9, 49. provocat. Languere tamen post vinxit Bachius ait. Tu vero cf. Q. P. II, 6. p. 158. Deinde (v. 35.) sic libri probi omnes, pro quo Huschkius profecto non noluisset, nisi fuissent qui sic — morte interpretarentur. Immo quod satis versus sq. docet: tibi iuncta, non alteri. De hoc enim usu coniunctionis sic vid. comm. ad El. I, 19, 16.

v. 36. In lapide hoc. Marsil. ad Horat. p. 91. huic, quod ingenti consensu VV. DD. receptum est. Frustra. Nam lapis hic est lapis huius, meus, enallage pronominis demonstrativi prorsus Propertiana, de qua vid. Q. P. II, 6. p. 144. Proxime accedit El. II, 1, 56., ex Graecis vero Sopl. O. C. 865 sq.: *μὴ γὰρ αἵδε δαίμονες θεῖέν μ' ἄφωνον τῆσδε τῆς ἀρᾶς ἔτι, ὅς μ' ἀποσπάσας οἴχει.* Similis haec quoque, parum a grammaticis observata. Ovid. Fast. II, 498.:

falsae patres in crimine caedis: Haesissetque animis forsitan illa fides, i. e. illius rei f. Cic. Fin. II, 20, 66.: Stuprata per vim Lucretia se ipsa interemit. Hic dolor — causa libertatis fuit. id. N. D. II, 10.: Quam similitudinem cernere possumus in aquis — pro: cuius rei sim. — Ceterum de univirarum in sepulcris laude praeter locos ab interpretibus congestos cf. C. I. Gruter. p. 748. et 1041. Epigr. Anth. Pal. p. 241. Ann. Br. ἀδέσπ. III, 288. Inscript. Anth. Gr. ἀδέσπ. 698. T. IV. p. 267. Iacobs. Anim. T. XII. p. 273. Markland. ad Stat. Silv. V, 1, 45. Interpp. ad Iuvenal. Sat. VI, 270. Martial. IX, 16.

v. 37. verendos unus Gron., quod tamen ut interpolationis nequaquam simile, in ordinem recipere non dubitavi.

v. 38. tonsa. Scaliger tanta ex cod. Cuiaciano pessimo. Nec tamen recte Gebhard. tonsa — depopulata explicuit. Quamquam, ne cum Bronkhusio irridendum eum credas, cf. Enn. Annall. ap. Prisc. IX., p. 462. Krehl.: Et detotondit (l. detondit) agros laetos atque oppida cepit. At rectius et elegantius imaginem Africae in ferculis expressam Broukh. intelligit, quamvis captivos tondi solitos esse exemplis suis minime evicerit. Nam passi tantum, non desecti captivorum crines commemorantur. Immo non tam captivitatis, quam luctus causa Africam tonsam dici nobis exploratum est, siquidem et Graecis et quibusdam barbaris gentibus in funere, vel si quod malum publicum accidisset (ὅταν δυστυχία τις γένηται Plutarch. Q. R. 14.) comas tondi moris fuisse plurimi vett. loci testantur. Vid. Herod. IX, 14. Aesch. Choeph. 7. Eustath. ad Iliad. II, 6. p. 165, 4. Eurip. Helen. 1087. Iphig. Aul. 1416. Phoen. 372. Isae. de Nicostr. her. p. 71. Plutarch. Consol. ad Uxor. 4. Athen. XV. p. 675. A. Plutarch. Pelop. 33. Lys. Funebr. p. 116. Maxime vero huc pertinet Plutarch. Alex. 72. et Pelop. 34., a quo Alexander Hephaestione mortuo complurium urbium propugnacula deiecisse traditur, ὡς ἂν δοκοῖεν αἱ πόλεις πενθεῖν, ἀντὶ τῆς πρόσθεν μορφῆς κουρίμου σχῆμα ἀναλαμβάνουσαι — et Aelian. Var. Hist. VII, 8.: τὴν τῶν Ἐκβατάνων ἀκρόπολιν περικείρας. Plura etiam dabit Becker. Exc. ad Charicl. Sc. 9. T. II. p. 200 sqq. Vides igitur, non inepta allegoria in simulacro Africae victae crinem tonsum fingi. Cf. praeterea comm. ad El. III, 19, 22.

v. 38. 39. Sic verba iunge: „Et (eum testor) qui fregit Persen, simulantem pectus proavi Achillis, tuasque (o Persa) domos Achille proavo.“ Ἀποστροφῆς enim figuram Propertio omnium frequentissimam docuimus Q. P. II, 6. p. 116.,

unde frustra tantas turbas a VV. DD. motas esse appareat. Recte vero Lachm. disticho proximo iaces, a Santenio immerito expulsum, Propertio reddidit. Atqui prorsus eadem illa atque haec est ratio. De hyperbato vid. Q. P. I. 1. §. 10. p. 121. de ablativo denique proavo Achille §. 18. p. 136. Iacob. ad El. IV, 8, 10. Praeterea hoc solum variis emendandi conatibus admonitum volo, eos qui Achille brevi ultima pro vocativo vendant, contra Latinitatem offendere. Cf. C. Schneider. de Etym. I. p. 42. coll. 33. — proavus autem, quod in quibusdam codd. legitur, ex proavos natum, hoc vero ab iis illatum esse, qui ut Hb. librarius, *ὁμοιοτελεύτου* consuetudine aures seduci passi sint.

v. 41. Barthii interpretatione simplicissima acquiescendum puto: „censurae legem mollire et peccatis suis maritum cogere, ut severus censor ob exempla domestica non sit.“ Nam quod alii Beroaldum secuti de maioribus Corneliae censoriis cogitant, nec satis de his exploratum est, et censum Paulli mariti, ut qui cum collega suo extremus ex conditione privata in eum honorem evectus esset, ita in omnibus oribus erat, ut historici vulgo Censoris nomine eum appellarent. Cf. locos a Perizonio congestos Animadvv. Histor. c. III. p. 121 sqq. Neque obtendi debet, quod ille ancipiti sine laude munere suo functus esse traditur a Vell. Pat. II, 95., cum v. 67. et 59. satis testentur, quid in hoc laudativo genere licere sibi Propertius crediderit. Hinc simul apparet quantum Wolfius erraverit, cui comment. Vell. l. l. „ad censuram a Paullo remissius actam tecte respexisse Propertius“ videtur.

v. 42. vestros vel invitis codd. scriberem. Nunc vero Schraderi testimonium (nam E. v. Driel e Gron. ñros notavit) etiam ab Hb. firmatur, et recte hoc Scaliger reposuit. nostras tuebantur, qui erubescere ut Chr. Bachius sensu causativo, Genio Latii vetante, existimarent. Immo qui indignum aliquid genere suo commisit, hic ipse, si quid ingenui pudoris restat, memoria avorum erubescit. At imposuit VV. DD. ablativi (labe mea) usus, quem non tam instrumentalem, quam causalem esse obliti erant. Cf. autem El. I, 21, 3. Q. P. II, 6. p. 136. De pronomine vero meo superfluo ibid. §. 20. p. 140.

v. 45. Interpretes aetatem — vivendi rationem esse volunt. Immo, si Propertium bene novi, mea aetas est: „ego, quacunque fui aetate.“ Cf. Q. P. II, 6. p. 149. extr. — Alias librorum editionumque discrepantias, ut v. 44. eram, v. 45. totam Vximus, v. 46. insontes pro insignes, v. 47. dictas pro ductas ideo tantum commemoramus, ut

si talia interpretationis impedimenta singula destruere velimus, tempus frustra perdi intelligatur. Hoc unum annotamus: Ne possem (pro quo vel Nec possum, vel Nec possim, vel etiam Ne possim ante Lachm. legebatur) non modo optimis libris, sed etiam Latinitate et sententiarum nexu defendi. Hoc enim ait, naturam et generis nobilitatem optimas morum magistras noluisse, ut Cornelia metu potius poenae, quam honestate innata vitam dirigeret. Hi sunt (apud Stat. Silv. V, 2, 71.): pudor et docti legem sibi dicere mores; mores integri, qui item ut hic metui opponuntur ab Iuvenale XIII, 204. Neque aliter illud, quod unde sumpserim, nunc non invenio: „ius bonumque apud eos non legibus magis, quam natura valebat.“ Paullo vero differt, quod vulgo huc adhibent Horat. Epist. I, 16, 52 sqq. cui addere possis Cic. Off. III, 8. 9. Syri Sent. 994. Both. Cf. Schmid. ad Hor. l. l.

v. 49. Quaelibet. Post Livineium Quamlibet passim a VV. DD. receptum est. Alterum Lachm. reduxit; quod probo, non quo cum illo interesse quidquam inter utrumque negem, sed quia singulis iudicum decuriis singulas urnas destinatas fuisse ex Asconio (p. 90. Orell.) colligo, qui Catilinam senatorum urna damnatum esse tradit. Cf. Ascon. in Scaurian. 2. p. 46. Milon. 35. §. 93. Cic. ad Q. Fr. II, 6. Qui mos lege Vatinia antiquatus (Schol. Bob. p. 321.), postea restitutus est. Semper enim condemnantium vel absolventium iudicum numerum secundum decurias senatorum, equitum, tribunorum aerarii, notatum invenimus. Cf. Goettling. de Republ. Rom. p. 476. Walter. Histor. Iur. Rom. p. 877. n. 81. Ceterum de sitella qua iudicum tabellae excipiebantur, nequaquam cum urna sortitionis confundenda, vid. Turneb. Advv. XIII, 13. Walter. l. l. n. 80.

v. 50. assessu. Hoc ex cod. Guyeti ap. Heins. Not. p. 760. et Palmerii libro ap. Gebhard. primus Muretus restituit. De formis enim verborum primum apud Prop. obviis vid. Q. P. II, 6. s. III. p. 163. Ad sententiam vero unice probamus Santenii interpretationem, qui non, ut Passerat. Burmann. all., a iudicio hoc vocabulum ductum esse censet, sed a sedibus, quae pro moribus suis cuique apud inferos diversae tribuerentur, coll. 7, 64. 69. II, 28, 27. Virg. Aen. VI, 431. Tibull. I, 3. Lucian. Dial. Mort. XVIII. Stat. Theb. VIII, 191. Quinimmo, quia pares cum paribus facillime congregantur, assidere in universum pro simile esse dicitur. Cf. Horat. Epist. I, 5, 14. ibique Schmid. et Xylander. Add. Critiam ap. Athen. X. p. 433. A.: *καὶ τὴν εὐσεβίης γείτονα σωφροσύνην.* Epicharm. ap. Stob. LVIII, 7. p. 375.

Gaisf.: Ἀ δ' ἀσυχία χαρίεσσα γυνὰ καὶ σωφροσύνας πλατίον οἰκεῖ. Hoc igitur Cornelia ait: Non, si qua uno ordine locoque mecum censetur, turpior inde videbitur.

v. 56. Hoc quoque versu, ut assolet, solemnem in mulierum elogiis sepulcralibus formulam: DE QVA VIR NIL DOLVIT NISI MORTEM poeta expressit. Cf. Gruter. C. I. 815, 7. passim. Orell. 4626. 4627.

v. 59. Italorum nonnulli: „Ille suam natam indignam vixisse sorore", quod Lipsio placere potuisse admiror. Cf. ad v. 41. Nam ne Scaligeri quidem interpretationem Passeratio quoque probatam admitterem, etiamsi Latinitas sineret: „Caesarem solere praedicare, me (Corneliam) fuisse dignam, quae illius filia essem, non sororem Iuliam, tot impudicis factis infamem." Quod iure Santenius exagitat, Augusti filiam coram principe et patre ream infamiae agi a Propertio non passus. Ipsius autem Santenii ratio, caesis enuntiati verbis, subtilior est, quam quae loci simplicitatem deceat. Post Ille enim et dignam virgulis insertis, vixisse — mortuam esse interpretatur. Immo increpare nihil nisi exclamantis vehementiam significat, quae tum maxime in dolore splendescit, quum perditorum nunc bonorum cum desiderio meminerimus.

v. 61. vestem insignem inter munera trium liberorum matronis concessam fuisse, probabilis admodum Beroaldi coniectura est, quod ii oblivisci non debebant, qui ut Vulp. Barth. Kuinoel. nescio quibus testibus provocatis tamquam rem exploratam venditare solent, quidquid a superioribus interpretibus aliquanto confidentius pronuntiatum est.

v. 66. Consule quo facto tempore r. s. Si sanus locus est, cave tamen tempore pro in tempore vel opportuno tempore dictum cum interpretibus accipias. Nam sic mori dicuntur, qui morte tempora iniqua et dura effugerunt. Cic. Brut. §. 4. de Hortensio: perpetua quadam felicitate usus ille cessit e vita, suo magis quam suorum tempore. Atqui ne ad ipsius Corneliae verba provocem (v. 17. immatura — huc veni), hoc quod in manibus nunc est verbum rapi de immaturo potius et infausto, quam de felici decessu dicitur. Tac. Ann. II, 71.: Si fato concederem, iustus mihi dolor etiam adversus deos esset, quod me parentibus meis intra iuventam praematuro exitu raperent. Plin. N. H. VII, 8.: Agrippa infelix brevitate aevi, quinquagesimo uno raptus anno. Martial. IX, 29.: Rapta es ad infernas tam cito Ditis aquas. Add. Stat. Silv. II, 1, 208. V, 3, 16. Pugnant igitur inter se illa: tempore opportuno et rapta. Itaque tempore ablativum q. d.

instrumentalem interpretor. Nam tempus illud quo quis moritur, auferre dicitur obeuntem. Ovid. Heroid. XXI, 85.: Quid mirum, si me primae lanuginis aetas Abstulit, atque anni, quo quis amare potest. Add. comm. ad El. II, 20, 17. Atqui Nemesian. Ecl. IV, 32.: Omnia tempus alit, tempus rapit. Fateor tamen illud: Consule quo facto, nobis quoque nimium quantum languere videri. Itaque alii aliter. Fruter. et Heinsius: ex tempore; idem: ut mea vel: tu modo rapta; Koppiers.: festo t., Broukh.: fati crimine tentavit. Ego olim probabam Lachmanni coniecturam: Consul quo facto (i. e. factus) tempore r. s. At subsultat compositio, quoniam frater ut pronomine relativo definiatur, non ut alia vox, versus superior desiderat. Rescripserim: „Consule quo, fato rapta repente soror." Nam inter repēte et tēpere in codd. inde a saec. XIX. exaratis vix aliud discrimen esse quam sedem apicis mutatam, nemo ignorat. Alterum igitur postquam alterius locum furtim occupavit, librarii rei metricae non prorsus ignari voces transposuerunt. fatum vero et factum perpetuo paene errore a librariis confunduntur. Cf. v. 70. El. II, 13, 39. IV, 1, 71. Bentl. ad Horat. Ep. II, 1, 6. Fato obire eos passim dici, qui non vi pereunt sed naturae debita solvunt, in vulgus notum. Cf. Tacit. l. l. et inscriptionem ap. Gruter. 710, 10. Orell. 4560. in nostram emendationem velut comparatam: Dis Manibus || Sacrum || L. Valerio infanti || RAPTUS QVI EST SVBITO || QVO FATO nescitur.

v. 67. 68. Frustra proximi distichi transpositionem, a Scaligero factam qui post v. 96. legi illud voluit, a Schradero defendi, Santen. docet. Nam post filios et fratrem ut Cornelia filiam appellaret, et consentaneum erat et plane rhetorice institutum. Vers. vero 70. qualis in libris mss. legitur, non iniuria suspectus VV. DD. Nec nunc ceterorum coniecturas recenseo, quae numero sunt infinitae: unam Bachii (in Ep. crit. p. 99. primum propositam) palmarem esse aio, prolatam etiam aut simul inventam a Lachmanno. Palmarem autem iure meo dico. Nam, postquam fulturos genus prolis serie filios dixit, a quo tandem fata sua auctum iri addere potuit, nisi a suis? Itaque cum meis quivis sponte additurus fuerit, si extremum verbum casu intercidisset, quis nunc, cum simillimam litterarum figura vocem libri praebeant, hanc illa mutare dubitet? Multo vero rectius quam Bachius, Lachm. locum intellexit. Ille enim, quod sane per usum Latinum maximeque Propertii licuit (cf. Q. P. II, 6. p. 149. extr.), mea fata — me mortuam interpretatus est. At hi ipsi quos contulit loci, Sil. Ital. III, 708.: „Sidonios

augebis avos" et Sueton. Claud. 12.: „In semet augendo parcus et civilis" — ut contrarium potius „vitam meam anteactam" aut certe „vitae fata" interpreteris, persuadent. Sic v. 63.: „meum post fata levamen. El. IV, 9, 65. Hercules: „Angulus hic terrae nunc me mea fata trahentem Accipit". — Talia ingentia fata Romuli, Liberi, aliorum semideorum sunt (Horat. Epist. II, 1, 6.), de quibus egregie Bentleius ad e. l. disputat. Augeri autem haec fata etiam post mortem a progenie superstiti dicantur, quoniam non solum singulis hominibus, sed toti alicui vel populo vel genti vel familiae vita sua et fata tribuantur, ut quidquid a posteris gloriae acquiritur, id maiorum laudi addi videatur. Atqui hoc illud est, quod Silius l. l. audacter quidem sed elegantissime: avos augere dicit, non ut Bachius censet, laudare avos, quod ab illius loci natura prorsus alienum est. Eadem vero causa erat, quare veteres amplam progeniem maximum mortis solatium esse ducerent. Cf. Gierig. ad Plin. Epist. I, 12, 11. Ovid. Fast. VI, 219. Contrarium est domum imminuere, quod infamia fit et malis moribus. Cf. Tacit. Ann. II, 86. Ceterum fulcire a columnarum similitudine ductum esse verbum recte interpretes observaverunt, coll. Stat. Theb. I, 394. Silv. IV, 7, 30. Virg. Aen. XII, 59. Eurip. Iph. Taur. 57. ubi *στῦλοι οἴκων* filii dicuntur.

v. 72. emeritum, quod extinctum doctissime interpretari Heinsium coll. Ovid. Met. XV, 186. Santen. Kuinoel. all. censuerunt, hac sententia dictum frigere iure videbatur Bachio (Ep. crit. p. 100.); neque idem rursus vulgatam rationem postea (Ingen. Eleg. Rom. p. 239.) probare debebat. Quamquam quod ipse prius coniecit: immeritum, i. e. innoxium: non opus erat correctione. Nam cum rogus pro ipsa mortua sit (alioquin enim non recte laudari dicatur: vid. Q. P. l. l. p. 151. extr. coll. Martial. IX, 77, 8.), quid emereri eadem hic significatione atque supra (v. 61.) positum esse vetet? Add. Drakenb. ad Sil. VII, 19. Heins. ad Ovid. Heroid. VI, 138. Burm. ad Anthol. II. p. 133. Lucan. I, 357. ubi emeriti — doni recte contra leverum a Bachio defenditur. Sed similius etiam nostri loci activa significatione emeritus dicitur i. e. plane meritus, Ovid. Ep. ex Pont. I, 7, 61.: Emeritis referenda est gratia semper. Cf. Burm. ad Nemesian. Cyneg. 145. Obiectum autem more Propertiano ex verbo laudat infinitivum pass. effices: rogum laudari meritum, prorsus ut supra apud Ovid. l. l. Adde quae ad El. II, 16, 16. congessimus.

v. 74. Optime Broukh. Cic. Verr. I, 44. comparat: „Cur hunc dolorem cineri eius atque ossibus inussisti."

Elegans enim ambiguitas in verbo inuri, quod alias a picturis cestro inustis ductum esse videtur. Vid. Plin. N. H. XXXV, 41.

v. 79 sq. Omnem sententiae vim, immo omnem orationem humanam hoc loco evertunt, qui post eris virgulam tollunt. Bellum enim, hercle, praeceptum, ut si sine testibus filiis dolere voluerit, lacrimas abstergat, sin contra — ne faciat. Hoc credo ipsum Paullum non admonitum scire potuisse. At vetat Cornelia omnino maritum praesentibus illis flere. Itaque aut cum Withofio et Schradero Fle pro Et repone (coll. Ovid. Trist. IV, 3, 137.), aut in fine enuntiati ex futuro „doliturus eris" alterum futurum, sed imperativi significatione, apud animum repete. Vid. enim quae eius generis exempla multo etiam quam hoc est insolentiora collegimus Q. P. II, 6. §. 11. p. 123. Versu deinde breviori verbum fallere iterum ut El. IV, 5, 14. negotium VV. DD. praebuit. Quem locum quo iure ad nostrum illustrandum Passerat. adhibuerit, alii videant. Nam neque ille, nec qui eum sequuntur Santen. Barth. Kuinoel. all. simulandi notione contenti sunt. Atque hoc quidem iure suo. Quis enim simulare oscula Paullum iuberi concesserit? Sed quod falle oscula interpretantur: „dum liberos oscularis, eos siccis genis falle": quis nunc istam licentiam tulerit? Nec tulit olim Koppiersius, qui fige reponendum censuit, astipulante, quod ipse nescierat, Vossiano uno. At de verbo fallere satis supra l. l. diximus; oscula vero quin non tam Paulli, quam liberorum intelligenda sint, atque adeo pro ipsis liberis osculantibus dicta videantur, coll. Q. P. II, 6. p. 150. non dubitabis. Haec igitur sententia: Abstersis lacrimis, decipe osculantes et fac, ne flevisse te sentiant.

v. 81. noctes — fatiges. De huius verbi usu plurima neque inepta Huschk. Ep. Crit. p. 21. Bach. Ingen. El. Rom. p. 241. observaverunt. Addi licet, quod de sonitu et plangore non raro usurpatum invenitur, ut Ovid Met. I, 573.: sonitu plus quam vicina fatigat. Trist. V, 1, 62.: fatigare saxa voce. Adde nostrum II, 20, 3. Hor. Od. I, 2, 26., unde simul, quid praepositio de *κατὰ σύνεσιν* cum illo verbo iuncta velit, intelligitur. Nec vero illi hoc dicendi genus et similia alia ad communem fontem rettulerunt, quem nos ad El. IV, 8, 60. indicavimus. Poetae enim rebus inanimatis vitam et sensus tribuere, et quae homines ipsi patimur, ea quasi omnis circum natura et locus tempusve quo versamur nobiscum patiatur, assimulare solent. Vid. Q. P. II, 4. p. 78. coll. p. 153. Huc igitur etiam illud: exercere diem

pertinet (Virg. Aen. X, 808.), et contra aliud suave dicendi genus, quum qui opus manuum sermone levant (ut Ovid. Met. IV, 39.), non se sed tempus et laborem ipsum fallere dicuntur. Vid. Ovid. Trist. IV, 1, 14. III, 3, 11. Metam. VIII, 652. ibid. VI, 60. Hinc iam sponte sequitur, somnia non solum esse simulacra, sed cum visionibus etiam omne somniandi spatium. Quod vero aut reddita pro credita corrigunt (ut Graevius), aut (ut Bachius) ad significationem praepositionis in El. III, 22, 14.: „In faciem prorae pinus adacta novae" comparant: utrumque falso; est enim haec constructio q. d. praegnans, de qua egimus Q. P. II, 6. p. 134. Nam cum plane vulgaris sit is praepositionis in usus, ut mutatam rei cuiusque conditionem et eventum verbi significet, si quidem ipsum iam verbum (ut supra redigere in) mutandi notionem continet: elegantior multo et difficilior ratio est, cum sola praepositione eventus significatio efficitur. Itaque somnia in faciem m. credita sunt somnia ita credita, ut facies mea tibi apparere videatur. Sic Virg. Aen. XI, 771.: quem pellis aenis In plumam squamis conserta tegebat. Similius etiam Tacit. Ann. IV, 2, 3.: quae ex longinquis in maius audiebantur, coll. Liv. IV, 34. XXIX, 3. Sallust. Iug. 73. et quamvis speciei pro veritate significatio, quae his locis omnibus obtinet, absit, fortasse tamen insolentius etiam Ovid. Fast. III, 482.: in lacrimas cognite Bacche meas. Iam vero

v. 83. mirum est, Marklandum et qui eum secuti sunt Santen. Bach. Kuinoel. simulacra — effigies aere expressas interpretari, cum nocturnas imagines dici ex antecedentibus versibus, imprimis vero ex insequenti appareat. Imposuit illis, ni fallor, praepositionis ad usus insolentior, de quo vid. comm. ad El. IV, 5, 57. Nam ne Statius quidem, ad quem maxime provocant, Silv. III, 3, 200 sqq. dum ante statuam defunctae „Affatusque pios monituraque somnia" poscentem maritum facit, ipsum signum aeneum responsurum esse significat, sed visa nocturna. Nec deinde v. 84. recte intellexerunt, qui pauca tantum verba concedere marito Corneliam crederent. Scilicet praedicati summam in attributo (responsurae) positam non senserunt. Hoc enim vult: Ubi nobiscum loqueris, singulaque verba iacis (ut mox est secreto conquerentium), dic: respondebo. Dicendi genus illustravimus Q. P. I, 1. §. 23. p. 142. coll. El. II, 32, 29. II, 30, 5.

v. 85. lectum adversum recte quidem genialem dici Scaligero autore interpp. viderunt. Sed quomodo ianua lectum mutare diceretur, nemo explicuit. Tu vero

ne dubites, cf. comm. ad El. III, 11, 35. IV, 8, 76. Q. P. II, 6. p. 152. 153.

v. 86. cauta. Heins. torva coni. Male. Nam ne ii quidem audiendi sunt, qui illud pro hoc dictum interpretantur, vel, ut Santenius, a privignis metuens explicant. Immo, quod unice Corneliae modestiam et liberum ab invidia animi candorem decet: cauta noverca, ut uxor curiosa et provida dicitur, quae domui toroque mariti diligenter prospicit. Qua in re si novercam tanto cautiorem significari existimes, quanto magis, quam prior uxor, sedulo consultura sit ne male audiat (quippe vulgo iam suspecta), prorsus equidem assentiar. Et sic optime Dorvill. locum explicuit ad Chariton. p. 682.

v. 93. sentire. Heinsius: sarcire, sancire, fulcire, sepire ci. Wassenbergh.: venturae — servire — senectae. Amicus editoris Elect. Eton.: lenire, quod Koppiers. Schrader. Iacob. Lachm. probant. Quod vero hic vulgatam non intelligere se fatetur, dictum doleo: tenerrimorum enim affectuum plenum est illud verbum, iure Wyttenbachio probatum Bibl. Crit. III, 4. p. 53. Admonet enim mater liberos, ut antequam senectus aperta adsit et omnibus perspicua, imbecillitatem qualemcunque patris tacite venientem rimentur sedulo et quodammodo praetentent, utque omnes vias, quibus laboranti subveniant, explorent. Nam, ut Ovid. ait, huius loci paene interpres (Trist. III, 8, 36.): senectus — strepitum passu non faciente venit. Cui compares licet, quod de tacitis poenae pedibus Tibullus habet I, 9, 4.

v. 99. 100. Putidum est, verbum testor cum Bachio ad v. 37. referre, nisi forte in iudicium testimonii gratia Manes maiorum adhibitos esse dixeris, qua de re Propertius certe nihil commemorat: humum vero, quod Broukh. Kuinoel. Bachio placuit, superstites supra terram interpretari, nulla controversia falsum. Nam nunc apud inferos iustitiae et vitae bene actae praemia poscit, hoc tota oratione quaesivit; et recte inferos — humum appellat, sicuti oratores cives suos civitatem vel patriam: contra humum — homines vel adeo superstites dici, inauditum est. Quamquam ne hoc quidem aut usui Propertii aut antiquitatis ingenio alienum dixerim, si humum tamquam personam appellaverit. Cf. comm. ad El. I, 19, 16. ubi item Telluri arbitrium umbrarum tribuitur. Quam ambigui autem allocutionis et προσωποποιΐας fines apud veteres sint, Q. P. II. p. 114 sq. docuimus. Unum in quo quis offendat, quod grata humus dicatur, quamvis nulla a Cornelia beneficia acceperit: illud quo

que recte habet, quoniam gratum dicimus, qui gratias ultro agit refertque, sive suo nomine sive alieno. Atqui Piorum concilium — de hoc enim maxime agitur — veluti sanctus quidam generis humani Areopagus nihil humani a se alienum putare recte fingitur. Qui cum vitia oderit, virtutibus delectetur, quidni gratus erga bonos dicatur, quibus bene factorum pretium immortalitem et Elysii honores laetus tribuit. Similiter Cic. Philipp. XIV, 11. §. 31.: „maxime proprium senatus sapientis est, grata eorum virtutem memoria prosequi, qui pro patria vitam profuderint.“

v. 102. honoratis — equis. Heinsius avis coni. de tumulis avorum interpretatus, quibus ossa Corneliae inferantur. Emendationem Broukh. accipit, sed quoniam apud inferos res agatur, aves in Elysium receptos intelligere mavult, haud facili sane firmamento usus Eleg. in mort. Drus. 329.:

Ille pio, si non temere haec creduntur, in arvo
Inter honoratos excipietur avos.

Itaque ille coniecturam eam approbavit Hemsterhusio (ad Lucian. Dial. sel. p. 14.), Kuinoelio, Lachmanno, Bachio. Sed ne de dativo dicam, quem Latine dici pro ad cum accusativo nec Lachm. coll. Valer. Flacc. III, 293. Propert. III, 18, 31. (ubi vid. comm.) I, 6, 2. Lygdam. (Tibull. III), 4, 31. Tibull. I, 1, 5. nec Bach. coll. Propertio I, 11, 25. demonstravit (quamquam aliis exemplis probari eum posse intelligo): Bachio certe eam rationem placuisse miramur, qui modo (v. 99.) aves praesentes in indicio et testes Corneliae fecerit. Nec vero honoratis — aquis, quod in multis neque infimae notae libris est, quamvis Lipsio, Livineio, Turnebo, Barthio patrocinantibus, coll. El. IV, 7, 55 sqq. recte defendi certum est. Cf. comm. ad e. l. Contra optime Groning. cum aliis: honoratis — equis, quod iam Beroald. recte interpretatus est: triumphalibus. Markland. coniectura sua: Cuia coronatis — equis non tam emendavit, quam quomodo explicandum esset declaravit. Nam ut cascam illam pronominis formam Virgilii pastoribus quam Corneliae panegyrico digniorem evites, tentare possis: Cuius adornatis vel (coll. El. I, 16, 3. Horat. Epod. IX, 21.): Cuius inauratis. At salva res est, siquidem coronatos equos, qualibus triumphantes vectos esse constat (cf. El. III, 1, 10. Ovid. Trist. IV, 2, 25. Fast. V, 52.), hoc ipso honoratorum attributo docte Propertius significavit. Nam honorem non solum eum dicimus, qui mente et veneratione tribuitur, sed etiam cum alia insignia et ornamenta, tum maxime coronas. Virg. Ecl. X, 24.: Venit et agresti capitis Silvanus honore. Stat. Silv. II, 1, 26.: frontis honore soluto. Hinc ha-

norare prorsus idem sonat, quod decenare vel ornare, quae ut synonyma Livius ponit X, 7, 9.: „corona triumphali laureaque honoratos“ et mox (§. 10.): „Iovis O. M. ornata decoratum“. Vell. Paterc. II, 112.: „triumphalibus ornamentis honoratus“. Itaque triumphales equi, phaleris aliisque ornamentis, maxime vero, quod ll. cc. declarant, coronis decorati, ut apud Declam. post Red. in Sen. 11, 28.: insignes, sic a Propertio honorati tanto rectius dicantur, quod in partem triumphi ipsi venire videntur (cf. El. IV, 3, 68.), neque cuiquam honor est, solos ex tot equorum gregibus triumphatoris currui destinari. Vides quo Valpii sententia cadat, de carpento explicantis, quo Cornelia apud inferos vehi optet, more matronarum apud superos. Neque vero Berealdus reliqua examussim interpretatus est. Nam ossa vera funera intelligit, quae triumphali curru victorum instar ob merita efferri Cornelia velit. At cum alia obstant, tum usus Romanus, qui lectum funebrem non curru sed humeris efferri voluit: vespillonum, si plebeium funus esset; sin amplum, insignium in civitate virorum. Cf. enim instar omnium doctissimum Beckeri excursum ad Gall. Sc. XII. T. II. p. 281 sqq. Nam Horatii „triumphales in funere imagines“ (Epod. VIII, 11.) quo pertineant, Polybius docet VI, 53 sqq. Itaque ne per metaphoram quidem, quae modestior est Berealdi sententia, inauditum illum Romanis honorem exoptare sibi Corneliam concedam, nedum Scaligero assentiar, qui honoratos equos praetorios interpretatus (an forte censorios dicere voluit, de funere censorio cogitans?), „matronas, quae filios consulares aut aliis curulibus magistratibus functos relinquerent, curru et sella curuli efferri“ satis confidenter praedicat. At destitutus ille omni antiquitatis documento. Hinc Graevius Tom. IV. Syllog. p. 221. 222. pro ossa — ora reponit, quod ad simulacrum mortuae referatur Circensi pompa curru circumvectum. Sed absurdus iste, si quid sentio, honor a C. Caligula primum inventus (Suet. Cal. 15.) et a Claudio, quem decebat, repetitus (Suet. Claud. 11.), Corneliae aetate et conditione alienus est. Miror autem in fine operis (quod toties in his carminibus mirari subiit) interpretes, dum doctissima quaeque et remotissima captant, ea quae in manibus paene erant et ultro se offerebant, omisisse. Nam ossa quidem Manes dici, coll. vv. 20. 58. iis, quae in argumento recensuimus, exemplis certum videtur esse. Dignam igitur Corneliam praedicari censeamus, quae triumphans Elysium intret: favebit nobis, qui modo obesse videbatur, versificator ille Albinovani per-

sonam indutus de morte Drusi, qui v. 331 sqq. de Druso defuncto et arva pia subituro haec habet:

Magnaque maternis maioribus, aequa paternis
Gloria, quadriiugis aureus ibit equis,
Regalique habitu, curruque superbus eburno
Fronde triumphali tempora vinctus erit.

Iam vero ne quis cavillator improbus feminam triumphum acturam rideat: non ego nunc ad Musam triumphantem (III, 1, 10.) provoco; optime a poeta institutum esse aio, quod sexus discrimina apud inferos sublata fingit, quodque eum honorem, quem apud superos sane viris tantum concessum, coelestis maiestatis imaginem veteres esse voluerunt (cf. Od. Mueller. de Etrusc. II, 218. T. I. p. 372.), illic mulier sibi poscit, quae non bellica laude, sed morum integritate femineum triumphum (v. 71.) iam adepta neque ipso coelo indigna videatur (v. 101.).

Index.

(Tres numeri, quorum primus Romanus, commentarios significant; litterae Q. p. adiectae Quaestionum paginam.)

A

A praepositio pro casu instrumentali: III, 11, 24. — causam et modum agendi significat: III, 25, 6. — tempus et causam: IV, 1, 126.

-a terminatio 1. decl. nunquam in in nom. longa, ne in Graecis quidem: II, 14, 5. III, 19, 17.

-a Latina terminatio Graecorum, quae tertiam decl. sequuntur: III, 11, 15.

abiegnus, abiegineus, abieginus: IV, 10, 43.

ablativi usus varius: Q. p. 135. §. 18. abl. q. d. instrumentalis, etiam in personis: I, 13, 13. — causam remotiorem signif.: III, 24, 2. IV, 11, 42. — loci pro iuxta: I, 14, 1. — modi, non raro cum abl. loci ab interpp. confusus: I, 17, 21. — pro genitivo: I, 18, 17. II, 13, 17. II, 29, 36. IV, 5, 31. — laxior causali tamen proximus: ibid. et III, 6, 24. I, 20, 8. — absolutus sine praedicato: III, 16, 7. III, 22, 13. IV, 8, 10. — iuxta verba eundi: IV, 10, 23. — in -ius vel -ium desinentium nunquam in -is contractus invenitur, praeter has voces: dis, is, isdem: II, 34, 64.

abusio (*καταχρησις*) Q. p. 152. III, 9, 22.

acceptus = gratus: I, 6, 28.

accusativus significatione factitiva: II, 1, 9. II, 20, 8. II, 7, 11. III, 22, 25. IV, 5, 14. — hinc vi proleptica: II, 27, 8. III, 3, 4. III, 21, 1. — nominum in -es desinentium quando -en sonet ap. Propert., quando -em: II, 9, 7. Q. p. 164. — Graecorum in -im et -in: Q. p. 165. — in -a: ibid. — plur. in -as: ibid. — secundae in -on ibid. p. 166.

Actia ludicra duo diversa: IV, 6. init. — cum saecularibus a. 728. falso confusa: ibid.

ad praepos. dativi usui simillima: II, 16, 21. — conditionem et finem significat: II, 10, 8.

adamas, ferri genus: III, 11, 9.

adesse modo cum ablat. modo cum acc. nom. propr. urbb.: III, 16, 2.

adiectivum gen. n. pro subst. et cum altero adi. iunctum: I, 6, 24. adiectt. gentilia: I, 11. extr. Q. p. 163. — significatione ancipiti, activa vel passiva: I, 12, 2. — praedicato addita, adverbii ratione: I, 12, 6. II, 1, 2. II, 16, 16. Q. p. 144. sq. §. 25. — temporalia pro veris adverbiis: I, 21, 4. — epitheta perpetua: II, 4, 7. adiectt. quae parti tantum alicuius rei conveniunt, toti rei addita: III, 19, 12. IV, 1,

11. — nominibus regionum adduntur, quae incolis tantum conveniunt: IV, 6, 83. — quae a nomm. proprr. descendunt, genitivum annexum habent ex illo nomine pendentem: IV, 5, 23.
admirari = stupere: II, 17, 11.
advenae amnes: IV, 1, 8.
adverbium cum verbo finito ponitur pro adiectivo gen. neutr., cuius idem verbum infinitivo modo subiectum esse oportuit: II, 16, 16. Q. p. 143. II, 34, 31. — pro adiectivo: II, 33, 21. — loci nomen loci certi per appositionem iunctum habet: I, 19, 7. 8. advv. demonstrativa sic et ita attributo addita conditionem significant: I, 19, 16.
adversativae particulae ab initio totius carminis positae: II, 10, 1. II, 27, 1. Q. p. 130. §. 14.
Aeacus num Minois frater? IV, 11, 21.
Aeaea puella, Calypso: III, 12, 31.
Aeacus pariter a nomine Aea et Aeaea ducitur: I, 1, 24.
aedes pl. num. pro templo: II, 14, 27.
Aegyptii malitia infames: III, 11, 33.
Aegyptiacae merces: IV, 5, 25.
Aemilia ratis: III, 3, 7.
Aemilius L. Paullus censor: IV, 11, 41. Q. p. 30.
aequalis = rivalis: III, 6, 22.
affectum summum durior oratio decet: III, 11, 50.
agi = circumagi, versari: IV, 1, 82.
agitare vestigia: II, 16, 27.
agri oppidorum captorum per trinas iugerum centurias divisi: IV, 10, 26.
agrorum distributio a. 718.: Q. p. 17.
alae navium: IV, 6, 45.
Albani lacus fontes: III, 22, 25.
alea ludentes invocare amores suos solent: III, 10, 27.
Alexandrinus populus infamis: III, 11, 33. Q. p. 188.
Alexandrinorum tempora Q. p. 187. sqq. Alex. poetarum ars et ingenia: Q. p. 201. sqq.
alienus, quid? I, 15, 32.
alius pro alienus (alia puella pro pellice): III, 6, 22.
aliquis = alius quis: II, 5, 5.
allegoriae ratio et fines: Q. p. 75. sqq.
allocutio: Q. p. 113. §. 3.
alludere de aquarum undis verbum suspectum: III, 18, 1.
alternus pro alternis vicibus: I, 9, 23.
amandi verba cum ablat. person.: II, 30, 29.
amantium omnia sunt communia: IV, 3, 52. — oculi visco illiti dicuntur: I, 19, 5.
amata puella vel amasius navigio comparatur: II, 4, 19.
amator naufrago comparatur: II, 4, 19.
Ambarvalia et Amburbalia sacra: IV, 1, 19.
amor et Amor: III, 19. extr. amor morbo comparatur: I, 1, 2. II, 4, 7. — vulneri: II, 4, 9. — venationi: IV, 1. extr. — servituti: I, 9, 3. — navigationi: II, 4, 19. II, 5, 5. II, 12, 7. III, 24, 14. — flammae, faci, taedae: I, 13, 21. I, 13, 26. II, 7, 8. — militiae: II, 7, 15.
Amor triumphans: I, 1, 4. II, 30, 7. sq. — alatus: II, 12, 1. — ebibit amantium medullas: II, 12, 17. — in genis puellarum excubat: II, 25, 26. — domat amantes, quasi iumenta: II, 34, 47. IV, 1, 141. — hominibus, cum nascuntur, a Parcis destinatur: I, 7, 16.
Amphionis et Zethi mores diversi: III, 15, 29.
amphora curta monumentum vetulae ebriosae: IV, 5, 75.
amplificatio: Q. p. 158. §. 16.
Amymone: II, 26, 47.
ἀναδίπλωσις: IV, 1, 77. Q. p. 109. §. 3.
ἀναφορά: Q. p. 107. §. 1.
anceps dicendi genus poetae non fugiunt, ubi nexus sententiarum, quid velint, docet:

II, 20, 7. II, 24, 52. — in ancipiti verborum significatione Prop. ludit: III, 1, 5. II, 34, 84. III, 3, 48.
Androgeon ab Aesculapio vitae redditus: II, 1, 62.
angustum pectus Callimachi: Q. p. 195.
Anienis cataractae: III, 16, 4.
anima et animus: II, 10, 11.
animosus pro animalis: III, 9, 9.
annulum morituro detrahi solitum esse falso existimant: IV, 7, 9.
Anser poeta: II, 34, 84.
Antaei regia: III, 22, 10.
Ἀντίθετα Q. p. 160. §. 31.
Antimachus (Ann. Br. I. p. 167.) explicatur: III, 5, 2. — Antimachi Lyde: Q. p. 205. (ubi calami errore scriptum: Callimachi.)
Antiochia Orientis emporium, unde odores venerunt: I, 2, 3.
Antiopae fabula, quomodo a Propertio sit tractata: III, 15, 11. sqq. — ferreas fruges molere coacta est a Dirce: ibid. v. 15.
Antonianarum partium reliquiae sero in Asia a Caesare subiectae: Q. p. 24. 25. Et. I, 6, 20.
antra = recessus montium: I, 2, 11. IV, 4, 3. — Musarum (*Μουσεῖα*): III, 3, 27.
anus non solum mulieres, sed etiam res annosae: II, 32, 6.
Apollinis Palatini aedes dedicata: Q. p. 223. — statuae duae, altera in templo Palatino, altera in porticu falso confusae: II, 31, 4. — templum et porticus: ibid. — statua Vaticana: Q. p. 71.
ἀποστροφή: I, 18, 27. IV, 8, 39. IV, 11, 39. 40. vid. s. v. allocutio.
appositionis genus elegans, cum abstracto concretum subiungitur: II, 16, 37. — cum nomen toti enuntiato: III, 11, 40.
apricus: IV, 5, 48.
Aprilis calendis meretrices sub myrto lotae dona ab amatoribus exigebant: IV, 5, 35.
aptare carmen citharae: III, 3, 33.
aqua et ventus rapere dicuntur, quae inania fiunt: II, 28, 2. Varios in usus haec formula deflexa: ibid. aqua ἀλληγορικῶς de poematis: III, 1, 1. — quae ex poetarum pectoribus fluere dicuntur: III, 3, 52. variae metaphorae hinc ductae: ibid. v. 5. aquae enthusiasticae aliis poetis aliae tribuuntur: III, 1, 5. III, 3, 52. aquae publicae beneficio Caesarum in aedes privatas diductae: III, 2, 12.
Ara Maxima: IV, 9. init.
Arabium limen: I, 14, 19.
arbor pro silva: III, 3, 13.
arces muris opponuntur: IV, 1, 65. — in oppidis Italicis Q. p. 6.
Arctos sive Ἄρκτων ὄρος: III, 21, 3.
Arctus pro nocte: II, 22, 25.
ardere dicuntur, quorum domus ardent: II, 16, 30. III, 13, 21.
ardidus vocabulum Propertianum: II, 3, 24.
arenae colores varii: IV, 6, 83.
argumenta opificum: III, 9, 13. argumentosum opus quid? — ibid.
Argynnis: III, 7, 22.
Ariadna dormiens, frequens artificum argumentum: I, 3. init.
Asclepiades explicatur (Anth. Pal. V, 169.): III, 24, 14. (Anth. Pal. V, 202.): III, 3, 48. emendatur (Anth. Pal. V, 162.): II, 9, 28.
Asia provincia consularis: Q. p. 24.
Asis mons: IV, 1, 125. Q. p. 6. p. 8.
Asisium (prima longa): IV, 1, 125. Q. p. 8.
Asisinates iidem qui Asirinates: ibid.
assessores in quaestionibus perpetuis: IV, 11, 21. quod eorum munus fuerit: ibid.
assessus: IV, 11, 50.

assidere verbum iudiciale: IV, 11, 21. assidere = similem esse: IV, 11, 50.
ἀσύνδετον in appositis frequentissimum: I, 15, 27. Q. p. 129. — vi adversativa: I, 21, 5. 6. II, 34, 68. — ubi Graeci membra per μὲν et δὲ nectunt: III, 6, 22. — in comparationibus et enuntiatis causalibus: II, 1, 37.
at pro sed: I, 6, 20. at cum et in codd. confusum: II, 29, 11. at ab et quomodo differat: II, 26, 49.
Athamantidos undae = Hellespontus: I, 20, 19. III, 22, 5.
atque et ac: II, 26, 8. atque utinam: I, 9, 8.
attractionis varia genera: Q. p. 187. §. 19. — pronominis ap. infinitivum: I, 1, 23. I, 3. extr. — apud participium infinitivi loco positum: II, 9, 7. III, 18, 12. — subiecti ap. infinit.: I, 16, 7. — vocativi: I, 8, 19. II, 15, 2. II, 6, 20. — pronom. relat.: II, 16, 46. — rarissima: II, 26, 5. — durior in relat. qualis: IV, 6, 33. — in interrogatione q. d. obliqua: II, 4, 9. — copulae: II, 16, 46.
attributum saepe summam sententiae continet: II, 16, 16. III, 14, 19. Item enuntiata relativa: ibid. cf. s. v. summa sententiae.
auctor facti pro eo qui fecit figurate ponitur: Q. p. 154. 155. El. I, 1, 3.
Augusti laudatores: Q. p. 28. Augusti aetas: ibid. p. 187. 188.
aura = splendor: II, 27, 15.
aureus pro inaurato, et similia id genus: III, 7, 49.
Auster frigidus: II, 26, 36.
aut et vel: II, 8, 11. II, 17, 14. III, 21, 25. 26. aut post negandi particulas pro nec positum; saepissime vero a librariis semidoctis in haud mutatum: II, 34, 83. — in asseverando et in adiurandi formulis: IV, 11, 19.
Aventinus, Remi sedes: IV, 1, 50. Aventinus heros: ibid.
Averni lacus et adiacentium regionum descriptio: III, 16, 1. Avernus et Lucrinus saepe a veteribus inter se confusi: ibid.

B.

Bacchus poetarum, lyricorum imprimis, patronus: II, 30, 37. III, 1, 7. Bacchi et Musarum cultus coniunctus: III, 3, 23. Bacchicae comae: III, 17, 38.
Baiarum situs: III, 18. init. — coelum noxium: III, 18, 9.
barbari populi acu corpus notabant: IV, 5, 52.
Bassareus: III, 17, 38. Bassaricae comae: ibid.
Bassus poeta: Q. p. 20. alii Bassi: ibid. p. 21. sqq.
Belgicus color: II, 18, 26.
bibliotheca Palatina in porticu: II, 31, 4.
Boebeis lacus: II, 2, 11.
Bonae Mentis aedes: III, 24. 13.
bonorum mores pro legibus sunt ipsis: IV, 11, 47.
Bosporus gen. fem. III, 11, 68.
brachia labantia somni signum: IV, 4, 67.
brevis syllaba in arsi producitur: Q. p. 168. sq. in thesi nunquam apud Prop. ibid. p. 173.
Brimo: II, 2, 11.
Bruti statua in Capitolio: III, 11, 46.
bulla libertatis insigne, non nobilitatis tantum: IV, 1, 131. Q. p. 14.

C.

C et G litterae in libris mss. confusae: II, 1, 5.
Cacus in Velabro habitavit: IV, 9, 9.
cadi Mygdonii ἀλληγορικῶς pro tibiis: IV, 6, 8.
Caesaris statua in Capitolio: III, 11, 46.
caesura in verbis compositis praepositione efficitur: III, 6, 39.
calamus in aucupio non sagitta, sed arundo viscata: III, 13, 46.

Callimachi *Αἴτια*: Q. p. 196. 197. argumentum: ibid. — quomodo Prop. eum imitatus sit: Q. p. 27. p. 189. sqq. — pars *Αἰτίων — κτίσεις*: p. 198. 199. — elegiaco versu scripta: p. 197. sqq. Call. ars et ingenium aestimatur: p. 189. sqq. — compositio versuum: p. 201. sqq. — ecolutio: p. 210. — Call. Cydippe: Q. p. 209.

Calliope Musa Propertii: III, 2, 14. — pulcherrima Musarum: ibid. — Musa *κατ' ἐξοχήν*: ibid. — lyrici carminis praeses: ibid. — amoris non rudis: ibid.

Camenarum fons: IV, 4, 4.

Cancer funestum signum, avaritia complet sub se natos: IV, 1, 150.

candere num cani recte dicantur: II, 18, 5.

candida nox: II, 15, 1.

Canopus infamis: III, 11, 39.

Capitolinus (vit. Anton. Phil. 26.) emendatur: III, 21, 25.

Capricorni occasus tempestates portendit: IV, 1, 86.

captivorum crines passi, non tonsi: IV, 11, 38.

caput pro homine: III, 7, 8.

carmen et crimen a librariis frequenter confusa: I, 18, 9. carmen non solum cantus, sed etiam organorum modulatio voce carens: II, 1, 9. carmina rivis comparantur: III, 1, 1. IV, 1, 59. — sacrificiis: III, 1, 1. — cursui, curribus, equis. II, 10, 2.: hinc variae metaphorae ductae: III, 3, 18. (carminis finis, meta: IV, 2, 58.) — itineribus per prata factis, unde vulgaria tritis vulgo viis (*λεωφόροις*), nova semitis intactis: III, 1, 17. III, 3, 18. — floribus foliisque: III, 1, 19. — coronis eius generis, cui cum argumento carminis necessitudo aliqua intercedit: ibid. IV, 6, 3. — choreis: III, 1, 4. III, 2, 14. — navigiis: III, 3, 22. — vino et nectari: IV, 1, 59. IV, 6, 7. 8. — monumentis: IV, 1, 67. — lanificio vel operi textrino: I, 16, 41. hinc volvere carmen et c. revolubile: IV, 7, 51. — carmini tribuitur, quod proprie poetae est: III, 3, 21. carminis argumentum cum natura versus sui artissime coniunctum: IV, 1, 61. carminibus vita et persona tribuitur: IV, 1, 61. Praeterea vid. s. v. poesis.

casa Romuli: IV, 1, 9.

castra amoris: II, 7, 18.

Catulli ingenium et ars: Q. p. 55. Catullus (El. Callim. v. 43.) emendatur: II, 1, 22. C. (LXX, 4.) explicatur: II, 28, 8.

causa dicti saepe uno nomine addito significatur: II, 25, 1. causa alicuius rei saepe pro causa contrarii ponitur: II, 34, 52.

causales particulae ab initio orationis positae: Q. p. 130. §. 14. — saepe non causam rei, sed dicti significant: III, 11, 27.

cautus etiam is, cui cavetur: III, 5, 8.

census pro mercede noctis: III, 13, 11.

Centaurica vegrandia omnia et immania: IV, 6, 49.

cera pro carmine: IV, 6, 8.

ch et th frequentissimo errore a librariis confunduntur: III, 7, 49.

Charontis cymba: III, 18, 22. — naulum: IV, 11, 7.

chori *μεταφορικῶς* carmina: III, 1, 4. III, 2, 14.

Cicero explicatur (N. D. I, 33.) III, 11, 17. (N. D. III, 5.) ibid. (N. D. III, 34.) ibid. (N. D. III, 42.) ibid. (Epist. Famil. III, 9.): IV, 1, 23. — emendatur (Acad. II. ap. Non. II, 717.): II, 26, 5.

cinis et ossa cum umbra et Manibus passim confusa: III, 18, 31. 32.

cingo c. dat. pers. et acc. rei: III, 6, 30.

clatra neutr. plur.: IV, 5, 74.

claudere quid? III, 18, 18.
clavis trochi: III, 14, 6.
κλῖμαξ: Q. p. 141.
Clitumnus: Q. p. 6. sq.
Croesus, non Gabosus: II, 12, 10.
coccinis etiam honestae mulieres amictae: II, 25, 45.
coelum cum Elysio confusum: II, 28, 27. III, 18, 31. 32.
cogi de necessitate q. d. logica: III, 9, 22.
color et forma modo confusa, modo discreta: I, 4, 13. II, 24, 5.
colus manu. Q. p. III. p. 162. IV, 9, 48.
coma solis ardore crispata: IV, 9, 46. comae lugentium sectae: IV, 11, 88.
comes etiam res dicitur: IV, 4, 82.
communes di: II, 30, 21.
comparantur interdum res, quarum altera proprie genitivo casu ex una comparatarum pendere debebat: Q. p. 150. Ad. I, 1, 22. I, 9, 11. I, 13, 25. II, 3, 31.
compendium dicendi, cum vox semel posita bis intelligitur: IV, 10, 32.
componere. variae verbi significationes: I, 9, 13. III, 13, 63. II, 24, 35.
concha Veneris: III, 11, 6.
concretum pro abstracto: I, 2, 14. Q. p. 154.
condere nomen versu: II, 1, 42.
confessus = victus: IV, 6, 79.
coniunctionum usus Propertianus: Q. p. 167. — audacior: Q. p. 129. §. 14.
coniunctivus imperfecti pro praesenti in interrogationibus dubitativis: I, 9, 15.
conopium et conopeum: III, 11, 45. — propria vocis significatio: ibid.
conscendere carmen: II, 10, 23.
conscius passive: I, 12, 2.
contemnere = fugere: I, 4, 23.
contingere de morbo, amore: I, 1, 2.
contorta crotie: I, 16, 38.
contractio 1. pers. pl. perf. 1. et 2. coni. Propertii aetate obsoletae: II, 7, 2. II, 15, 3.
contundere arma: IV, 2, 53.
copulativae particulae vi adversativa: I, 16, 12. — etiam in enuntiatis negativis: II, 1, 22.
Cora quando finibus Romanis addita? IV, 10, 26.
cornicum oculos eruere: IV, 5, 16.
cornu = arcus, non sagitta: II, 19, 19.
coronis carmina comparantur: III, 1, 19.
corpori interdum voluntas menti repugnans a poetis tribuitur: II, 25, 28.
corripere et corrumpere, utrumque vocabulum amatorium, frequenter in codd. confunduntur: II, 32, 33.
corticibus arborum amore incisis: I, 18, 22.
corymbi hederae genus Baccho gratissimum: II, 30. extr. — pro carmine: IV, 6, 3.
cothurnus συμβολικῶς tragica poesis, nunquam epica: II, 34, 41.
Crassi expeditio Mosaica: Q. p. 23.
crescere dicitur quod arte factis opponitur: IV, 1, 5.
Cretensium et Phrygum res antiquissimae passim a poetis confusae: III, 1, 27. Utriusque regionis vocabula cognomina: ibid.
cui et qui in codd. confusa: II, 13, 47.
cum coniunctio post verba sentiendi pro acc. c. inf.: III, 6, 27. IV, 7, 36. — usus eius particulae Propertianus: Q. p. 118. — post tempus, dies al. pro relativo pronomine: ibid. — indicativum postulat, si tempus futurum significatur: I, 8, 14.
Cuma Opica Cumae Asianae colonia: I, 1, 11.
cupidines et Cupidines: I, 1, 2.
cura non medicina, sed ad

curatio, aut morbus: I, 3. extr. I, 10, 16.
curare pastorem: IV, 2, 39.
Cures gen. fem.: IV, 9. extr.
curvus de vitae ratione: III, 5, 10.
custos = speculator: II, 29, 41. — custos et custodia pudoris dicitur, quidquid conditionis honestae admonet: II, 18, 35.
Cybelae sacra cum Proserpinae coniuncta: III, 22, 3. — nominis forma: ibid. — Cybelae cultus: III, 17, 35.
cymbala rauca: III, 17, 36.
Cynthia Propertii amica: Q. p. 32. sqq. Lib. I. c. 6. — libri primi inscriptio: Q. p. 206. p. 220. Cynthiae et Prop. discidium: Q. p. 217. sq.
Cyprus ab Antonio addita Aegypto in triumphi titulum venit Octaviano: II, 1, 31.
Κύτα vel Ἄυταία — variae adiectivorum formae inde ductae: I, 1, 24.
Cytaine nomen gentile et patronymicum: I, 1, 24.
Cytais, Cytaeis, Cyteis: II, 4, 7.
Cytheris ficto nomine Lycoris dicta: Q. p. 34.
Cyzicenorum sacra, nummi, cultus: III, 22, 3.

D.

Damnatae noctes: IV, 11, 15.
dare in re venerea: III, 13, 13.
dativus tertiae decl. Graecus plur. in -sin: Q. p. 166. — tertiae sing. in -e desinens ab usu cultioris Latinitatis alienus: I, 18, 12. III, 6, 21. — plural. secundae nominum in -ius desinentium: vid. s. v. ablativ. — quartae in -u: II, 1, 66. — dativus finem motus significat: I, 15, 29. — iudicium significat eius, cuius nomen eo casu enuntiato additur: II, 34, 31. IV, 4, 32. — epexegeticus: II, 3, 42. dativi duo diversa significatione cum eodem verbo coniunguntur: III, 6, 41.
de- et di- in compositis: II, 28, 59.
Debae s. Debatae, gens Arabiae: IV, 5, 21.
decretum num idem quod poena: II, 32, 32.
deducere et diducere: II, 22, 5. deducere versus: I, 16, 41. deducta vox: II, 33, 38.
deesse c. inf.: I, 16, 7.
deflere sine acc.: I, 16, 13.
defluo cum acc. rei: II, 20, 8.
dei cum donis suis vel cum elementis, quibus praesunt, de industria confunduntur a poetis: I, 13, 21. II, 34, 34. III, 16, 4. Q. p. 78. — votis vocari se poscunt: III, 10, 12. — culpam mente mortalium conceptam alere creduntur: IV, 4, 17. deorum simulacra plena numinis sui credebantur: III, 9, 15. deorum imaginibus certorum hominum vultus expressi: II, 6, 9. deorum facies poetae sibi tales fingunt, quales vel in artificum operibus vel in scenis conspiciuntur: II, 28, 17. deorum nomina pro templis posita, immo in eodem enuntiato modo propria, modo mutata significatione: IV, 9, 74.
deperditus amandi vocabulum cum ablat.: II, 30, 29.
detinere et delinire: III, 2, 1.
detractare et detrectare: II, 3, 47.
devovere et vovere: IV, 9. init. et v. 68.
di melius, formula solemnis IV, 6, 65.
dicere et ducere in codd. confusa: I, 4, 4.
dicere sine acc. oratoris est: I, 16, 38.
dictiones (φράσεις) substantivorum modo ponuntur: II, 22, 14. II, 25, 2.
dictatori equi escendendi ius formula solemni tribuitur: III, 4, 8.
diei sensus et voluntas tribuitur: II, 28, 32.
dilui eleganter dicuntur animi vitia: III, 17, 6.

Diadymus: III, 22, 3.
Dionysius Halic. (II, 37.) emendatur: IV, 1, 31.
Dircae signum Farnesianum: Q. p. 73.
discere c. inf.: II, 21, 16.
discolor Indus: IV, 3, 10.
Discordia Romana, quasi dea: I, 21, 5.
diversus adverbii modo ponitur: III, 3, 33.
dividere sine casu: I, 12, 10.
divini fontes: I, 18, 27.
Doana et Doanae, amnis et oppidum Chersonesi aureae: IV, 5, 21.
dociles usus: IV, 2, 63.
doctrina necessaria poetis: II, 34, 89.
dolor apud poetas amatorios: Q. p. 65. I, 10, 13.
domus usum familiarem, amantium imprimis, significat: III, 6, 22. domum abire de sua cuiusque, non de aliena domo dicitur: I, 5, 20.
Dorozantes: IV, 5, 21.
Dorus = Doriensis: III, 9, 44.
δρόμοι — περίπατοι: III, 21, 25.
ducere: vid. dicere.
Dulichii num Minervae cultus fuerit: III, 2, 7.
durus versus = heroicus: II, 1, 41. Q. p. 199.

E.

E cum apice compendium epiphonematis heu: I, 19, 22. II, 12, 15.
efferri. variae verbi significationes: I, 15, 21. de funeribus: III, 15, 3. item translate pro emori: ibid.
eiici verbum in amore repudiato proprium: II, 21, 12.
ἐκθλίψις: Q. p. 180.
elegi. vocis significatio: Q. p. 50. p. 55. IV, 1, 135.
elegiae antiquae ratio et fines a Propert. servata: Q. p. 49. sq. — Elegiae Romanae causae: Q. II, 1. p. 47. sq. Elegiae dispositio et consilium: Q. p. 79. sqq.
ellipsis: Q. p. 124. sqq. §. 12. II, 27, 10. II, 28, 12
Elysium cum coelo iam antiquitus confusum: II, 28, 27. III, 18, 31. 32. Ab Elysio et insulis Fortunatorum semita in coelum ducere ab Orphicis fingebatur: ibid.
enallage adiectivi: Q. p. 143. §. 24. I, 21, 1. I, 20, 28. II, 5, 21. III, 21, 28. IV, 2, 13. IV, 2, 63. IV, 8, 24. — prominis demonstrativi: II, 1, 56. II, 13, 55. III, 18, 29. IV, 4, 13. IV, 11, 36.
ἐν διὰ δυοῖν: Q. p. 150. 151.
Ennius quando mortuus? III, 3, 7. Annalibus eius bellum Persicum descriptum esse non posse: ibid. — Ennius (ap. Non. I, 140.) explicatur: IV, 6, 8.
enthymematum vis summa: IV, 9, 57. Q. p. 126. sq.
ἐπαναλήψεις: Q. p. 109.
ἐπανόρθωσις: Q. p. 111. s. II.
ephemerides in codicibus scribi solebant: III, 23, 24. — hinc durae: ibid.
epigramma sepulcrale a Rossio communicatum emendatur et explicatur: III, 7, 9. — epigramma ined. ap. Meinek. Anall. Alexandr. p. 396. explicatur et emendatur: II, 29, 18.
ἐπιφορά: Q. p. 108.
ἔπίσχυρον ludicrum Spartanum: III, 14, 5.
ἐπῳδαί metaphorice verba prudentia dicuntur: I, 10, 6.
equi coronati: III, 1, 10. IV, 11. extr. — publici: III, 4, 8. — sorte ducti: ibid. — nigri Solis: II, 15, 32. equus et currui coelestium ipsa siderum natura tribuitur: II, 15, 32.
Erinnyes, lictores inferni: IV, 11, 22.
ergo, proprie revera: III, 3, 29.
Esquiliae aquosae: IV, 8, 1.
esse c. inf.: III, 3, 41.
est in fine versus quando omittatur: II, 6, 5. II, 14, 1.
et ab initio orationis positum:

I, 17, 1. — explicativum: II, 24, 2. — contraria praedicata ita coniungit, ut vel mutationis celeritas, vel oppositarum rerum repugnantia significetur: II, 24, 46.
Euphorionis cantores: Q. p. 186.
Euripides (Hippol. 518. sqq.) explicatur: II, 1, 51.
ex praepositio nunquam ante consonam a Propert. posita: IV, 10, 4.
excantare de diis evocatis: III, 3, 49.
excipere vota: II, 26, 10.
exclamatio: Q. p. 113. §. 2. III, 11, 59.
exclusus = exul.: III, 16, 20.
excutere de membrorum motu vehementiore: II, 16, 27.
exemplum imbuere: IV, 10, 5.
exercere laudes: III, 14, 3.
exigere verbum iudiciale in varias metaphoras declinatum: I, 13, 10.
extremus amor: I, 11, 6. extremum in membro corporis non modo infimam, sed etiam summam partem significat: I, 20, 28. extrema via: IV, 7, 4. extremus, externus, hesternus passim in codd. confusa: II, 29, 1. III, 8, 1.
-eus et -ius adiectivorum terminationes quomodo differant: II, 17, 5.

F.

Fabulae cognominum deorum, heroum, regionum passim confunduntur a poetis: III, 1, 27. — per varias terras et gentes migrare et diversis locis tamquam patriae iactari solent: IV, 4. extr. — fabularum usus poeticus: Q. p. 70.
facere sine casu: III, 11, 4
facta dicere: IV, 1, 71. facta et fata in codd. confusa: ibid.
facilis de facultate oratoria: I, 9, 15. — obsequens: III, 9, 28. IV, 8, 40. — c. inf.: IV, 8, 40.
fata modo pro vita, modo pro morte: II, 15, 54. IV, 11, 70. atque adeo pro mortuo: III, 13, 63. fata mea, utraque sententia: II, 15, 54. fatum modo mors violenta est, modo naturalis: III, 7, 32. 37. IV, 11, 66. fata augeri prole dicuntur: IV, 11, 70.
fatigare noctem: IV, 11, 81. fatigare de sonitu: ibid.
Faustuli tugurium: IV, 1, 9.
fax nuptialis ex ligno auspicato: IV, 3, 14.
ferri = differri: II, 5, 1.
ferrum et ignis; his duabus rebus chirurgia continetur; proverbialiter de quavis curatione violenta: I, 1, 27.
Festus (p. 242, 31. Müll.) emendatur: IV, 9, 67. (p. 274. Müll.) emendatur: II, 23, 18.
feta terra: IV, 9, 22.
fides portae: IV, 4, 87.
figurarum oratoriarum apud poetas ratio et usus: Q. II, 6. p. 104. sqq.
fingere duplici significatu: III, 20, 5.
flamma praesentis numinis nuntia: IV, 6, 29.
flari carmina magnifica et bellicosa dicuntur: III, 3, 42.
flere di tamquam portenti causa dicuntur: II, 16, 54. flere c. inf.: II, 27, 7. — sequente ne: II, 7, 6.
fluere c. acc.: II, 20, 8. — pro manare atque adeo madere: II, 20, 8.
fluvii heroum avi et ab aliis poetis et a Silio It. finguntur: IV, 10, 41. — fluvius adiect.: II, 9, 12. Q. p. 163.
fontes divini: I, 18, 27. fontes enthusiastici: v. aquae.
forma: vid. color. forma = puella: II, 13, 9.
frangi vires animi dicuntur: III, 21, 33.
frigidus Auster: II, 26, 36.
fueram pro eram: I, 11, 29. II, 29, 7. III, 23, 11.
fulcire = premere: I, 8, 7. fulcire genus: IV, 11, 69.
fumus culminum, signum vesperi venientis: IV, 4, 27.

funera nunquam curru efferebantur, sed humeris: IV, 11, 102.
furiae et Furiae: IV, 4, 68. Furiae culpam mente mortalium conceptam alere creduntur: ibid.

G.

Galerus rusticorum et sacerdotum tegumentum: IV, 1, 29.
Galli, Aelius et Cornelius: Q. p. 21. sqq. Aelii Galli expeditio Arabica a. 730.: ibid. et p. 217.
Gallicus a flumine Gallus: II, 13, 48.
Gallorum currus non tecti: IV, 10, 42.
Gallus Phrygiae flumen: II, 13, 48.
geminatarum litterarum altera saepe a librariis omissa: II, 1, 5.
gemmae pro margaritis: I, 14, 12.
genae proprie palpebrae: III, 11, 26. — nunquam numero singulari pro oculo: ibid.
Genii adoratio: IV, 8, 69.
genitivi usus varii: Q. p. 139. §. 20. genitivus qualitatis: Q. p. 154. 155. El. I, 1, 3. IV, 7, 69. III, 21, 25. — quo species generi subiicitur: III, 9, 25. — finem viae et itineris significat: s. v. via. — cum nomine substantivo iunctus, ubi alium casum cum verbo nexum sermo vulgaris postularet: III, 11, 31. IV, 1, 101. — genitivus ex genit. pendens: IV, 1, 103. IV, 5, 51. — Graecus in -es qua lege a Propertio postuletur: Q. p. 164. El. I, 13, 29. — in -os: I, 11, 11. Q. p. 165. — Graecorum barbarorumque nominum in -es desinentium et -i et -is pariter habet: II, 1, 21. III, 22, 9. — substantivorum in -ius vel -ium desinentium primus Propertius modo in -ii, modo in -i extulit: II, 34, 63. — adiectivorum 2. decl. in -ius nunquam contrahitur: ibid.
gentes Romanae non consanguinitate, sed lege iunctae: Q. p. 33. — ad communem, sed factitium atavum ἐπώνυμον relatae: ibid.
gladius instrumentum textorium: IV, 3, 34.
glastum: II, 18, 23. — a sapone differt: ibid.
γλυκύδακρυς: I, 10, 13.
γλυκύπικρος: ibid.
gradus in aedibus privatis: I, 16, 42.
Graecarum Romanarumque mulierum facies diversae: II, 23, 43.
Graecae formae in nomm. propr. quibus legibus a Propert. expetantur: Q. p. 164. sq. El. II, 22, 25. II, 26, 10. — etiam in Italicis et Latinis nominibus de industria expetitae: IV, 1, 29. IV, 2, 51. IV, 4, 9.
gramen quodvis medicamentum: II, 4, 8.
Gratiae cum Musis propitiae poetarum numina: IV, 1, 73. Gratiarum arva: III, 3, 33.
gratus de forma: I, -13, 29. gratus sine dativo: II, 25, 35. gratus et carus συνώνυμα: III, 2, 13. — dicitur etiam qui alieno nomine gratias refert: IV, 11, 100.
Gygae divitiae: II, 26, 23.
γυμνός modo nudus, modo expeditus: III, 14, 1. 1.
gyri = spatia curriculi: III, 14, 10. — carminis unde dicti: II, 10, 2. — vox in equestribus exercitiis propria: III, 3, 21.

H.

h et n litterae in codd. vix discretae: II, 16, 32.
halitus suaviolens puellarum ab Orientis imprimis poetis praedicatur: II, 29, 18.
hebdomades pro nundinis haud ita pridem Romae in temporum computatione receptae: IV, 5, 34.
Hegesippus (Anth. Pal. VII, 545.) explicatur: III, 18, 31. 32.

herba Promethea, discordiae amantium causa: I, 12, 10.
Herculi iam vivo divini honores ab Evandro habiti: III, 18, 5. Herculis et Bacchi religiones coniunctae: III, 18, 6. Hercules Thermarum praesul: ibid. H. Victoris aedes in foro Boario: IV, 9, 67. H. Victoris sacellum iuxta portam Trigeminam: ibid.
Hermesianactis Leontion: Q. p. 207. H. (ap. Ath. p. XIII. 597. F. v. 44.) emendatur: II, 34, 45. — (ibid. v. 72.): III, 22, 15.
Hesperidum horti: III, 22, 9.
hesternus quod ita mansit, ut heri fuerat: I, 15, 5. — h., externus, extremus passim in codd. confusa: II, 29, 1.
hexameter a Prop. saepissime pronomine ille clausus, nec tamen unquam, nisi praemissa particula adversativa: I, 20, 49.
hiare et hiscere carmen: III, 3, 4.
hiatus in arsi: II, 34, 39. Q. p. 178. — post consonam m: II, 15, 1.
Hispellum. oppidi situs: Q. p. 7. — Colonia Iulia: ibid.
Homerus deus appellatur: II, 34, 46. — explicatur (Od. λ'. 451 sq.): IV, 4, 31.
honor = sacrificium: IV, 8, 6. = corona: IV, 11, 102.
honoratus = coronatus: ibid.
Horatius explicatur (Od. I, 2, 3.): Q. p. 6. — (Od. I. 4, 17.): IV, 11, 1—6. (Od. I, 13, 15.): II, 29, 17. (Od. I, 24, 17.): II, 15, 54. (Od. I, 28, 32.): I, 13, 10 (Od. IV, 13, 13.): III, 18, 16.
horti Epicuri: III, 21, 26.
hospes = peregrinus, advena: I, 20, 10.
Hostia verum Cynthiae nomen: Q. p. 33.
Hostius poeta: Q. p. 33. p. 38 sq.
Hostius Quadra: Q. p. 39. Hostii alii: ibid.
hypallage: vid. enallage.
hyperbaton: I, 16, 47. Q. p. 121. — adiectivi: II, 16, 27. — cum, quae coniungenda sunt artius, per plura enuntiati membra dissipantur: II, 26, 25. III, 20, 23. — in particulis copulativis rarius ap. Propert.: III, 6, 5. — quod interiecto integro enuntiato efficitur: III, 4, 17. IV, 4, 73.

I.

Iacere de fluviis, gentibus, viis: I, 11, 2. — de rebus ambustis: II, 28, 36. — cum despicientia dictum: ibid. iacere ex: II, 12, 10.
iactare absolute pro se iactare: II, 24, 31. iact. manus = saltare: IV, 8, 41. — cantica: IV, 5, 45.
ianitor cum cane in cella sua cubat: III, 14, 28.
ianua leti: II, 15, 54. IV, 11. init. — ianua et porta: I, 15, 2.
Icarius vini cultor, Icarus Propertio audit: II, 33, 24.
ignarus sine casu = ἄπορος: III, 18, 29.
ignorare cum contemptione dicitur: II, 2. 4.
ille δεικτικῶς: II, 8, 38. illi obsoleta genit. forma, nec Propertiana: IV, 10, 43.
imagines victarum Urbium cett. muliebri habitu, passis crinibus in triumpho ducebantur: II, 15, 45.
imbuere exemplum: IV, 10, 5.
imitatio versuum alienorum, interdum summa cum elegantia instituta: Q. p. 70.
impuri loci = impediti: IV, 8, 21.
implicare pro alligare: IV, 11, 16.
impluvium arbustis consitum: IV, 8, 35.
in praepositio c. acc. finem et usum significat: IV, 2, 28. — eventum: III, 9, 18. — mutatam conditionem: IV, 11, 82. — usu praegnanti post ea verba, quibus motus significatio non inest: II, 9, 12. — c. ablat. post amandi verba: I, 9,

34. I, 13, 7. II, 4, 18. IV, 3, 49. Q. p. 134. — pro iuxta: I, 2, 11. II, 18, 9. (11.)
incheativa facillime derivantur: II, 13, 38. — eorum notio propria: ibid.
includere = finire: II, 15, 54.
increpare = vehementer crepare: III, 14, 6.
Indiae nomen ap. poetas: Q. p. 218.
indignus quid? II, 16, 16.
-ine terminatio cum patronymicorum, tum gentilium fem. gen. Graecorum: I, 1, 24.
inferorum et sepulcri confusio frequentissima et velut de industria a poetis expetita: III, 18, 31. 32. IV, 5, 5. IV, 7, 12. IV, 11, 20. 56. 74. 1—6. 14. — duplex via ad inferos et duplex cymba: III, 18. extr. IV, 7, 55. — apud inferos viae adamante stratae portaeque adamantinae: IV, 11, 4. — inferna iudicia assimulantur quaestionibus perpetuis: IV, 11, 19 sqq.
infestus significatione ancipiti: I, 8, 16.
infinitivus conatum significat: III, 9, 5. — post adiectiva: Q. p. 156. extr. p. 157. — inf. pass. ex verbo finito proximo suppletur: II, 23, 4.
ingenuus color: I, 4, 13.
inscribere alicui librum: Q. p. 221.
insigne aliquid pro re vel persona ea ponitur, quae illo insigni excellit: I, 6, 19. II, 26, 18.
insomnia plur.: Q. p. 162. II, 25, 47. 48.
instrumentum quo quid fit, quasi ipsum sit agens, subiectum fit enuntiati: IV, 8, 76. III, 11, 35. Q. p. 153. — hinc quod vel simul vel prius est, quasi causa alterius rei ponitur: IV, 8, 76.
interiectio (παρένθεσις) pentametro inclusa, Propertio in deliciis: IV, 4, 56.
interitum mundi magi vaticinabantur: IV, 1, 88.
intermontium: IV, 4, 3.
interrogatio oratoria: Q. p. 111. p. 112. §. 1.
intra nunquam pro infra: III, 9, 2.
intrare leges: IV, 11, 3.
i nunc, i quaeso, sequente et irridentis est: I, 9, 13.
-inus terminatio gentilium Italica: I, 1, 24.
invenire malum: II, 16, 29.
Io capite tantum mutato vel bovinis cornibus fingebatur et in scena agebatur: II, 28, 17.
iocum vindicare: III, 9, 12.
Ion Chius emendatur (fr. ap. Athen. XI. p. 463. B.): III, 17, 37. 38.
Iope: II, 28, 51.
ironia Propertii: II, 18, 1—4. Q. p. 117. 109. 126.
-is terminatio adiectivv. plur. tertiae decl. num praeter accusativum etiam in nominativo usu venerit: II, 31. extr.
Ischomache eadem quae Hippodamia: II, 2, 9.
iter de extremo mortis itinere: II, 13, 40. — de itinere venereo: II, 33, 22. — de ratione vivendi et de spatio ipso temporis: III, 10, 32. iter amoris: III, 15, 4. — vitae liberioris: ibid.
iterare quid? IV, 1, 82.
Itura: II, 13, 1. Ituraei sagittandi arte peritissimi: ibid.
Iudaeorum superstitiones Romae gliscentes: IV, 5, 34.
iudicare et vindicare perpetuo errore a librariis confusa: IV, 11, 20.
iudices electi: IV, 11, 19.
iuerint pro iuverint: II, 23, 22.
Iulus Iuliae gentis atavus: IV, 1, 48.
Iuno Pelasga: II, 28, 11.
Iuppiter Inventor: IV, 9. init. — Feretrius: IV, 10. init. — eius templum quando ab Augusto restitutum? ibid.
iura in amore: I, 9, 3. — Iunonis: II, 5, 17. — dare et dicere: IV, 11, 18.
iuramenta amantium ventis et

unda rapiuntur: variae eius formulae significationes: II, 28, 8.
-ius et -eus adiectivorum terminationes, quomodo differant: II, 17, 5.
Iustini auctoritas suspecta: Q. p. 15.
Iuturnae duae ab interpp. confusae: III, 22, 26.
iuvare saepe idem quod prodesse, II, 17, 13—15.
Iuvenalis (Sat. XII, 32. 40. 62.) explicatur: III, 11, 31.
iuvenes, honorifica equitum appellatio: II, 1, 73.
iuventus quo anno definita? II, 1, 73.

L.

Lacernis pluribus simul veteres usi sunt: IV, 8, 85.
lacrimare limina qua sententia dicantur: III, 25, 9.
lacus metaphorice de re quacunque vilissima: II, 23, 2. — pro flumine: IV, 1, 124. Q. p. 7.
Lares Hostilii: III, 3, 11. Larum Vialium aediculae ad portas omnes positae: IV, 3, 17. — his pro salvo reditu sacra fiebant: ibid. Lares Kalendis, Nonis, Idibus rite colebantur: IV, 3, 53. Larum Compitalium cura servis publicis mandata: IV, 3, 57.
larvae noctu circum terras vagantur: IV, 7. init.
lassus et lapsus in codd. confusa: II, 15, 7.
laudationes in titulis sepulcralibus: IV, 11, 56.
laudatur non modo virtus, sed etiam fortuna: II, 1, 47.
laurus carminis heroici insigne: IV, 1, 62.
laureatae epistolae: ibid.
laus = res laude digna: III, 14, 3. — imprimis de bello et certamine: ibid.
leges in amore: I, 9, 3. leges = ditio: IV, 11, 3. lex Iulia de maritandis ordinibus: Q. p. 36 sq. p. 224 sq. lex Papia Poppaea: ibid.
Leucothea et Leucothoe: II, 26, 10.
libellum in columna proponebant promulgandi causa: III, 23, 23.
librare et vibrare hastam: IV, 10, 13.
librarii ideo saepissime peccant, quod proxima verba tantum spectantes de summâ sententiae securi sunt: III, 7, 22. III, 8, 11. III, 9, 36. III, 15, 3. IV, 4, 78.
libri canere dicuntur: II, 34, 87. — ab amicis saepe post mortem autorum recensiti et editi: Q. p. 222.
limen pro vestibulo: I, 16, 1. — inferum et superum: II, 25, 17.
λειότης: II, 1, 58. II, 20, 24.
locativus: II, 32, 3.
locus, ubi aliquid fit, effecisse illud ποιητικῶς dicitur: III, 11, 25. IV, 8, 76.
longae manus, i. e. procerulae: II, 2, 5.
Luceres coloni: IV, 1, 31. — a Lucumonibus dicti: IV, 2, 51.
lucernae sternutatio: IV, 8, 60.
lucet pro eo: vita suppetit: II, 15, 49.
Lucretius (I, 1105.) explicatur: II, 15, 54.
Lucrini et Averni lacuum nomina a veteribus confusa: III, 18, 1.
luctus = res lugubris: III, 18, 29.
ludere verbum amatorium: I, 10, 9. — in fortunae inconstantia proprium: II, 25, 27. — cum accus.: III, 18, 1.
ludi oppidani Prop. aetate nondum artibus liberalibus patebant: Q. p. 18.
lumen (singul. num.) pro oculis: II, 32, 1.
luxuria Romanorum in captandis antiquis artium monumentis: IV, 5, 24.
Lycinna Propertii amica: Q. p. 32.
Lycmo pro Lucumone: IV, 2, 51.
Lycoris Cornelii Galli amica, eadem quae Cytheris: Q. p. 34.

Lympha et Nympha dea Fontium, idem proprie nomen: III, 16, 4. — promiscuum habetur a poetis: ibid. — passim a librariis confund.: III, 22, 26.
Lynceus amicus Propertii: Q. p. 20. alius atque Porticus: ibid. tragoedias scripsit: ibid.

M.

Maecenas eques: Q. p. 28. — M. aetas: II, 1, 37.
maenas, quaevis mulier fanatica et divinatrix: III, 13, 62.
Manes cum ossibus et cinere saepissime confusi: III, 18, 31. 32. IV, 5, 3. 4. IV, 7, 12. IV, 11, 20. M. ossium specie noctu circum terras vagari finguntur: IV, 7. init.
Manilius (I, 785.) emendatur: III, 3, 7.
mannus: IV, 8, 15.
manus pro artifice: II, 6, 27. — pro arte: III, 21, 30. coll. IV, 2, 62. m. iactare = saltare: IV, 8, 41.
Marcellus, M. Claudius: Q. p. 29. — Baiis mortuus: ibid. p. sq. Marcelli in aedilitate gesta: III, 18, 14.
Marii tropaea (non statua) in Capitolio: III, 11, 46. — ne confundantur cum monumentis Marii: ibid.
Maro idem qui Silenus, Bacchi educator: II, 32, 14.
marmor Taenarium et Laconicum falso confusa: III, 2, 9.
Melampodis fabula: II, 3, 53.
Meleager (epigr. 17. Anall. Br.) explicatur: II, 12, 10.
meretricis et prostibuli discrimen: Q. p. 37. sq. meretrix avara leaenae vellus arietis aurei carpenti comparatur: II, 15, 8.
meta finis carminis: II, 10, 2.
metaphora: Q. II, 6. s. II. §. 27. p. 146. sqq. — in m. miscentur propria cum translatis: II, 34, 43. III, 1, 4. 19. III, 3, 1. III, 3, 33. III, 9, 29. IV, 6, 7. 8. — metaphorae et allegoriae fines contigui: Q. p. 77. 78. — metaphora cum metonymia elegantissime conflata: III, 3, 42.
metiendi vocabula pro numerandi posita: II, 13, 17. IV, 1, 23.
metonymia: Q. II, 6. s. II. §. 28. p. 149—157. — concretum q. d. pro abstracto: II, 7, 6. III, 20, 25. vid. s. v. particip. perf. — causa facti pro eo, qui fecit: III, 9, 41. 42. συμβολικῶς: III, 9, 51. — metonymiae exempla audacissima: I, 11, 24. I, 20, 17—20. II, 3, 4. III, 10, 12. vid. s. v. res.
meus = mihi carus: III, 3, 31.
Mevania: Q. p. 6. sq.
Milanion: I, 1, 9.
milia et millia: IV, 3, 36.
Mimnermi Nanno: Q. p. 205. Mimnermus elegiae amatoriae auctor et inventor: II, 34, 31.
ministrare iter sidera dicuntur: III, 16, 15.
Minervae flamma = focus Vestalis: IV, 4, 45.
Minos: IV, 11, 21.
mirari et imitari, significatione cognata, passim in codd. confusa: II, 32, 61.
miseri dicuntur, qui res vanas sectantur: III, 5, 6. miseri ignes: I, 15, 21.
mitra: II, 29, 15. IV, 9, 49. IV, 5, 22. mitrae genera diversa: III, 17, 30. imprimis Lydia: ibid.
mittere equum, currum: III, 11, 62.
modorum permutatio: Q. p. 117. §. 7. — usus saepe magis versui, quam severis grammaticae normis a poetis accommodatur: IV, 5, 12.
mollis versus, elegiacus: Q. p. 199. 200. I, 9, 13. prae ceteris Propertianus: II, 1, 2. — mollis de moribus non semper idem quod dissolutus, sed etiam comis: III, 9, 57.
Monobiblos: Q. p. 207. p. 220. sqq.
monumenta dicuntur omnia, quibus facti cuiusdam admonemur: III, 11, 59.

mora, tempus commorandi: IV, 8, 4.
mors pro cadavere et ipso mortuo: II, 13, 23. III, 15, 40.
mortuis custos per septem dies addebatur, ne quis vivus sepeliretur: IV, 7, 25.
motare verbum suspectum: II, 19, 31.
movere = sollicitare, laedere: II, 30, 33.
multus non solum numerum, sed etiam qualitatem significat: III, 13, 8.
munimenta oppidorum Italorum: Q. p. 6.
munimentis et vallis vestes puellarum a cupidis amatoribus comparantur: III, 14, 30.
murrina vasa: III, 10, 22. — murra et myrrha: I, 2, 3.
muri et moenia pro urbe: II, 28, 54.
Musarum fontes non modo bibentes inde, sed etiam lavantes insania poetica instigare finguntur: II, 10, 25. 26. — passim confunduntur a poetis: III, 3, 13. — ex aliis alii bibunt poetae: ibid. vid. s. v. aquae. — Musae, fontium numina: III, 1, 5. Musa = carmen; hinc nata a poeta M. dicitur: III, 1, 10. vid. II, 34, 31. Musis et Gratiis currus tribuitur, quo poetam quasi clientem triumphantes tollunt: III, 1, 10. Musarum prata (*Μουσῶν λειμῶνες*): III, 3, 18. — antra (*Μουσεῖα*): III, 3, 27. — arva: III, 3, 33. — nemus: III, 1, 2. III, 3, 41. 42.
musivum opus, unde dictum: III, 3, 27.
mutare contractum ex movitare: II, 19, 31.
Mygdonii cadi: IV, 6, 8.
Myronis boves nobilissimae: II, 31, 14.
Mysi et Moesi: Q. p. 28. sq.

N.

Naicus: Q. p. 163. II, 32, 40.
nam. usus eius coniunctionis oratorius et elegans: III, 11, 27.
Nanis Sardensis: IV, 4. extr.
naves in felici reditu coronantur: III, 24, 14. navium *παρασήματα* et *ἐπισήματα* sive *σημεῖα*: IV, 6, 49. — cestro pictae: ibid.
Naxi perennes vini fontes esse perhibebant: III, 17, 27.
ne pro ut non (consec.): III, 11, 24.
nec ita ponitur, ut copulandi vis ad totum enuntiatum, negandi ad unum tantum verbum pertineat: II, 26, 53. nec explicativum: II, 6, 8. nec et nunc a librariis confusa: II, 17, 13—15. nec tantum pro „nec tantopere": II, 20, 8. nec et neque: usus utriusque perticulae Propertianus: IV, 5, 50. — item Virgilianus: ibid.
negatio post verba necessitatis, quae cum infinitivo coniungenda est, cum altera illa, quae ad verbum finitum pertinet, in zeugmatis speciem confunditur: I, 16, 11. 12. negationes duae quando Latine affirment: II, 19, 31. II, 29, 3.
Nemesianus (Cyneg. 6. sqq.) emendatur: III, 3, 18.
Nemorensis lacus: III, 22, 25.
Neuri Sarmatarum gens, cataphractis nobilis: IV, 3, 8.
neutrum pronominis *κατὰ σύνεσιν* ad superius vocabulum generis alius refertur: I, 16, 38. I, 18, 24. I, 19, 17. — neutrum pron. in praedicato positum, cum alius generis nomen in subiecto est: II, 6, 26. neutra adiectivorum et participiorum pluralia regionem significant: IV, 9, 35.
nexisti pro nexuisti: III, 8, 37.
ni pro ne: II, 7, 3.
niger = infaustus: IV, 2, 11.
sole perustus: IV, 6, 33.
Nilus vagus: III, 11, 31.
Nomentum quando finibus Romanis additum? IV, 10, 26.
nominativus primae Graecorum in -a nunquam Latine producitur: III, 19, 19. — plur.

tertiae Graecus in -es: Q. p. 166. — secundae in -ius: vid. s. v. ablativus.
nomina propria frequentissime a librariis corrupta: III, 7, 22. nominum gentilium et terrarum forma brevior a poetis expetita: II, 13, 1. III, 9, 44.
nomine alicuius versus scribere, quomodo differat ab altera dictione sub nomine v. sc.: Q. p. 221. sq.
non pro ne ante optativum: I, 6, 24. non et nunc eodem compendio exarata: I, 11, 21. II, 6, 35. III, 6, 3. non et num confusa in codd.: II, 32, 34. non tam et non tantum: II, 13, 9.
non tantum pro „non tantopere": II, 20, 7.
noster = Romanus: II, 1, 73.
nota et notare in facie: I, 5, 16. notare = significare: IV, 2, 44.
nox sensu venereo: II, 28, 11. nox insana: IV, 8, 60. — fatigari dicitur: IV, 11, 81. Nox dea siderum choream ducere fingitur: III, 20, 18.
nudi pedes Bacchicis religionibus proprii: III, 17, 32.
nullus pro non: I, 17, 12. Q. p. 145.
numerandi adiectiva variis elegantiis accommodantur: II, 17, 4. num. et metiendi adiectiva saepe a poetis confusa: IV, 1, 23.
numeri primae pers. pro lubitu a Prop. mutantur: Q. p. 111. §. 9. II, 32, 23.
nunc et hunc in codd. confusa: III, 7, 53. IV, 9, 73. nunc consequentiam saepe significat, non tempus: I, 11, 21.
nuptiae poetis Romanis invisae: Q. p. 32. — inauspicatae: ibid. p. 35.

O.

-o imperativi a Propertio correptum: IV, 5, 77.
obtendere labra: I, 13, 17.
October equus: IV, 1, 19.
oculis amatae puellae amatores vel capi vel feriri dicuntur: I, 1, 1. 2. rursus amatorum oculi capiuntur a puellis: I, 5, 11. IV, 4, 32. III, 24, 2.
oculi amantium visco illiti finguntur, quo amor et desiderium haereat: I, 19, 5. oculi pulchritudinis arbitri: IV, 4, 32. — certissimi mortis iudices: IV, 7, 23.
odor ingenuus puellarum a poetis praedicatur: II, 29, 18.
odorati Arabes: III, 13, 8.
Oiliades, non Oilides: IV, 1, 117.
oloris cantum primus Hesiodus celebravit: II, 34, 84. Plato primus ad poetarum similitudinem transtulit: ibid. oloribus vecti poetae, amatorii imprimis: III, 3, 39. nam Venus quoque et Amor: ibid.
omnia facere: III, 21, 5.
ὁμοιόπτωτα: Q. p. 166.
ὁμοιοτέλευτα: Q. pp. 166. 171. 173.
ὀνοματοποιία: Q. p. 185.
onyx pro vase unguentario: III, 10, 22. — lapis: ibid.
operosum pro artificioso primus Propertius dixit: III, 2, 12.
oppidorum lugentium propugnacula deiecta: IV, 11, 38.
opponere: I, 17, 11.
orationis vis aquae saxa cavanti comparatur: IV, 5, 20.
orbis carminis: Q. p. 85. III, 2. init. — in orbem redire: ibid.
orgia Musarum: III, 1, 4.
Orientis populi ab antiquis passim confunduntur: II, 13, 1. Q. p. 73.
Orontea myrrha: I, 2, 3.
Ortygia = Ephesus: III, 22, 17.
oscillum: III, 3, 29. IV, 1, 18.
Osca tellus: IV, 2, 62.
oscula nixa: I, 16, 42. osculorum odor praedicatur a poetis: II, 29, 18.
ossa pro umbra et Manibus: I, 19, 17. II, 13, 39. 40. III, 18, 31. 32. IV, 7, 12. IV, 11, 28. IV, 11, 102.
Ovidius Propertii amicus: Q.

p. 19. Ovidii ars et ingenium: Q. p. 57. Ovidius explicatur (Amm. I, 12, 17.): II, 8, 15. (Fast. I, 579. sqq.): IV, 9. init. (Fast. V, 675.): IV, 2, 38. (Fast. VI, 245.): III, 15, 3. (Metam. I, 654.): II, 7, 6. (ibid. I, 662.): II, 15, 54. (ibid. IV, 30.): IV, 1, 23. (Met. IV, 156.): I, 21, 4. (ibid. VI, 58.): III, 16, 16. (VI, 63.): ibid. (VII, 520.): III, 6, 41. (VIII, 303.): II, 16, 37. (VIII, 665.): III, 16, 4. (Trist. II, 461. sqq.): Q. p. 212. sq. (Trist. III, 2, 30.): II, 15, 54. — emendatur (Trist. II, 413.): III, 3, 4. (ibid. III, 10, 11.): III, 18, 9. (ibid. V, 11, 28.): IV, 1, 59. (Ep. ex Pont. IV, 8, 65.): IV, 1, 59.
ὀξύμωρον: II, 20, 7.

P.

Pacisci verbum in connubio proprium: III, 20, 25.
παίζειν verbum in amore proprium: I, 10, 9.
Palilia et Terminalia falso a VV. DD. confusa: IV, 1, 19. Paliliorum ritus sacri: ibid. Palilia non Parilia: ibid.
palla tunica, non amictus: III, 17, 32. IV, 4, 60. palla nuptialis: ibid.
pallidus etiam, qui pallorem efficit: IV, 7, 36.
palmae num pro pennis dicantur: I, 20, 27.
Pamphylia ab Augusto sui iuris facta: Q. p. 24.
pancratium Propertius etiam Spartanis tribuit: III, 14, 8.
Panes complures antiquitas novit: III, 17, 34. — cum Satyris falso confusi: ibid. — in cohorte Bacchica: ibid.
Papia Poppaea lex: II, 7, 13.
par: I, 1, 32. I, 5, 2.
parca dies: III, 5, 18.
paries pictus: II, 6, 34.
Paris Veneris amator: II, 32, 33.
Parnassus an Parnasus? II, 31, 8.
παρῳδία: III, 3, 48.
Parrhasius in ὑπαρογραφῇ princeps: III, 9, 12.
pars imperii: I, 6, 32. — militiae: I, 21, 3. pars corporis, qua quis excellit, pro eo ponitur qui ea parte excellit: III, 11, 56. III, 19, 13. hinc attributum, quod ei soli parti aptum, ad totum refertur: ibid.
Parthorum fuga: II, 10, 13. expeditio Parthica: Q. I, 3. p. 15. sq. Parthorum res ex Ventidii tempore deiectae: Q. p. 218. Parthi signa Romana a. U. 734. remittunt: Q. p. 226.
participium perf. cum nomine subst. iunctum, pro infinitivo vel nomine abstracto: I, 1, 19. II, 7, 6. III, 12, 3. Q. p. 120. §. 8. p. 156. §. 28. p. 226. sq. — particip. summam sententiae continet: vid. s. v. attributum et sententiae summa. — particip. praes. pro verbo finito: III, 17, 38. — cum verbo substantivo eadem ratione: ibid. part. fut. usus elegans: Q. p. 141. §. 22. — fut. pass. pro part. praes. pass.: III, 20, 22.
Passennia gens: Q. p. 10. sq.
Pater = Iuppiter: IV, 3, 47. Pater infernus = Dis: IV, 11, 18.
paternus = patrius: III, 9, 37.
patronymica Graeca in -is pro adiectivis denominativis: IV, 11, 21.
pati = de se impetrare: I, 8, 15.
patrius sanguis: II, 7, 20.
Paullus, L. Aemilius Lepidus, censor ultimus: Q. p. 30. vid. s. v. Aemilius.
Paullus Silentiarius Propertii imitator: Q. p. 229.
pectus pro homine: IV, 7, 64.
Pelasga Iuno: II, 28, 11.
pendere dicuntur, quae volantium sunt: I, 20, 27.
pendulus, quid? IV, 1, 18.
pennae pro avibus et augurio: III, 10, 11. — remigium avium dicuntur: IV, 7, 47.
Pentheum in arbore Bacchae venatae sunt: III, 22, 33.

peplum Minervae: IV, 1, 118.
per praepositio verbis compositis continui significationem addit: II, 16, 49.
percurrere absolute positum: II, 16, 49.
percutere carmen: II, 1, 9. percutere in universum vehementius quatere: III, 16, 16.
perducere et producere in codd. confusa: I, 3, 34.
perfectum ἀορίστως: II, 33, 20. — 3. pers. plur. brevi penultima, saepissime a librariis plusquamperfecto expulsum: III, 11, 65. III, 24, 20. IV, 7, 15.
Perrhaebus Pindusa Perrhaebis Metanastis dictus: III, 5, 33.
Persius (6, 24.) explicatur: IV, 8, 38.
personae verbi mutantur: Q. p. 116. §. 5. El. I, 3, 27. II, 6, 12. II, 7, 1. II, 8, 25. II, 34, 69.
perurere = atterere: IV, 5, 19.
Perusiae situs: Q. p. 6. sq.
Petrarca librorum Propertianorum sospitator: Q. p. 230. sq.
φαινίνδα ludicrum: III, 14, 5. extr.
Phanocles: Q. pp. 193. 196.
Philetas quando vixerit: III, 1, 1. Philetae superstiti monumentum a Cois positum: ibid. — ars et ingenium: Q. p. 191. — Theocriti magister: Q. p. 193. — Hermesianactis familiaris: ibid. Philetae Bittis, non Battis: p. 207. — Hermes: p. 208. — παίγνια: p. 208.
Phorcis et Phorcys: III, 22, 8.
Phraates: Q. p. 15. sq.
Phrygum et Cretensium res antiquissimae passim confusae: III, 1, 27.
pia terra, qua ossa teguntur: III, 7, 9.
piacula auspicandi gratia adhibita: IV, 1, 50.
piare sacra: I, 1, 20. IV, 1, 50.
pietatis causa lapides sepulcrales iti: III, 7, 9.
pii Manes dicuntur in titulis sepulcralibus: III, 7, 9.
Pindarus explicatur (Ol. II, 70.): El. III, 18, 31. 32. (fragm. ap. Clem. Alex. VI, p. 731.): ibid.
πίνειν ἀπὸν κρήνης: II, 23, 2.
Pitys amica Panos: I, 18, 20.
plebeius amictus toga pulla: II, 25, 45.
pleonasmus particularum saepe imperet saepe: I, 16, 47. — dehinc, posthac simill. II, 3, 50. II, 15, 25. — in verbis removendi et liberandi: II, 25, 5. — in mortis attributis: I, 17, 21. — alias: II, 9, 13.
Plinius explicatur (N. H. XIV, 8, 1.): IV, 8, 38. (XXIII, 1, 22.): ibid.
πλοκή: Q. p. 110.
plumis delicatorum tori farti: III, 7, 50. hinc pluma pro lecto: III, 7, 50.
pluralis κατὰ σύνεσιν ad singularem praecedentem refertur: II, 7, 15. II, 34, 69. IV, 11, 30. — cum singulari 1. pers. paene pro lubitu alternat: Q. p. 114. §. 4.
plusquamperfectum pro perfecto: vid. s. v. fueram.
pocula pro poculis venenatis: II, 1, 51.
Poenae columnae: II, 31, 3.
poesis cum textura comparata: I, 16, 41. IV, 1, 72. — cum sacrificiis: IV, 6. init. II, 10, 23. — difficilior cum arduis montium iugis: ibid. — cum flumine: IV, 1, 59. — cum navigatione: III, 3, 22. — cum nemore: III, 3, 42. vid. s. v. carmen. — poeticae et oratoriae artis discrimen: Q. p. 104. sq.
poetae ea, quae canunt, ipsi quodammodo facere sibi videntur: II, 1, 45. II, 10, 19. II, 34, 63. III, 3, 41. III, 9, 53. IV, 1, 57. Q. p. 157. — sacerdotibus se comparant: III, 1, 1. IV, 6. init. — pii: ibid. triumphantes: III, 1, 10.
Polemo Ponti rex: Q. p. 24. p. 225.

πολύπτωτον: Q. p. 108.
pomifer fluvius: IV, 7, 81.
ponere vinum: II, 3, 17. — votum: II, 19, 18. — cum ablativo simplici: II, 22, 44.
Ponticus, Propertii amicus: Q. p. 19. — Thebaidem scripsit: ibid. alius Ponticus, Iuvenalis amicus: ibid. p. 20.
portae urbium sunt, non domorum: IV, 3, 17.
positura: IV, 3, 38.
posse = de se impetrare: I, 17, 11. II, 23, 9.
praecipere fructum: IV, 2, 11.
praecurrere = viam monstrare: I, 13, 25.
praedicato nomen additur nominativo casu: vid. s. v. adiectivum. add. II, 21, 10. — duo nomina: II, 2, 6. praed. dividitur, ut ad subiectum item divisum partes referantur: II, 22, 32.
praeire clientes soliti sunt patronis officii causa: I, 5, 19. Q. p. 23.
praelucere verbum a librariis saepe oblitteratum: I, 2, 13.
praemia dicuntur ii, qui ab avaris emungúntur: II, 4, 15. praem. dicitur, quod in solatium iniuriae datur: IV, 4. extr.
Praeneste, locativo Praenesti: II, 32, 3.
praepositionum usus praegnans: II, 1, 42. II, 9, 12. II, 12, 10. II, 17, 6. II, 32, 23. III, 14, 5. IV, 5, 48. III, 17, 23. IV, 11, 82. Q. p. 153.
praesens pro perfecto non solum historico, sed etiam logico: II, 7, 2. II, 15, 3. 9. IV, 2, 3. IV, 4, 54. IV, 9, 39. Q. p. 120.
praetexta pudoris puerilis insigne: III, 15, 3.
Praxiteles unde oriundus? III, 9, 16.
premere proprie de valetudinis vexationibus: III, 18, 9. — de coeli gravitate: ibid. — interdum pro opprimere: ibid.
pretium facere aliquem: IV, 1, 81. IV, 5, 29.
primus Homerus i. e. princeps poetarum: I, 7, 3.
Priscianus Propertium non legit: Q. p. 229.
profectus et provectus in codd. confusa: I, 8, 13.
profugus = vagabundus: IV, 1, 4.
prolepsis: Q. p. 140. — singularior: I, 3, 36. I, 20, 2. — pleonasmo similis: I, 1, 34. II, 23, 13. — eius generis quum sententiae summa in apposito collocata est: vid. s. v. sententiae summa.
pronomen possess. προληπτικῶς: Q. p. 139. §. 20. ad inscript. L. I. El. II, 9, 30. II, 14, 29. — quod debetur alicui, significat: III, 15, 30. — relativum notione adversativa: II, 25, 17. II, 29, 15.
Propertii patria: Q. I, 1. p. 3. sqq. — imago suppositicia: ibid. p. 3. — genus: Q. I, 2. p. 12. sqq. — annus natalis: Q. I, 3. p. 15. sqq. — pueritia: Q. I, 4. p. 17. sqq. — amicitiae: Q. I, 5. p. 19. sqq. — amores: Q. I, 6. p. 31. — ars et ingenium: Q. II. — inventio: Q. II, 4. p. 61. sqq. — doctrina varia: ibid. p. 70. sqq. — dispositionis ars: Q. II, 5. p. 79. sqq. — elocutio: II, 6. p. 104. sqq. — compositio: II, 6. s. IV. p. 166. sqq. — poetarum Alexandrinorum imitatio: II, 7. p. 186. sqq. — librorum integritas: Q. III, 1. p. 211. sqq. — liber II. perturbato ordine in codd. habetur: Q. III, 2. p. 213. sqq. — tres extremi libri post mortem poetae editi: p. 216. sqq. — Propertii et Cynthiae discidium: Q. p. 217. — carmina singula quo tempore scripta: p. 220. sqq. p. 223. sqq. — librorum Propertianorum usque ad litteras renatas fata: Q. III, 4. p. 228. sqq. — codd. mss. recensentur: Q. III, 5. p. 231. sqq. — editiones: Q. III, 6. p. 248. sqq.

Propertiorum nomina in lapidibus litteratis: Q. p. 10. sqq.
Proserpina apud Cyzicenos culta: III, 22, 4. ibi raptus deae et descensus ad inferos: ibid. — simul cum Cybele culta: ibid. — bove placata: ibid. — iuvenca ex farre facta et dedicata ei deae: ibid.
προσωποποιία: Q. p. 114. 115. §. 4.
provehi de secundo tantum vento dicitur: I, 8, 13.
pudor ingenuus: II, 24, 4.
puer = Cupido: II, 9, 39.
pumiliones saltare sub crotalo docti: IV, 8, 41.
Punicum marmor: II, 31, 3.
pupa in magicis praestigiis cremabatur, ad pelliciendum virum amatum: III, 6, 30.
pura omnia in sacris esse oportet: IV, 6, 10.
purae manus = innocentes: IV, 7, 38.
purpurei fluctus: II, 26, 5.
pyropus: IV, 10, 21.

Q.

Quaerere aliquid in aliquem: I, 7, 6.
quaestiones perpetuae: IV, 11, 19 sqq.
quam coni. ante comparativum: II, 22, 25.
quamquam apud Propertium non occurrit: Q. p. 118.
quamvis c. indicativo: Q. p. 118.
-que dissimilia etiam coniungit: III, 9, 49. — explicativum: IV, 9, 35.
quinquennalis, anceps vocis significatio: IV, 6. init.
Quintilia, non Quinctilia: II, 34, 90.
Quintilianus explicatur (Inst. X, 7. init.): III, 9, 5. (X, 1, 89.): ibid. (II, 4, 19.): III, 11, 27. (IV, 1, 10.): ibid. emendatur (VIII, 3, 22.): IV, 5, 16.
quisquam in interrogatione cum indicativo: II, 34, 1.
quivis et quilibet de uno certoque homine cum contemptione dicitur: I, 9, 4.
quo mihi? IV, 3, 51.
quod in obiectionibus: III, 2, 9.
quodsi contraria saepe coniungit: II, 7, 13. II, 24, 5. Q. p. 129. §. 14.

R.

Rami semiferorum tela: I, 1, 13.
rapidus ab incitato equorum cursu ad libidinum impotentiam translatum: III, 19, 10.
raptare verbum iudiciale: III, 11, 27.
rapi de morte immatura: IV, 11, 66.
rectum dicitur, quidquid in comparatum est, uti natura rei postulat: II, 34, 46. recta via ad animum translatum, metaphora a philosophis inventa: III, 5, 10.
relativa enuntiata: vid. s. v. praedicati summa.
remanere pro perdurare: II, 9, 8.
remigare animae ipsae in Charontis cymba perhibentur: II, 27, 13.
Remus passim conditor Urbis commemoratur, tamquam potior gemellorum: IV, 1, 50.
repugnantia quaedam inter voluntatem et actionem ad affectuum vehementiam describendam fingitur: III, 14, 5.
repetiti post intervallum versus maxima vi poetica: IV, 9, 42.
res ipsa pro nomine, quo significatur, ponitur, velut Cynthia pro nomine Cynthia: Q. p. 157. I, 11, 8. II, 1, 5. II, 5, 1. — item argumentum carminis pro carmine, ut si carmen e Coa veste factum dicitur: II, 1, 5. III, 3, 41. — item argumentum pro pictura: II, 6, 34.
reverens = verecundus: II, 30, 33.
revolubile carmen: IV, 7, 51. Q. p. 163.
Rhadamanthus: IV, 11, 21.
ricinium: II, 23, 13.

risus (subst.) esse dicitur is, qui ridetur: III, 25, 1.
rogus pro sepulcro: IV, 11, 8. — pro mortuo: IV, 11, 72.
Romanarum Graecarumque mulierum facies et habitus quomodo differant: II, 25, 43.
ruina omne quod ruit: I, 8, 7.

S.

Sabbata tristia et casta: IV, 5, 34.
sacer et sanctus: III, 1, 1. III, 22, 3. sacrae colubrae: III, 11, 53. sacrum venenum: ibid.
sacerdotum collegia in lucis epulabantur: IV, 6, 71.
sagina gladiatorum: IV, 8, 25.
Sais eadem quae Neith: II, 2, 11.
saliva quid? IV, 8, 38. salivae usus medicus: IV, 7, 37.
sapo et glastum: II, 18, 23.
Sancus: IV, 9, 73. — idem qui Titus Tatius: ibid. eius sacellum: ibid. variae nominis formae: ibid. atavus gentis Sabinae: IV, 10, 9.
secare = dividere: IV, 8, 34.
sed tamen: IV, 1, 59.
sedisse pro sidisse: III, 9, 36.
semel post particulas causales factum, quod infectum fieri nequit, significat: I, 13, 33.
Seneca (Epist. 98, 5.) explicatur: IV, 6, 65.
Seneca Trag. (Med. 767.) explicatur: I, 18, 21.
senectus tacite veniens: IV, II, 93.
sensus et voluntas mutis et anima carentibus tribuitur a poetis: Q. p. 153. I, 8, 15. II, 6, 23. II, 13, 39. 40. II, 31, 8—10.
sententiae summa saepe in apposito collocata: Q. p. 142. I, 8, 22. I, 13, 8. I, 18, 17. II, 13, 39. 40. II, 7, 15. II, 16, 16. 19, 31. III, 5, 2. III, 15, 30. III, 14, 3. IV, 11, 4. 84. — etiam in enuntiatis relativis: III, 14, 19.
sententiae (loci communes) cumulantur ficta in ludibrium gravitate: II, 8, 7. II, 18. init. Q. p. 109. p. 126. II, 18. init.
sentiendi verba inter se confunduntur: II, 16, 49.
sepulcrum et Orcus perpetuo et velut de industria confunduntur a Propert.: I, 19, 17. I, 9, 6. 11. II, 13, 39. II, 15, 54. IV, 11. init.
Seres populus mitissimus: IV, 3, 8.
sermocinatio: Q. p. 117. §. 6.
seu duplex significatio: II, 1, 5 sqq. III, 21, 8.
sevehi: Q. p. 163.
si in adiurando: III, 15, 23. IV, 11, 19. — omissum in protasi: II, 13, 47.
Sibylla Romulo et Remo auspicia dat: IV, 1, 49.
sic conditionem supra indicatam breviter comprehendit: III, 16, 11. I, 19, 16. IV, 11, 35. — eventum significat: IV, 9. extr.
Sicambri pacem a Romanis petunt: Q. p. 228.
sidus pro coeli momento et vicissitudine anni: I, 18, 13.
silani, tubuli, unde dicti? II, 32, 14.
Silenus dormiens frequentissimum salientium ornamentum: II, 32, 14.
Silius Italicus explicatur (III, 55.): II, 8, 31. (III, 705.): IV, 11, 70. — emendatur (V, 234.): II, 19, 31.
silva et nemus: I, 14, 5.
similitudines: Q. p. 145. §. 26.
Simois Iovis incunabula: III, 1, 27.
sinus vestis, non corporis pars: IV, 4, 72.
socius = propinquus: III, 22, 25.
Solis cymba: II, 18, 9. (11.)
somnia Callimachi: II, 34, 32.
Spartanae virgines nudae cum nudis iuvenibus luctantes: III, 14, 1. 2.
Spartana gymnasia: ibid.
spatha pro gladio: IV, 3, 31.
spatia Latine pro stadiis: III, 21, 25. IV, 2, 58.
species = pulchritudo: II, 31, 3.

sphaerae astrologorum aeneae: IV, 1, 76.
spirare absolute: IV, 5, 66. — idem quod vivere: IV, 7, 11.
spolia opima: IV, 10. init.
spondae emblematis ornatae: IV, 5, 23. — exterior pars lecti: IV, 8, 88.
stadia in gymnasiis, philosophorum ambulacra: III, 21, 25. — Romani ambulandi causa in villis habebant: ibid.
stare = rigere: IV, 5, 12. IV, 11, 4. — verbum proprium de navium stationibus: II, 9, 30. stat pugna: III, 5, 2.
statuae complures eiusdem dei in fastigio templi: II, 31, 7. statuarum vivi vultus: II, 31, 14.
Statius emendatur (Silv. IV, 7, 37.): II, 34, 61. — explicatur (Silv. I, 4, 16.): III, 14, 5. (ibid. II, 1, 210.): III, 11, 27. (ibid. IV, 7, 37.): II, 34, 61. (Thebaid. VIII, 21.): IV, 11, 18.
sternuere omen: II, 3, 24.
structura verborum de industria variata: II, 3, 15. — κατὰ σύνεσιν: Q. p. 156.
Strabo emendatur (V, 12. T. II. p. 179. Siebenk.): III, 22, 25.
stringere non solum de gladio: II, 19, 24.
Subasius saltus: Q. p. 8.
sub nomine alicuius: Q. p. 221.
sub flumine: III, 9, 36.
subsellia: IV, 11, 19.
supellex aestiva: IV, 8, 37.
supplentur verba durius: Q. p. 123. II, 13, 55. — ex aliis formis aliae: II, 14, 26.
suspensus de expectante: III, 6, 8.
sustinere de rebus deorsum labentibus: III, 2, 1.
syllabae breves in πενθημιμερεῖ productae: IV, 7, 85. — saepe is usus a librariis oblitteratus: ibid.
συμπλοκή: Q. p. 108.
synaloephe: Q. p. 179.
συνεκδοχή: Q. pp. 151. 154. — cum translatione iuncta: I, 13, 29. — pluralis pro singulari: III, 23, 5.
Syphacis spolia: III, 11, 59.

T.

Tacitus emendatur (Ann. I, 64.): I, 14, 1. explicatur (Ann. I, 27.): III, 3, 4. (Ann. IV, 35.): II, 34, 61. (Agricol. 36.): II, 8, 31.
tamen omissa protasi cum uno enuntiati vocabulo accuratius nectitur: II, 4, 9. — ubi quamvis expectes: III, 15, 35.
Tantaleus pro Tantalus: IV, 11, 24.
tanti non est: III, 20, 4.
Tarpeiae domus: I, 16, 2.
Tarpeius mons a duce Tarpeio dictus: IV, 4. extr.
taurobolia Cyzicena: III, 22, 3.
Taurus Farnesianus: III, 15, 1.
tecta etiam de tentoriis: II, 8, 30.
Tellus animarum in Orco imperium habet: I, 19, 16.
temerare: II, 19, 21.
temperare de aquis terram irrigantibus: III, 22, 16.
tempus causa eius rei a poetis dicitur, quae eo tempore fit: II, 20, 17. tempori sensus et voluntas tribuitur: II, 28, 32. IV, 8, 60. IV, 11, 81. vid. s. v. nox, dies. tempus, quo quis moritur, rapere obeuntem dicitur: IV, 11, 66. tempore mori: IV, 11, 66.
tempore et repente in codd. confusa: IV, 11, 66.
temporum usus Propertianus: Q. p. 119. §. 8.
tenebrae lucere dicuntur ei, qui per tenebras videt: IV, 9, 41. tenebris fulgor aliquis a poetis tribuitur: ibid.
tenera umbra: I, 18, 21.
tenuare carmen: III, 1, 5.
ter ante adiectiva superlativi significatione: I, 16, 13.
Terminalia et Palilia falso confusa: IV, 1, 19.
terra pro Manibus: III, 7, 9. II, 13, 41. terra et tellus etiam urbes vocantur: III, 11, 33.
testor pro detestor non Latinum: II, 15, 25.

Teucer Quirinus: IV, 6, 21.
Teuthras rex Mysorum: I, 11, 11.
Theuthrania sive Teuthrantia Mysiae regio: ibid. — fortasse etiam terrae Opicae: ibid.
Thesproti num etiam in Italia? I, 11, 3.
Thetis an Theti in vocativo scribendum? III, 7, 68.
thyius adi. a thyo: III, 7, 49. usus ligni eius in domibus delicatorum: ibid.
thyrso Bacchi fanatica vis tribuitur: II, 30, 37.
thyrsus doctus: ibid.
Tibulli ars et ingenium: Q. p. 37. Tib. explicatur (II, 5, 96.): I, 18, 21.
Tiburis situs: III, 16, 2 sq. Tiburtinus lapis: ibid.
tignum: IV, 3, 59.
tinnitus aurium omen in amore: I, 12, 6. — non confundendus cum φαντασίᾳ amantium, qui nomen amicae audire videntur: ibid.
Tiridates: Q. p. 15.
Titiens vel Titiensis, non Tities: IV, 1, 31.
titulorum cumulo aedium fastigia velut subnixa: IV, 11, 42.
toga liberioris vitae insigne: III, 15, 3.
tondere oppidum: IV, 11, 38.
τορνεύειν et τορεύειν: II, 34, 43.
tornus: II, 34, 43.
toro et viro in codd. confusa: II, 9, 16.
torquere verba: I, 16, 38. torq. de sideribus: III, 20, 18.
tortum et totum in codd. confusa: I, 16, 38. III, 20, 18.
totus pro omnis: IV, 1, 23. II, 29, 13. totus ἐμφατικῶς positum: III, 11, 71. IV, 8, 85.
trahi fuga: II, 8, 31.
tractus et fractus in codd. confusa: II, 8, 31.
traiicere absolute positum: IV, 10, 39.
translatio: vid. metaphora.
tres num simpliciter pro: pauci? Q. p. 214.
trigo lusus: III, 14, 5.
tristis = iratus: I, 6, 10. tristes libri, versus = elegia: I, 9, 13.
Tritones frequens salientium ornamentum: II, 32, 16.
triumphalis porta: I, 16, 1. triumphales aedes: ibid. pompa: ibid. — ubi desierit: ibid. — cursus: ibid. — equi coronati: III, 1, 10. IV, 11, 102. — fercula imagines populorum lugentes exhibebant: IV, 11, 38.
triumphantes animae piorum Elysium intrare finguntur: IV, 11. extr.
triumphatores in currum secum liberos suos sustulerunt: III, 1, 10.
triumphum divini honoris imaginem veteres esse voluerunt: IV, 11. extr.
trochus: III, 18, 6. — cum turbine confusus: ibid.
tueri et videre: II, 10, 13.
Tullus, Manlius: Q. p. 23. Volcatii Tulli: ibid. L. Volcatius Tullus Propertii amicus: ibid. p. 25.
tunc et tum: I, 7, 21.
tundere cum acc. c. inf.: IV, 5, 35.
tunica recta: IV, 4, 60. tunicis pluribus veteres usi sunt: IV, 8, 85.
turres = domus magnificae: III, 16, 3. — in hortis divitum speculae: ibid.
tus sacrificium vilissimum: II, 10, 24.
Tuscus vicus, idem qui Turarius: IV, 2, 5. — unde dictus? ibid. et v. 51.
Tutanus Lar Hostilius: III, 3, 11.
tutus et securus: I, 20. extr.
tympana mollia: III, 17, 33.

U. V.

Vacuus in amore: I, 9, 27.
vada = mare, nunquam litora: II, 1, 22.
Valerius Flaccus explicatur (IV, 314.): II, 13, 39. 40. (II, 596.): II, 30, 21.

vallari etiam ea res dicitur, quae in modum valli erigitur: III, 16, 29.
variare structuras de industria Propertius solet: III, 17, 27.
vates, quicunque doctrina alicuius rei praecellit: II, 17, 3.
vel ex disiunctivis particulis proxima est copulativis.
velle, in amore: III, 23, 17.
vendere pro venditare: I, 2, 4.
venditare et vindicare in libris confusa: III, 9, 16.
venenorum inunctionibus vett. usi sunt: II, 17. extr.
venire pro verbo substantivo: II, 1, 2.
venter pro partu: IV, 1, 42.
ventus et aqua: vid. aqua.
Venus magicarum artifex in aheno torrere amantes fingitur: III, 24, 13. Venus Argynnis: III, 7, 22. — Victrix: IV, 1, 46. — Cnidia: III, 9, 16. Veneri obnitentibus certa esse mors credebatur: II, 1.
verba transitiva sine casu posita: I, 12, 10. verbum substantivum in fine versus omissum: III, 19, 21. verborum formationes: Q. II, 6. s. III. p. 162 sqq.
verba poetae veluti incantamenta medicinae loco in amore sunt: I, 10, 16.
verba, non verbum, pro mendaciis: III, 24, 12.
versus = conversus: IV, 1, 107.
versus poetarum aliorum ita Propertius exprimit, ut ipsos quodammodo de se loquentes faciat: III, 1, 4. versuum compositio: Q. p. 102 sqq.
Vertumni signum ubi positum: IV, 2, 5. V. deus Tuscus: IV, 2, 62. — hortulanus: IV, 2, 41.
verum modo falso, modo mendaci opponitur: II, 29, 39. — figurato opp. et imagini rei: II, 7, 13. verum = iustum: I, 8, 21. verum et verbum in codd. confusa: I, 8, 22. III, 24, 12.
Vesta, viva flamma: III, 4, 11. IV, 4, 18. Vestae templum: IV, 4, 4. Vestae et Palladis cognatio: IV, 4, 45.
vestes puellarum cum vallis et moenibus comparantur: III, 14, 30. vestis insignis inter praemia trium liberorum: IV, 11, 61.
vestigia = pedes: II, 9, 45. vestigia lecti: II, 16, 27. II, 29, 36.
vestimentorum nomina plurali numero saepe pro singulari ponuntur: IV, 8, 85.
viae amoris: I, 1, 18. via c. gen. ad finem significandum et exitum viae: I, 20, 18. II, 1, 20. viae infernae ferro stratae: IV, 11, 4.
vindicare. variae verbi significationes: IV, 11, 20.
vindicare et iudicare in codd. confusa: ibid.
Virgilius explicatur (Aen. I, 65.): III, 11, 27. (I, 507.): IV, 11, 18. (II, 661.): II, 15, 54. (III, 151.): II, 34, 63. (VIII, 22.): III, 16, 16. (VIII, 363.): IV, 9, 67. (VIII, 679.): IV, 11, 18. (XI, 268.): II, 7, 6. (Ecl. VIII, 73.): III, 6, 30.
visenda loca = visu digna: III, 22, 15.
visiones (φαντασίαι) figur.: Q. p. 69.
vita humana foliis arborum caducis comparatur: II, 15. 51.
Ulixi errores aliter a Phileta (Hermete) narrata atque ab Homero: III, 12, 25. hunc Propertius secutus videtur: ibid. Ulixes in Hispaniam delatus Ulysipponem condidisse ferebatur: ibid.
umbra non modo luminis defectus, sed etiam locus opacus: III, 3, 1. umbra pro fronde: I, 18, 21. II, 13, 34. umbra tremula, tenera: I, 18, 21. IV, 11, 16. umbrae mortuorum ossium imagine finguntur: III, 18, 31. 32. hinc umbra cum ossibus atque cinere passim confusa: ibid.
unda et ulva in codd. confusa:

I, 14, 1. unda et una: IV, 7, 57.
undisonus: III, 21, 18.
univirarum laus in titulis sepulcrorum: IV, 11, 36.
vocalis = humano sermone praeditus: II, 34, 37.
vocativi usus insolentior: I, 8, 19.
voces singulae vel enuntiata breviora substantivorum indeclinabilium ratione positae: II, 22, 14. II, 25, 2. Q. p. 131. §. 15.
Volsani: IV, 2, 4. (ubi in ordine versuum operarum error corrigendus.)
volutari in re venerea vocabulum obscoenum: II, 29, 36.
vota tabulis concepta in templis suspendebantur: IV, 3, 17. votum suscipere, facere, reddere, ponere, solvere: II, 19, 19.
urbis nomen pro urbe eiusque ditione: III, 9, 16.
urere de quavis animi irritatione: II, 24, 5.
urnae iudiciales tres: IV, 11, 49. — ne cum sitella confundantur: ibid.
uterus pro partu: IV, 1, 42.
utilis hostis: IV, 1, 138.
utrumque partitionibus praeponitur, non subiungitur: III, 17, 12.

Z.

Zeugma: II, 6, 37. Q. p. 131. §. 16. — ex diversis eiusdem verbi significationibus natum: I, 3, 16. III, 9, 5. III, 20, 5. — permutata apud animum negationis sede: I, 16, 11. 18. III, 7, 47—50. IV, 1, 19. — cum ex verbo aliquo sola habendi vel adhibendi significatio ad alterum orationis membrum suppletur: III, 22, 35. III, 9, 24. — item, cum totum enuntiatum additur: IV, 6, 3.
Zethus: vid. Amphion. Zethi prata: III, 15, 43.